


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 1
4


METHODVS SEV RATIO COMPENDIARIA


peruenien di ad veram solidamq; medicinam, mirifice ad Galeni libros recte intelligendos vtilis, nūc recens in lucem ædita, [redacted] Leonarto Fuchsio [redacted], scholæ medicæ Tubingēsis professore publico, autore.

EIVSDEM.

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPO

nendorum miscendorumq; medicamentorum ratione libri III. ijs qui medicinam faciunt, vel, vt hodie loquuntur, praxim exercent, maxime necessarij.





Indice duplici, latino & græco, vtroq; copiosissimo, adiecto.



A.M.D.

Joannis Antony barberini

RERVM AC VOCVM
TOTO HOC OPVSCVLO MEMORABILIVM,
INDEX.

Aetas

B

C

F

Febris

I

M

N

O

Q

R

S

T

V

Z

Indicis Latini
FINIS.

ELENCHVS GRAECARVM DICTIONVM.

METHODVS SEV RATIO COMPENDIARIA

Perueniendi ad veram solidamq́; medicinam, LEONHARTO FVCHSIO autore.

Qui medicinæ inuentores. Caput primum.



IN SVMMO semper honore fuisse medicinam, vel hinc maxime constat, quod omnes quotquot vnquam vixerũt homines, eius initia atque originem, diis immortalibus vno consensu adscripserint. Nam vt à Mose, omnium eorũ qui extant hebræo scriptore antiquissimo, auspicemur, nonne hic Genes. 1. Deum optimum max. herbas ac plãtas, vt iis subinde ad propulsandos morbos vteretur ab Adam propagata soboles, è terra condidisse diserte tradit? Quam quidem Mosis verissimi vatis, vt qui cum Deus, vt scriptura ait, facie ad faciem locutus sit, sententiam, Iesus etiã Syrach, inter Hebræos prudẽtissimus, & diuino præditus spiritu. cap. 38. sui libri confirmat, vbi sic scriptum reliquit: Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ. καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν κύριος. παρὰ γὰρ ὑψίστου ἐστὶν ἴασις, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόμα. κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς φάρμακα, καὶ ἀνὴρ φρόνιμος οὐ προσοχθιεῖ αὐτοῖς, ἰατρῷ δὸς τόπον, καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν κύριος. Hactenus ille: cuius equidẽ verba iuxta græcam versionem recitare placuit, quod mirifice

Moses

Iesus Syrach.

instituto nostro quadrent, & summas medicinæ laudes habeant. Græci etiam, apud quos primum exculta est medicina, Apollinem deum eius inuentorem fuisse scribũt: neq; id sanè temere. Primus enim Apollo herbarum ac medicinæ vsum antea prorsus neglectũ inuexit, vt merito hoc nomine apud Ouidium hanc tanquam suum inuentum sibi iis arroget vendicetq́; verbis:

Apollo medici næ inuentor.

Lib. 1. Metamorph.

Inuentũ medicina meum est, opifexq́; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Aesculapius.

Post Apollinem, medicinam adhuc rudem & incertem, paulo subtilius excoluit eius filius Aesculapius: qui quum & ipse subinde multa inuenerit, factũ est vt à nonnullis inter primos etiam huius artis inuentores numeratus sit. Receptus vero & ipse ob insignem hoc tempore medicinæ peritiam in deorum numerum. In ea enim sic excelluisse traditur, vt mortuum Hippolytum, & Androgeũ Minois filium ab Atheniensibus interfectum ad vitam reuocauerit: quod Propertius iis carminibus significare voluit:

Lib. 2.

" Et deus extinctum cresis Epidaurius herbis
" Restituit patriis Androgeona focis.

Et Q. Serenus Samonicus, vbi de Aesculapio sic scriptum reliquit:

" Tuq́; potens artis reduces qui tradere vitas
" Nosti, atq; in cœlum manes reuocare sepultos,
" Qui colis Aegæas, qui Pergama, quiq́; Epidaurũ.

Chiron centaurus.

Iisdem sanè temporibus, ob quarundam herbarum peritiam, claruit Chiron centaurus, Thessalus, Saturni & Phyllirę filius, Achillis præceptor & pædagogus, quem multarum plantarum habuisse notitiã Centaurium herba satis indicat, quæ ab eo ipso vsq; in hodiernum diem nomen retinet. Atq; hæc causa est cur à Plinio & aliis multis, medicinam ipsam in-

Lib. 7. cap. 56.

ueniſſe credatur. Aeſculapio duo quoq; fuerunt filii, ambo medici, Podalirius & Machaon, qui bello Troiano ducem Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt, & ob id Homerico carmine laudati. Non deſunt qui apud Aegyptios medicinam repertam eſſe velint, quod non alia fit ratione, quàm quod præter herbas, alia quoque medicamenta illic in vſu fuiſſe Homerus in hunc modum ſcribens teſtatur:

Podalirius & Machaon.

Cur apud Aegyptios reperta eſſe medicina credatur.

Αἰγυπτίη τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα ,,
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. ,,

Id eſt,

Fertilis Aegyptus rerum medicamina miſta,
Optima multa, ſimul deterrima plurima profert.

Hæc quidem medicinæ initia fuiſſe ſatis cōſtat, quæ dein Aſclepiadę non parum auxerunt, ac poſteris veluti hæreditario acceptam tradiderunt, maxime Hippocrates in Coo inſula, in primis clara & valida, genitus, qui cęteris quotquot fuere medicis antecelluit, primusq; apud Græcos medicinam in artem redegit ac ferè perfecit: id quod breuiter ac dilucide Soranus Epheſius in præfatione ſuæ Iſagoges iis expreſſit verbis: Medicinam Apollo quidem inuenit, amplificauit Aeſculapius, perfecit Hippocrates. Hunc ſubinde elapſis annis ſexcentis ſecutus eſt Galenus, qui vir fuit nedum in medicina, verū etiam in aliis diſciplinis excellentiſſimus. Nam vt palàm eius monumenta, quæ varia ac multa poſteris reliquit, teſtantur, nullum prorſus doctrinæ genus fuit quod ille non exacte tenuerit. Hic quidem primus ea quę apud Hippocratem erant obſcura dilucide explicare, quę parum diſcreta ac limitata diſtinguere, quæ autem defecerunt ſupplere ſtuduit, adeo vt vni Galeno acceptum referre oporteat, modo æqui

Aſclepiadæ.

Hippocrates.

Galenus.

iudices simus, quod hodie post tot peruersos depra-
uatarũ ac planè mõstrosarũ opinionũ doctores salu-
bria medicæ artis præcepta ac theoremata supsint.

Quid medicina. Cap. II.

Hippocratis definitio. MEdicina, Hippocrate in lib. de flatib. autore, est πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, hoc est, adiectio & subtractio. Adiectio quidem deficientium, subtractio vero redundantium. Quam quidem definitionem Galenus vndecimo therapeuticę methodi, & aliis plerisq; locis comprobat, neq; sanè temere: nulla enim medicinæ pars est, quam non ista finitione cõplexus sit Hippocrates. Auerrhois. Auerrhoes lib. 6. cap. 1. suorum collectaneorum non inepte iis verbis medicinã definiuit: Est ars factiua, ratione & experimento inuenta, quæ tum sanitatem tuetur, tum morbum depellit. Herophili. Herophilus ita definire voluit: Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum. Hanc vsurpat etiam Galen. cap. 1. artis medicæ, non quod eam vsquequaq; probet, sed veluti valde notam, & satis commode suo instituto seruientem id quod ex iis quæ statim subiungit verbis palàm fit, dicens, nomen scientiæ communiter, vt scilicet idem cum arte Medicina ars, non scientia. significet, & non proprie accipiendum esse. Ex quibus satis perspicuum fit, medicinam artem, & non scientiam esse. Habitus enim existit recta ratione factiuus, nec est eorum quæ necessario fiunt, sed finem suum contingenter nanciscitur, quæ sanè singula Aristoteles sexto Ethicorum arti aduersus sciẽtiam diserte adscribit. Verba Aristotelis subiicere placuit, quę sic habent. πάντες γὰρ ὑπολαμβάνομεν ὃ ἐπιστάμεθα μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν. ἡ μὲν ἄρα ἐπιστήμη ἐστὶν ἕξις ἀποδεικτική, τέχνη δ' ἕξις μετὰ λόγου ποιητική. Quum itaq; medicina habitus sit factiuus, & ad externum opus ordinatus, nec sit de iis quæ necessario fiunt, neq; fi-

nem suum, nempe sanitatem, perpetuo consequatur, ars sit necesse est. Non esse autem medicinam scientiam, sed potius artem, testantur etiam quę autor Introductorii seu Medici, qui, Gal. comm. 31. particulæ secundæ libri sexti Epid. teste, Herodotus fuit, in eũ scribit modum: In vniuersum aberrant qui medicinam esse scientiam prædicant. Scientia enim est cõueniens, firma, & à ratione non declinans notitia. Ea vero neq; apud philosophos est, præsertim dum rerum naturas inquirunt. Multo sanè minus in re medica, imo ne omnino quidẽ ad homines venit. Quã obrem medicina ars merito dicetur: siquidẽ ars est præceptionum, & sententiarum certo modo coexercitatarum ad finem quendam vtilem vitæ spectantiũ collectio. Præceptiones igitur & ipsa humanas, & eas multitudine sufficientes, vt sit earum scilicet collectio, præcipue coexercitatas, hoc est, sibi cõcordes ac consonas, connexasq; habens, propriissime vtiq; ars nominatur, quod nimirum definitio artis ei conueniat, & quod præceptiones in ea ad aliquã vitę commoditatem spectent. Quippe homines sanitati restituere, & in sanitate perdurare, ad vitam pertinet. Hæc ille. Huic sententiæ etiã subscribit Auerrhoes loco paulo ante citato.

Autor Medici seu Introductorii Herodotus.

Medicina ex quo artium genere.
Cap. III.

QVum ex prædictis abunde constet medicinam artem esse, & non scientiam, reliquum erit vt ex quo artiũ sit genere inquiramus. Sunt enim artium multæ differentiæ, potissimũ vero quatuor. Vna θεωρητική, hoc est, contemplatoria vocatur, quæ in sola rerum quas contemplatur inspectione, id est, cognitione & æstimatione, finem habet, vt Arithmetica, Astronomia, & Physiologia. Nulla

Artiũ quatuor genera. θεωρητική.

siquidem harum aliquem exigit actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu quæuis contenta est.

πρακτική.

Altera πρακτική, id est, actiua nominatur, quę scilicet actiones aliquas efficit: vbi vero ab actione cessauerit, nullum ex se opus ostendere potest, vt saltatoria, citharistica, & quęuis alia ars musica.

ποιητική.

Tertia ποιητική, hoc est, factiua appellatur, quę opificia postea indicat: vel quæ operis, quod oculis subiicitur, consummatione finem accipit, vt pictoria, & fabrilis.

Factiuæ artes duplices.

Sūt vero artes factiuæ duplices. Nonnullæ enim res ipsas componunt, vt textoria, & coriaria. Quædam vero ea quæ facta sunt corrigūt, sicut quæ laceras vestes, & diruptos calceos consuunt. Aedificatoriæ certe artis duplicia sunt opera, domus nimirum nondum existentis constitutio, & iam factę reparatio ac correctio.

κτητική.

Quarta κτητική, id est comparans nominatur, quæ scilicet nihil efficit, verum res quasdam studio & labore venatur ac conquirit, vt piscatoria, & ars feras canibus insectandi, & quæuis venatoria. Hæ siquidē nihil efficiunt, labor autem & studium earum in hoc est vt aliquid comparent.

Medicina est factiua.

Porro medicina, Galeno etiam teste in lib. de constitutione artis medicæ, ex factiuarum artium est genere, & earum quidem quæ iam factum opus instaurant, corriguntq; non ex illis quæ nouum efficiunt. Esse autem factiuam hinc cōstat: siquidē vbi agere medicus destiterit, artis opus ostendere poterit. Non tamen simpliciter ex factiuarum artium numero est, vt ædificatoria, non enim ex seipsa fingit exempla, sed veluti ea quæ factas ædes instaurat ac corrigit, & vestes laceras resarcit, sic & ipsa vitiatam corporis humani constitututionē emendat.

Medicina neq; cōtemplatoria, neq; actiua.

Ex quibus perspicuum fit medicinam neq; esse theoreticen neq; practicen, quemadmodū qui Auicennę placita sectantur medici putant. Neq; enim in

ſola rerum contemplatione ac cognitione finem ſuū obtinet, vt arithmetica: neq; etiam vt muſica, vbi ab actione ceſſauerit, nullum ex ſe opus oſtendere poteſt, ſed contra potius vbi agere deſtiterit, ſuū opus euidenter monſtrare valet. Huic etiam ſentētię ſubſcribit Auerrhoes, qui lib. 6. ſuorum collectaneorum cap. 1. inquit, medicinam ex his artibus eſſe quæ factiuæ vocitantur: præſtat enim formam qua functiones ſuas naturales homo perficit.

Quot medicorum ſectę. Cap. IIII.

MEdicinam eſſe artem, quæ abſentem ſanitatem reſtituere, & præſentem tueri valeat, iam oſtenſum eſt. Vnde vero hæc ars comparari poſſit, nondum inter omnes conuenit. Sunt enim qui ſolam experientiam ſatis eſſe arti pronunciāt, & hoc nomine ſe ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας, hoc eſt, ab experiētia, Empiricos nominant. *Empirici.* Hi quidem primum ad ſymptomatū συνδρομὴν reſpiciunt, & conuenientem ex eis curationē accipiunt, atq; obſeruant, idq; nec pathemate cognito, nec cauſa inquiſita. συνδρομὴν autem appellant, *συνδρομή quid.* ſymptomatum quę in patiente ſunt loco, Galeno lib. 2. ther. metho. teſte, congeriem & cōcurſum. Secundo loco obſeruant in ſymptomatum cōcurſu medicamina quæ per vſum & experientiā conueniūt. Tertio ex hiſtoria, antea expertorum diſcunt remedia. Quarto ad ſimilia tranſgreſſione vtuntur. Quæ enim ipſimet per ſuam experientiam in multis, & ſæpe, ſemper autem in iiſdem, & pari modo experiūtur, aut caſu quopiam & ex improuiſo eſſe eadē ſemper, & ſimiliter ſe habere obſeruant, hæc confidēter vſurpant, non curioſe cuiuſmodi ſint facultatibus prædita, inquirentes. Credunt vero antiquiſſimis, qui ea quæ per experientiam ipſis obſeruata ſunt, memorię prodiderunt. Hoc autē quod ipſimet ob-

αὐτοψία seruarunt, αὐτοψίαν, hoc est, propriam inspectionem nuncupant. Quod vero casu quopiam & ex improuiso obseruant: vt si quis ex alto cadens, vel ictus, aut vulneratus in morbo cupiditati obsequens frigidā

περίπτωσις. bibit, quæ vel vtilitatem vel noxā attulit, περίπτωσιν, hoc est, casu factam obseruationem, aut occasionem fortuitam, propterea quod fortuito & ex improuiso in eiusmodi inciderint res, appellant. Sicuti vbi di-

ἱστορία. scunt id quod ab aliis obseruatum est, historiam nominant. Vtuntur etiā ad similia transgressione, dum ad ea quæ nondum explorarunt, & quæ similia esse speciei quæ in promptu est, apparent, sese trāsferūt,

ἡ ὁμοίου μετάβασις vocaturq; ab eis ἡ ὁμοίου μετάβασις. Hac vtētes crebro à pathemate ad simile pathos idem remediū transferunt: item à loco ad locum, à remedio prius cognito ad simile transeunt. A pathemate quidē ad pathos, vt si ab erysipelate ad herpetem trāseunt. A loco ad locum, vt à brachio ad femur. A remedio autem ad

Empiricæ sectæ autores. remedium, vt in diarrhoea à pomo ad mespilū. Huius sectæ autores & principes fuere Philinus Cous, qui primus eam à rationali separare ausus est, occasione ab Herophilo, cuius auditor fuit, sumpta. Quū autem suam sectam primam esse vellent, & rationali

Acro Agrigentinus. vetustiorem, Acronem Agrigentinum ei dedisse initium finxerunt. Quam sanè famam secutus Plinius

Cur Plinius à Creōte Agrigentino Empiricen repertam esse tradat. lib. 19. cap. 1. Empiricen in Sicilia à Creonte Agrigentino cœpisse tradit. Pōst Philinum Serapion Alexandreus secutus est. Dein Apollonii duo, pater & filius Antiocheni. Ab iis Glaucius, Menodotus, Sextus, Heraclides Tarentinus, & alii quorū sępe apud Galenum fit mentio, in ea secta floruerunt. Præterea

Methodici. sunt alii qui Methodicos sese nominant, quod scilicet methodum seu rationem artis & compendium sequantur, quasi vero nemo ante ipsos artē metho-

do tractarit. Hi non solum verbotenus cum reliquis sectis disceptare videntur, sed etiam multa artis opera nouare. Nam neq; locum patiẽtem ad curationis indicationem quicquam prodesse dicunt, neq; causam, neq; ætatem, neq; tempus, neq; regionem, neq; virium ægrotantis inspectionem, vel naturæ, vel ipsius habitus, neq; consuetudinem. Neglectis itaq; iis omnibus, à solis pathematis remedii indicatione petita, eandem sufficere aiunt. Nihil vero ab iis speciatim, sed communiter vniuersimq; statuunt, atq; iam κοινότητας, id est, communitates vocant, quæ simul ipsa particularia omnia comprehendunt. Cęterum nõ nulli horum, omnium morborum qui ex victus ratione proueniunt, nonnulli simpliciter omniũ, duas communitates, & tertiam aliquam mixtam indicare nituntur: nomina vero illis imponunt, adstrictionẽ & fluorem. Omnem deniq; morbũ aut clausum, aut fluxum, seu adstrictum vel fluentem esse, aut ex ambobus compositum dicunt. Si enim naturales corporum euacuationes retinentur, adstrictionem: sin iusto magis efferuntur, fluxum nominant. Quum vero & retinẽtur & efferuntur, complexum in hoc cõstitui asserunt, quemadmodũ in oculo inflammatione simul & defluxione laborante. Siquidem inflammationem, quæ clausum est pathos, quoniam nõ sola nunc, sed cum defluxione circa vnum eundemq; locum oborta est, totum facere compositũ pathos: auxilii autem indicationem in clausis, laxationẽ in fluxis autem, suppressionem esse affirmant. Genu, verbi gratia, si inflammationem patiatur: laxandum: ventriculum, vel oculum profluentem, comprimendum retinendũq; esse præcipiunt. In mixtis vero, ei quod vrget, vtpote magis infestanti, periculumq; inferenti, resistendum. Hoc autem est quod vehementiori

κοινότητες.

Cõmunitates.

Adstrictio.

Fluor.

occurrendū esse potius quàm alteri dictitant. Proin de omnibus, quæ artem iuuare falso putant, ablatis, ad solas communitates respiciunt, neq; longam esse artē, neq; difficilem, vt Hippocrates sensit, sed facillimam, & apertā, vt quæ sex mēsibus tota celerrime perdisci queat, contendunt. Methodicen sanè Themison Laudiceus Syrus incepit, qui ab Asclepiade rationali institutus, ad methodicæ sectæ inuentionē se cōtulit. Hinc est quod illū Galenus in multis locis cōmunitatū repertorē nominet. Hāc subinde Thessalus Trallianus absoluit, qui Plinio lib. 29. cap. 1. teste, sub Neronis pessimi nebulonis principatu vixit, deleuitq; cuncta maiorū placita, & rabie quadam in omnes æui medicos perorauit. Huius etiā bestiæ tanta fuit impudētia & arrogātia, vt monumēto suo in via Appia ἰατρονίκην, hoc est, medicorū victorem, sese inscripserit. Post hūc secuti Mnaseas, Dionysius, Proclus, & Antipatrus. In ea vero nōnihil dissenserūt Olympiacus Milesius, & Menemachus Aphrodiseus, & Soranus Ephesius, vt liquido constat ex iis quæ libro primo therap. meth. scribit Galenus. Cōmemoratarū iam duarū empiricę & methodicæ sectarū placita, passim in medēdi methodo, & in libro de sectis cōuellit Galenus. Extra prædictos sunt qui se à ratione, cui innitūtur, rationales & dogmaticos nominant. Hi corporis naturā cui mederi conantur, diligenter perdiscunt, omniū signorū exquisita habita ratione, causarū vires, in quas corpus quotidie incidēs aut salubrius, aut morbidū magis seipso euādit, inquirūt. Post hæc & aeris naturā, aquarū, locorum, officiorū seu institutorū vitæ, ciborū, potionū, & consuetudinum medicū peritum esse oportere dicunt, quo morborū omniū causas, & remediorū facultates inueniat. Præterea vt conijcere possit &

Methodicæ sectæ principes.

Cōmunitatum repertor.

Rationales seu dogmatici.

ratiocinari medicamentũ huiusmodi facultate præditum, si tali speciei causæ adhibeatur, tale quippiã effecturum esse. Nã priusquàm in ijs omnibus varie se exercuerit medicus, fieri nõ posse aiunt, vt remedijs abundet. Curationis indicationes nõ solum ab ipso affectu, verumetiã ab ægrotantis viribus, item ab ætate, anni tempore, ægri natura, regione, & alijs quæ antea cõmemorauimus, accipiunt. Deniq; nõ eunt inficias experientiã quoq; esse necessariã, negãt tamẽ per eã omnia posse inueniri. Ideoq; ad hãc aditum cõmode nõ fieri posse, nisi per aliquã rationẽ contendunt, quod aliàs incerta parumq; sibi cõstans sit. Cæterũ rationalis sectæ autor fuit Hippocrates Cous medicorũ omnium citra cõtrouersiã princeps. Post hũc Diocles Carystius, Praxagoras Cous, Chrysippus, Herophilus Chalcedonius, Erasistratus Chius, Mnestheus Athenæus, Asclepiades Bithynus, Cienus, qui & Prusias dictus est. Plura de tribus illis sectis scribit Galenus in libro de his ipsis ædito, & in eo quem de optima secta inscripsit.

Rationalis sectæ autores.

Quot partes medicinæ.

Cap. V.

Primariæ medicinæ partes sunt quinq;, quæ à Græcis ijs appellantur nominibus, φυσιολογικὴ, ὑγιεινὴ, αἰτιολογικὴ, σημειωτικὴ, καὶ θεραπευτική. φυσιολογικὴ autem dicitur pars in qua de hominis natura atque constitutione disseritur. Ad eam medicinæ partem spectant Galeni libri de elementis, de temperamentis, de facultatibus naturalibus, de fœtus formatione, de placitis Hippocratis & Platonis, de vsu partium corporis humani, & alij quotquot sunt anatomici, quos ob id naturales vocat. Siquidem in ijs causæ constitutionis partium totius animalis, & humani corporis assignantur. ὑγιεινὴ vero est quæ

φυσιολογική.

Naturales libri.

ὑγιεινή.

sanitatem tuetur, ac præcauet quo minus corpora in morbos incidant. Hâc absolutissime in libris, quibus de sanitate tuenda titulum indidit Galenus tradit, & in libris de alimentorum facultatibus, & in eo quem de cibis boni & mali succi edidit. αἰτιολογική, quæ etiam παθολογική dicitur, est quæ causas & symptomata inquirit. Ad hanc medicinæ partem pertinent Galeni libri de morborum & symptomatum causis & differentijs inscripti, & quibus titulum fecit de patientibus locis. σημειωτική est quæ cognitionem preteritorum, inspectionem præsentium, & futurorũ prædictionem continet. Hæc ab Hippocrate exquisite tradita est in iis libris quibus titulum prætulit de præsagiis. Et post hunc à Galeno in libris de crisibus, de diebus decretoriis, de differentiis febrium, de prænotione, deq; prædictione ex pulsibus. θεραπευτική est in qua medendi ratio docetur. Et diducitur in tres partes, nempe διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, καὶ χειρουργικήν. διαιτητική est quæ victus ratione morbis mederi docet. Hæc sanè nobilissima atq; adeo præcipua medicinæ pars est, sine qua reliqua eiusdem pars quæ curandis morbis præest, consistere nõ valet. Hinc est quod Hippocrates de victus ratiõe quæ morbis acutis conuenit, tres acurata opera scriptos libros, posteritati relinquere voluerit: in quibus sanè luculenter ostendit, quàm non raro in iis morbis leuiculum admodum in victus ratione erratum, maximi incommodi atq; adeo interitus causa fit. Vnde admirari satis non possum nostri seculi medicorum quorundam oscitantiam ac imperitiã, qui eius partis in profligandis morbis nullam prorsus rationem habent, sed pręclare actum esse cum ægroto putant, si vnam aut alteram, vt vocant, receptã ex qualibuscunq; medicamentis cõcinnatã conscripserint,

Margin notes: αἰτιολογική. — σημειωτική. — θεραπευτική. — διαιτητική. — Quorundã medicorum nostri seculi oscitãtia.

& ad seplasiarios æque imperitos transmiserint, non magnopere curantes qua ille ratione victus vtatur. φαρμακευτικὴ est quæ medicamētis intra & extra corpus admotis medetur. Sunt vero duplicia medicamenta, simplicia nimirum & composita. Primū itaq; ad exactam curandi rationem necessaria est simplicium cognitio. Neque hęc cura in seplasiarios, homines magna ex parte indoctissimos, aut stolidas muliercula s reiicienda, sed est potius nobis cuiusq; simplicis medicamenti & facies & facultas cognoscēda. Nam vt ridiculum, imo turpe est fabrum lignarium serram, aut asciam sutorem subulam, sartorem forficem ignorare: sic etiam ridendus sit medicus oportet, qui eius artis quam profitetur materiam nō perspectam habet. In simplicibus vero medicamentis agnoscendis omnium maxime conferent inter Græcos, Dioscorides, Galenus, Theophrastus, Aetius, Paulus, Oribasius, & Actuarius. Neque enim veteres tantum Græci ad hanc rem probe perdiscendā sunt adhibendi, sed etiā posteriores, quod illi multa protulerint quæ prioribus incognita fuerunt, & quorū hodie frequens adhuc in officinis nostris vsus est. Inter Latinos quem in hoc negocio consulas neminem habes præter Plinium, qui certe hoc potissimū nomine non contemnendus erit, quod multa in eo sint medicamenta à nullo Græcorum aut Latinorū, qui hodie extent, descripta. Quum vero interdum in simplicium descriptione virum hunc doctissimū cæcutire manifestissimum sit, cum iudicio & delectu pleraq; illius legas oportet. Auicennam aliosq; Arabes in simplicibus perdiscendis imitari haud consultum, quod in iis describendis mirifice hallucinentur, atque non raro vnam pro altera pingant, quemadmodū ī Paradoxis nostris dilucide mōstrauimus.

φαρμακευτικὴ.

Simpliciū medicamentorum cognitio necessaria.

Qui scriptores ad simplicium notitiam cōferunt quendam necessarii.

Plinius in simplicium cognitione nō negligendus.

Arabes in simplicibus dignoscendis haud imitandi.

Cæterum nos non parum, vt speramus, conatus eorum qui cognoscere plantas student adiuuimus in

Commentarii Fuchsii de plãtarum historia.

cõmentariis nostris de plantarum historia, quos Deo volente statim edemus: neque enim diutius expectationem multorum suspensam tenebimus. Pręterea cũ non omnes affectus simplices sint, sed ex ijs multi

Compositorum medicamentorũ vsus necessarius.

compositi, vt componendorum etiam medicamentorum veram rationem teneamus necesse erit. In qua certe minus aberrabit, qui simplicium medicamentorum cognitione prędıtus fuerit. Præstat au-

Cõponendi ratio veterum.

tem in cõponendis medicamentis veteres sequi, qui primum ijs tantum vsi sunt in suis compositionibus medicamentis, quorum exquisitam notitiam habebant. Dein in simplicibus coaceruãdis, nisi aliud necessitas exegisset, haud immodici fuerunt, adeo vt in quibusdam vltra quartam speciem non sint progressi id quod pleraq; testantur illorum medicamẽ-

Medicorũ nostri tẽporis in cõponẽdis medicamẽtis stultitia et lasciuia.

ta, quibus hoc nomine διὰ τεσσάρων appellationem indiderunt. A qua tamen componendorum medicamentorum ratione longe absunt nostri temporis medici. Hi siquidem principio ea potissimum suis compositionis adhibent medicamenta, quę nec ipsi, nec pharmacopolæ perspecta habent. Neq; sanè aliquid se effecisse arbitrantur, nisi Indiam, Aethiopiã, Arabiam, & illos extrema orbis partes sitos Garamãtas coniungant, vel vt breuius dicam, nisi à tribus mundi partibus conquisita medicamenta corraserint. Qua quidem stultitia, Plinii etiam ætate nonnullos laborasse, satis constat ex ijs quæ ille lib. 14. cap. 1. in eum scribit modum: Postea fraudes hominum & ingeniorum capturæ, officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compositiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio

æstimantur, vlceriq; paruo medicina à rubro mari ,,
importatur, quum remedia vera quotidie pauper- ,,
rimus quisque cœnet. Hactenus Plinius. Dein no- ,,
stri seculi medici in corradendis tam simplicibus quàm compositis medicamentis, idq. prçter omnem necessitatem, nullum prorsus modum seruant. Et hic certe magno conatu vnus alium superare annititur, quod scilicet quanto quis plura miscuerit, tanto doctior ab aliis reputetur, maioriq; in precio habeatur. Vbi dum suis cupiditatibus indulgent, ac eruditionem ostentare conantur, Deus bone, quàm monstrosas effingunt compositiones, & quàm præter spem suam inscitiã pro eruditione doctis omnib. produnt. Proinde tametsi necesse sit nonnunquam eiusmodi aliquod adhibere medicamentum, quod multis sese opponat affectibus, quandoquidem morbi multipliciter sint compositi tamen ex ijs quæ cognita nobis sunt compositum esse, modumq; pro affectuum ratione adesse oportet. Exactam medicamentorum compositionem qua veteres vsi sunt, tradit Galenus in libris de Compos. medic. κατὰ γένη, καὶ κατὰ τόπους, & post hunc Paulus Aegineta in septimo. Nostra ætas ex Auicennę, Rhazis, Mesues, & Nicolai præscripto, sua medicamenta componit ac miscet. Sed an passim rectè, facile sciunt qui singulas illorum compositiones paulo diligentius examinant. Vsitatam nostro hoc seculo componendorum medicamentorũ rationẽ alibi trademus: neq; enim compẽdij ratio illam exigere videtur. Cęterũ tertia medicationis pars χειρουργικὴ dicta, est ea quæ manibus medetur. Hanc in multis libris Galen. magna cum laude tradidit, vt liquet ex eo libello quẽ de propriis libris edidit. Sed iniuria temporis quotquot eius generis fuerunt monumenta, perierunt:

χειρουργική.

neque extat vllum hodie de chirurgia Græcorum ſcriptum, quod ſciam, præter ſextum Pauli Aeginetæ librum, quem tamen, vt alios omnes, ex Galeni ſcriptis conſarcinatum eſſe conſtat.

Vniuerſæ medicinę in tres ordines diſtributio. Cap. VI.

MAiores noſtri, prudentes ſanè viri, vniuerſam medicinam in tres ordines digeſſerũt: idq; nõ alio conſilio, quàm vt medicinæ ſtudioſi eos diligẽter perdiſcerent, ac memoriç mandarent, inq; illos quicquid vſquam apud probatos medicinæ autores ſcriptum eſſet referrent, adeo vt ſi quid explicandũ declarandum'ue occurreret, ex iſtis ſtatim ceu commu- nibus locis ac formulis peterent. Primus ordo earũ eſt rerum, ex quibus corpus humanum compactum & conſtitutum eſt. Placitum vero iiſdem viris eſt, vt eas quę corpus noſtrum conſtituunt vocarent Res naturales, quod ſcilicet ad humani corporis perfectionem atque naturam concurrerent. Natura enim Galeno lib. 3. de temp. cap. 4. vniuerſam ſubſtantiã, ac temperiem, quæ ex primis conflatur elementis, ſignificat. Secundus ordo earum eſt rerũ quibus corpus humanum fouetur, vt ſanum permaneat: Has quidẽ Non naturales nominauerunt, non ſanè quod in vniuerſum ac ſimpliciter corpori noſtro aduerſarentur, ſed quod ſiniſtre adhibitæ corpus humanũ alterent, atque adeo ſanitatem deſtruant. Hinc eſt quod Galen. cap. 85. artis medicę, appellet eas res corpus noſtrum neceſſario alterantes, vt ſuo loco latius exponemus. Tertius ordo earum rerum eſt quæ corpus humanum lędunt, atque corrumpunt: has Res præter naturam nuncupauerunt, quod nimirum humani corporis naturæ ex diametro pugnarent. Galen. lib. 1. therap. metho. vocat affectus

Primus ordo. Res naturales. Natura quid. Secundus. Res non naturales. Tertius. Res præter naturam. Affectus præter naturam.

præter

præter naturam, quod scilicet corpus nostrum præter naturam afficiant.

De rerum naturalium numero.

Cap. VII.

NVnc de prima medicinæ parte, quam supra physiologiam appellari à Græcis diximus: quæ nimirum de iis rebus tractat, quę ad naturã, atq; adeo constitutionem humani corporis pertinent, verba faciemus. Merito autem hæc medicinę pars primum sibi vendicat locum, quod nemo recte remedia adhibere queat, nisi prius vniuersam corporis constitutionem exacte cognoscat. Res itaq; ad corporis nostri naturam atq; constitutionem concurrentes, quas naturales dici paulo ante monstrauimus, numero sunt septem:

φυσιολογία.

Res naturales numero septẽ.

1 Elementa: Aer, ignis, aqua, terra.
2 Temperamenta: Calidum, frigidum, humidum, siccum.
3 Humores: Sanguis, bilis flaua & atra, pituita.
4 Partes: Caro, os, cerebrũ, cor, iecur, caput, manus.
5 Facultates: Animalis, vitalis, naturalis.
6 Actiones: Animalis, & naturalis.
7 Spiritus: Animalis, vitalis, naturalis.

Has itaq; res septem, pro cõpendii ratione, breuiter & ordine explicabimus, ab elementis sumpto initio.

De elementis. Cap. VIII.

CVm elementi vox ambigua sit, principio animaduertendum erit, nobis hoc in loco de communibus omnium rerum & primariis elementis sermonẽ esse. Quorum vt exquisitam habeamus notitiam, definiendum initio erit quid sit elementum. Nam vt prudentissime monet Cic. in Offic. omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id de quo

Elemētū quid. disputatur. Elementum itaq; Galeno lib. 1. de elementis autore, est minima rei quam constituit portio. vel, vt idem lib. 8. de Hippoc. & Platonis placitis definit, minima pars eius rei cuius est elementum. Poterit etiam sic finiri: Elementum est prima & simplicissima pars, quæ in alias diuidi haud potest. Quę sanè definitio à prioribus nihil differt, quod, Galeno loco iam citato teste, minimum sit quod amplius suscipere sectionem non potest.

Minimum.

Simplex.

Simplex vero, quod immixtum intemperatumue, & qualitate summum est. Similitudine & exemplo rē studiosi rectius assequētur: Quemadmodum elementa grammaticorum seu literæ minimæ partes vocis compositæ sunt, sic etiā mundi elementa corporis humani. Vox enim composita tota hæc est: Iram pande mihi Pelidæ diua superbi. cuius quidem partes sunt, iram, & pande, & mihi, & Pelidæ, & diua, & superbi. Vnaquæq; autem harum iterum in syllabas, syllabæ rursus in elementa secantur. I nanq; prima syllaba uno cōstat elemento. ram, tribus composita est, quorum nullum in alia minora partiri potest. Sic humanum corpus totum quoddam est, cuius partes sunt caput, manus, pedes, & id genus aliæ: quarum vnaquęq; iterum ex similaribus dictis partibus, de quibus suo dicemus loco, cōstat, quæ rursus ex quatuor humoribus & semine generatæ sunt. Hæc tandem ex elementis. multis tamē interuenientibus mutationibus, vtpote minimis corporis humani partibus, ortum habent.

Elemēta quot. Elementa vero omnium rerum communia & primaria, hoc est, ex quibus, & in quæ simplicissima cuncta & constant, & resoluuntur, quatuor existunt, ignis, aër, aqua, terra. Vel de Hippoc. sententia, qui in opere de natura humana, & aliàs etiam, elementa qualitatum nominibus appellat, calidum, humidum, frigidum, sicc.

cum. Calidum siquidem is appellat neque solam qualitatem; neque quod per excellentiam ipsi simile nomen sortitur, sed corpus summae compos qualitatis, frigidum in quo extrema frigiditas, humidum in quo summa humiditas, & siccum in quo suprema siccitas existit. Hinc colligitur iuxta Hippoc. assertionem, animantia non ex qualitatibus tantum, ut quibus sine corporibus ne esse quidem licet, sed ex ipsis videlicet corporibus quae summas qualitates receperunt, nasci, in quae etiam dum moriuntur rursus resoluuntur. Substantiae itaque elementorum homine diem obeunte recedunt, mundique elementis immiscentur. Qualitates vero post animantis vitam vere corrumpuntur, ad propriam vero naturam nō redeunt. Quapropter in libro de natura humana sic scriptum reliquit Hippocrates: Homine fato fungente singula in propriam naturam reuertuntur, siccum in siccum, humidum in humidum, calidum in calidum, frigidum in frigidum. Huiusmodi tum animantium, tum aliorum omnium natura est. Nam cuncta simili modo nascuntur, & similiter desinunt. Natura siquidem ipsorum ab iis quae commemorauimus vniuersis constituitur, & singula in idem supradicta ratione, vnde constituta sunt, terminantur, eodem igitur & recedunt. Porro elementa in animalis constitutione non manent pura & impermixta, sed inter se temperantur, sic ut vnum aliquod ab iis separatū ac discretum, quod neque ignis, neque aër, neque aqua, neque terra dici possit, generetur, quod subinde à forma quae iuxta elementorum proportionem producitur, denominationem sortitur, haud secus quàm tetrapharmacū, quod neque ceram, neque picem, neque resinā, neque adipem, etsi ex iis compositum sit, recte dixeris. Proinde cum elementa in

Calidum quid Hippocrati significet.

Animantiū corpora non ex qualitatib' dūtaxat elemētorum nasci.

Elemēta in animalis cōstitutione non manent pura.

Tetrapharmacum.

Nihil in corporibus animantium simplex & immixtum.

ter se κίκραται, hoc est, mixta & temperata sint, intemperatum, simplex, & immixtum in animantium corporib. nemo disquirat, aut ipse prior ceram, aut resinam, aut picem, aut adipem in tetrapharmaco solam, nec aliis commixtam ostendat. Non poterit autem quum iam singula inter se mixta sint, quicquam illorum integrum & syncerum monstrare. Desine igitur, vt etiam Galenus lib. 1. de elementis monet, in animalium corporibus immixtum quippiam disquirere, contentus si hanc quidem frigidam, siccam & densam videas particulam, meminisse terræ: illã humidam, raram & fluxilem, in aquæ considerationem venire. Porro ignem tibi calor in corpore animantis exuperans repræsentet. Vbi naturam spiritus perpẽderis, aër animo tuo succurrat. Non potest enim vere elementorum sensus fieri iudex: cum enim minimæ corporis sint partes, fit vt sensibus percipi nequeãt.

Sensus verè elementorum nõ est iudex.

Sic sanè particula nõ quæ simplicissima & primaria videtur, sed quæ natura talis existit vere elementum est. Ex iis igitur omnibus perspicuum fit, recte Hippocratem non hominis modo, sed aliorum quoq; animantium naturam ex calido, frigido, humido, & sicco inuicem commixtis constare tradidisse. Nisi enim elementa hæc inuicem commiscerentur, homo aut animal consistere haud posset. Nam quancunq; corporis partem summis suis qualitatibus præditam occuparent singulatim, illam certe corrumperent. Nulla siquidem in summo calidum, aut frigidum, humidũ aut siccũ, salua tolerare posset. Vnde rursus liquido constat, non solum ex inuicẽ commixtis, & sic qualia sunt remanentibus elementis, velut in tritici, hordei, eruorum, & fabarum aceruo fit, sed alteratis transmutatisq;, & per tota commixtis, corpora animantium generari: nam hæc palàm in se

Non solum ex cõmixtis inuicẽ elemẽtis, & sic qualia sint remanentibus, animantiũ corpora generantur.

mutuo agunt: atq; vt agant, non ex cõcretione & separatione habent, sed quod substantia per seipsam totam patiatur & alteretur. Neq; enim negandum est substantiam per se totam alterari, quia sic dolorẽ, voluptatem, sensum, memoriam, ratiocinationẽ, ipsamq; adeo animam de medio tollemus. Qualitates vero quatuor, quas summas elementa obtinent, subiectam substantiam alterantes, mutuę inter se elementorum transmutationis causæ sunt. Medico autem elementa ideo sunt consideranda, vt cognoscat ex calidi & frigidi, sicci & humidi temperatura sanitatem effici: ex horum contra intemperaturis morbos animalibus accidere. Cæterum hoc in loco nõ prætereundum erit quod elementum differat à principio. Siquidem elementa sunt corpora simplicia, vt dictum est, ex aliis se simpliciorib. facta, quæ in partes diuersarum specierum diuidi haud possunt: ac sunt planè eiusdem generis cum iis quorum sunt elementa. Principia vero sunt quę non fiunt ex se vicissim, neq; ex aliis, sed ex se omnia quæ fiunt naturaliter producunt. Hæcq; vt sint eiusdem generis cũ rebus quarum sunt principia, non est necesse. Vnde liquet elementa non esse qualitates, vt quidã putãt, sed potius substantias quib. quatuor qualitates insunt. Corpora enim cum sint, substantiæ etiam, & minime qualitates sint necesse est: Qualitates vero quatuor, summa scilicet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, vnà cum materia quæ omnibus subiecta est, principia sunt. Ex qualitatibus enim & materia, elementa procreata sunt. Hæ enim solæ subiectam substantiam alterantes, mutuæ inter se elementorum transmutationis sunt causæ: id quod exemplo cõstitutionis hominis clarius intelligent studiosis. Is nãq; ex principiis & simplicissimis sensibus elementis,

Medico elementa cur consideranda.



quæ similiares alio nomine vocantur partes, cōstat. Hę rursus ex quatuor humoribus, sanguine, pituita, & vtraq; bile. Hi iterum ex cibo potuq; proueniunt, qui rursus aëri, aquæ igni & terrę generationem suā debent. Hæc vero non ex aliis corporibus, sed ex materia & qualitatibus, vt commemoratum est, profi- ciscuntur. Nam cum summa caliditas materiæ inna- scitur, ignis efficitur. Eodem modo alia, cum frigidi- tas, & humiditas, & siccitas eidem innascitur. Expe- dit autem hanc tenere differentiam, vt intelligamus cur philosophi secus ac medici à principiis potius quàm elementis ordiendum esse iudicauerint. Quæ- runt enim illi causam, cur inter se elementa misceri ac transmutari queant. Hæc omnia copiosius prose- quuntur Hippocrates in libro de natura humana, & post hunc Galenus in lib. 1. de elementis, & in com- mentariis in librum de humana natura editis.

De temperamentis. Cap. IX.

PRoximum est vt de temperamētis differamus, quandoquidem inter res naturales secundum obtineant locum. Vt autem à definitione ordiamur, sciendum temperamentum nihil aliud esse quàm ex quatuor elementis, seu calido, frigido, humido & sicco mixturam. Præterea neq; hoc prętereundum silentio erit, temperamentorum differentias in vni- uersum nouem esse: temperatam quidem vnam, non temperatas octo. quarum quatuor simplices sunt, humida, sicca, calida, & frigida: quatuor compositæ, humida simul & calida, sicca pariter & calida, frigida simul & humida, frigida simul & sicca. Temperatum vero, quod Græci εὔκρατον, nostri autem temporis medici æquale vocāt, duplex est: vnum quidem temperatum simpliciter dictum, alterum autem temperatum in singulis generibus.

Temperamētū quid.

Nouem temperamentorum differentiæ.

Temperatum

Temperatum simpliciter, hoc est, ad vniuersam substantiam, vel respectu totius naturæ, est in quo prorsus æqua elementorum portio existit. Hoc certe cogitatione potius vsurpatur: vt, inquit lib. 1. de tuenda valetudine. Gal. quàm vt solidè subsistat. Temperatum vero in singulis generibus est, in quo ea contrariorum elementorum mediocritas existit, quæ cum animantis tum stirpis naturæ maxime cõuenit. Hæc quidem in sanis, & in omnibus quę pro sua natura optime se habent, consistit. Optime vero se habere aliquid pro sua natura ex ipsis functionibus intelligitur. Quippe animal, ac plantam quamlibet, tum optime se habere dicimus, quum optime suam functionem obeunt. Ficũ, verbi gratia, tum optime se habere dicimus, cũ optimos plurimosq; ficus profert, Equum vero, quum velocissime currit. Hæc igitur omnia, animalia nimirum & plantas, optimam mediamq; habere in suo genere temperiem dicimus, non vtiq; absoluto sermone, quum paritas exacta contrariorum in iis est, sed quum ea mediocritas quæ ad potestatem refertur, hoc est, quæ maxime poterit, his adest. Eiusmodi aliquid & iustitiam esse dicimus, nõ quæ pondere & mensura, sed quæ eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat. Hæc enim vnicuiq; pro dignitate quod suum est tribuit, veluti diis, parentibus, cognatis, amicis, domesticis, & ciuibus. Hinc est quod Iurecõsultus in. l. x. ff de iustitia & iure, sic finire iustitiam voluerit: Est, inquit, constans & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi. Huc respicientes nostræ ætatis medici, temperaturã ęqualem duplicem fecerunt. Vnam ad pondus nominantes, in qua par elementorũ cõmixtorũ spectatur moles, quam nusquam inueniri dixerunt. Alterã ad iustitiam, in qua nimirũ sic cõmixta sunt elemen-

Simpliciter

In singulis generibus

Iustitia quid.

Temperatura æqualis Ad pondus.

Ad iustitiam.

ta, vt illa mediocritas quæ horum mixturam sequitur, naturæ animantis ac plantæ conueniat. Ex quibus omnibus manifesto constat temperaturæ æqualitatem in omnib. temperatis animalibus plantisq; nō eam esse, quæ ex pari & æqua contrariorum inter se coëuntium portione constat: sed quæ tum animalis, tum plantæ naturæ conuenit. Quod si vero alicui violentum appareat temperati seu medii temperamenti nomine censeri, quod ad vnguem temperatum non sit, is quæso reliquorum in vita hominum vsum ad memoriam reuocet, vbi & potionem & balneum temperatum dicimus, non solum quum alterū huic, alterum illi tale est, sed etiam quum ad eundem hominem in latitudine tale est. Nam si auersa paululum qui biberit, iniecerit quis in calicem calidæ frigidæ ue exiguum, nullam mediocris temperamenti mutationem deprehendet. Ad eundem modū neq; si quis in solium temperatum, frigidæ pusillum iniecerit, temperaturam mediam protinus corruperit. Quin ambientem quoq; nos aërem temperatum dicimus, etiamsi in alterutram partem paululū sit propensus. Et quid miri si ἀνκρασία in satis amplam latitudinem extendatur, quando etiam in lyris consonātiam ipsam, quæ summa exactissimaq; est, vnicā atq; insectilem esse probabile fit? quæ in vsus hominum venit certe latitudinem habet. Sæpe nanq; quā per commode temperasse videaris, alter superueniens musicus exacte temperauit. Iam itaq; monstrauimus ἄκρατον siue temperatum simpliciter dici, quod medium planè est in vtroq; contrariorum genere, ita vt non magis sit calidum quàm frigidum, aut humidū quàm siccum. In animantium vero & plantarum genere, in quo ea est mediocritas quę tum animantis, tum plantæ naturę conuenit. Proinde in primo, cō-

Obiectionis dissolutio.

ἀνκρασία in latitudinem extēditur.

traria quę sunt in eo, comparare inter se, ac estimare oportet, atq; adeo ad elementorum portiones temperiem referre: in altera vero ad actiones. Cæterum vbi quid ab illa mediocritate recedit, intemperatum dicitur, & ab eo contrariorum quod superat, nomen accipit. Calidum siquidem vocatur, in quo calidum frigido prævalet: frigidum autem, in quo frigidum calido præstat. Idem statuendum de humido & sicco. At si in vtraq; oppositione alterum superet, siue calidum vna cum humido, siue calidum simul cum sicco, siue frigidum simul cum humido, siue frigidũ vna cum sicco, vtiq; pro vincenti sortietur id corpus appellationem. Hinc constat quod interdum temperatura aliqua in vna oppositione sit temperata, in altera vero intemperata. Si nanq; necessariũ omnino non est siccam esse quæ calida sit, sed licet eam & humidam esse, licebit vtiq; & mediã esse: propior nanq; siccæ temperaturę media est quàm humida. Ad eundem modum est & frigida quædam temperatura altera, in qua nimirum frigidum pollet: hanc tamen nec humidam esse, nec siccam, est necesse, sed potest inter has & media esse. Rursus enim hic quoq; eandem afferes rationem, nempe: Si non est necesse frigidam temperaturam esse humidam, scilicet & siccam eam fieri manifestum est, mediam quoq; esse posse, quippe quæ vicinior humidæ est quàm sicca. Præterea sicuti necesse non est, si qua temperatura sicca est, hanc protinus calidam quoq; esse, sed fieri potest vt etiam frigida sit: ita fieri potest vt quæpiam nec calida sit nec frigida, sed in hac quidem oppositione temperata, in altera, sicca. Simili modo nec humidam temperaturam necesse est calidam, frigidam'ue esse: sed eam mediam esse inter huius oppositionis extrema licet. Si igitur necesse non est, vt vel intem

Intemperatum

Simplex.

Compositum.

Temperatum in vna oppositione in altera intemperatum.

periem quæ in calido est & frigido, sequatur ea quæ est in altera oppositione in temperies, vel hanc, quæ in illa, licebit aliquando & naturam quæ in caliditate & frigiditate temperata est, vel siccam esse, vel humidam: & rursus quæ in siccitate & humiditate temperata est, vel calidam esse, vel frigidam, adeo vt mirum non sit aliquid ex dimidio esse temperatum, & ex dimidio intemperatum. Cæterum hoc loco diligenter consideradum erit, quod quærenti cuius sit temperamēti homo, equus, bos, canis, aliud'ue quodlibet, nōn sit absolute sermone respondendum: non enim fieri potest, vt q ad ea, quæ multis modis sunt dicta, & inter se diuisa, vno modo respondet, non coarguatur. Oportet igitur duorum alterum, aut oēs percensere differentias, aut percontatum prius, de qua rogauerit, illam solam dicere. Nam si vt in animalibus, cuius esset temperamenti rogauerit, ad id quod medio est inter omnia animalia temperamento, hominem nimirum, respicientes, respōdere oportet. Si vero absolute, atq; vt ad omnem substantiam: sic contraria quæ sunt in eo, cōparare inter se oportet atq; æstimare, haudquaquam ad functionem temperiem referentes, sed ad elementorum portiones.

Quærenti cuius temperamēti sit homo, non est absoluto sermone respondēdum.

Vt autem respondendo minus aberremus, animaduertendum calidum, frigidum, humidum & siccum multipliciter accipi Primum absolute, sic scilicet vt sit syncerum, simplex, & mixtura careat, ac de nullo alio dicatur. Hoc modo sola elemēta, calida, frigida, humida, sicca'ue dicuntur, quod nimirum syncera sint, & à mixtione aliena: id quod de nullo alio corpore dici potest. Neq; enim vllum reliquorū corporū prorsus & absolute calidū, frigidū, humidū, sicum'ue est, sed sola elemēta: quicquid igitur præter hæc corperis, ex horū mixtura cōstat, Secūdo loco calidum

Calidi, frigidi, humidi, sicciue acceptiones.

Absolute

Per experienciam.

frigidum,humidum,siccum'ue nō absoluta ratione, sed per excessum exuperantiam'ue dicitur id, quod ex contrariis quidem inter se mixtis constat, cęterū expollentis in temperatura nomine appellatur. Sic animal ab eo quod in mixtura pollet,appellationem sortitur. Calidum nanq; id vocamus, in quo maior est caliditatis portio: frigidum,in quo frigiditatis: ita vero humidum,in quo humidum sicco plus valet: sic cum, in quo siccum humido præstat. Hac etiam ratione sanguis,pituita,vinum,oleum,mel pilus,lignū, calida,frigida,humida,vel sicca dicuntur. Quod uero hoc pacto calidum, frigidum, humidū,siccum'ue nominatur,iterum bifariam dicitur. Primum absolute,hoc est,nulli priuatim & seorsim collatum, sed vt ad totam suam naturam, vniuersam'ue substantiam. Ita sanè canis simpliciter & absolute,prout videlicet alteri,verbi gratia,formicæ non comparatur, siccus vocatur. Altero modo non absolute,id est, alicui collatum. Idq; rursus trifariā: vel enim symmetro eiusdem generis confertur,veluti si homo ad apem,aut formicam collatus fuerit: vel confertur symmetro eiusdem speciei,vt si homo ad hominem,canis ad canem collatus fuerit: vel vnicuilibet obuio comparatur,veluti Dion Theoni,Ariston Glauconi: vt calidi, frigidi, humidi,& sicci acceptiōes in vniuersum septem sint, quemadmodum dilucide ex sequenti schemate colligere licebit.

Absolute.

Non absolute.

Calidum, frigidum, humidum, ſiccum'ue duob. dicitur modis,

- Abſolute, vt ſit ſyncerum, immixtum, & ſimplex, vt ignis, aër, aqua, terra.
- Per exuperantiam, idq; bifariam,
  - Abſolute, hoc eſt, nulli ſeorſum collatum, ſed vt ad vniuerſam naturam ſubſtantiam'ue ſuam.
  - Non abſolute, id eſt alicui collatum, ſcilicet,
    - Eiuſdem
      - Generis
      - Speciei
      - ſymmetro.
    - Vnicuilibet obuio.

His diligenter expensis, quid primum de anni temporum, quæ quatuor sunt, ver, æstas, autumnus, & hyems, temperamentis statuendum sit facile cognoscitur. Horum siquidem quodlibet ex suapte æstimatum natura, non ex alterius comparatione calidum, frigidum, humidum, siccum'ue nominari debet: Et si ad hanc formulam æstimes, apparebit tibi ver esse omnis excessus planè in medio, cũ neq; sicut in hyeme plus valeat in eo frigidum quàm calidum, neq; sicut in æstate minus. Ad eundem modum siccitatis humiditatisq. æquabilitas in eo spectatur, neq; scilicet in eo sicut in æstate prævalente sicco, neq; sicut in hyeme exuperãte humido. Proinde recte ab Hippocrate est dictum, ver esse saluberrimum, ac minime morbis qui mortem afferunt obnoxium. Non vero inquit, planè morbis vacat, nam hac ratione sibiipsi contradiceret, quum ibidem multos, atq; adeo peculiares verni temporis morbos percenseat, sed ἥκιστα θανατώδης, idest, minime mortiferum, vel vt antea interpretati sumus, morbis qui mortem afferunt minime obnoxium. Omnes enim morbi quos illic commemorat Hippoc. periculo vacant, neq; alia ratione accidunt, quàm quod profundum corporis hoc tẽpore expurgatur, vitiosis humoribus a partibus principatum in corpore obtinentibus ad cutem peruenientibus. Atq. adeo corpori potius, quod malis humoribus refertum est, imputandum erit, quàm tẽpori, si Vere quispiam ægrotat. Si enim aliquod corpus bonos obtinens humores vernum tempus excipiat, hoc seruat saluberrimum, nihil ex propria natura nouans. Non sic æstas, autumnus, vel hyems: hæc enim tempora etsi purum corpus, & omni vacans reprehensione suscipiant, tamen hæc quidem flauam bilẽ, hic atrã, hyems vero pituitã generat. Sed quæ

De temperamẽtis quatuor temporum anni.

Veris temperamentum.

3. aph. 9. Ver saluberrimum.

3. aph. 20.

Obiectio.

diximus nunc, fortè sciolus quispiam in eũ impugna bit modum, ver minime temperatum esse dicens, eo quod eius initium ac finis in frigus ac siccitatẽ propensa sint. Cui sic respondemus Fatemur quidẽ Veris initium, quod hyemi proximũ est, ad frigus propensum esse, ac eiusdem finem, qui æstati proximũ s existit, ad siccitatem: tamen haud immodice, sicut hyemem & æstatem, atq; adeo citra excessum qui mediocritatis & ἀκρασίας latitudinem, de qua suprà etiam diximus, transiliat. Eadem sanè ratione natationem esse temperatam adhuc dicimus, non obstante quod in alterutram partem paulum sit propensa. Sic etiam nihil prohibet quin ver temperatum sit, etiamsi eius initium & finis in frigiditatem & siccitatem paululum declinent, quod hæc declinatio excessus nomine censeri non queat. Hinc sanè perspicuum sit propriæ loquendo, ver calidum & humidum dici non posse, quod nimirum calidum esse ac temperatum inter se pugnent. Calidum siquidem excessum indicat, temperatum vero omnis excessus planè in medio est, igitur idipsum cum calido statu non coincidit. Accedit quod omnium aëris temperamentorum pessimum id existat, quod calidum & humidum est. Vbi enim totus annus calidus & humidus fuerit, necesse est magna pestilentia succedat, quemadmodum copiose in libro de temp. ostendit Gal. Quod vero Hippoc. lib. 1. de nat. hum. & medicorum philosophorumq́, nonnulli ver calidum & humidum dixerint, non alia ratione sunt adducti, quàm quod quatuor anni temporibus, quatuor temperamentorum coniugationes aptare voluerũt. Sic enim in temporibus anni hoc dixerunt humidum et calidum, vt in genere corporeorum animalia, hæc cum plantis conferentes. Ver enim cum autumno

Responsio

Ver nõ est calidũ & humidũ.

Quare Hippocrates uer esse calidum & humidum dixerit.

contulerunt. Galen. autem per se & ex sua natura æstimat anni tempora. Cæterum æstas calida & sicca est, quod in ea humor vincitur à sicco; & frigidū à calido. Autumnus autem absoluto sermone, & citra exceptionem non dicendus est frigidus & siccus, vt quibusdam placet. Non enim frigidus est, si ipse per se spectetur, quod scilicet in eo frigiditas nō superet calorē, sed modo in eo frigus nos afficiat, modo calor vrgeat. Quippe meridie multo' est calidior, quàm mane aut vesperi. Proinde in calore & frigore, inæqualis esse plane deprehēditur, & mixtus ex ambobus, vt hac ratiōe nec calidus absolute, nec frigidus dici queat. Atq; ea res est, quę maxime mortiferum, ut ait Hippocrates, autumnū facit, inæqualis nimirum in calore & frigore intemperies. Porro' cum in hamido et sicco medium omnino statum nō obtineat, quemadmodum ver, sed ad siccius deuergat, atq; adeo' vincat in eo, siccitas hnmiditatem, merito hac ratione siccus appellatur. Hyems sanè humida & frigida dicitur, non equidem ea de causa, quod reliquis temporibus humidior, frigidiorq; sit, sed quod humiditas in ea superet siccitatem, & frigiditas calorem. Hactenus de temporum anni temperamentis pro ratione compendii quambreuissimè disserimus, reliquum est vt etiam ætatū tēperamenta explicemus. Aetates aūt in vniuersum quatuor sunt, pueritia scilicet, pubertas, iuuentus, & senectus. Pueritia quidem, quæ statim ab eo tempore quo vterū matris infans egreditur incipit, & ad quintum decimum annum durat, calida & humida est. Quod primū hinc colligi potest, qa prima eius in vtero cōstitutio ex semine & sanguine est, quæ humidę & calidæ res sunt. Dein quū infans parit adhuc summè est humidus, idq; non in sanguinis uasis mō & visceribus,

A estatis temperamentum.

Autumni.

8. aph. 4.

Hyemis temperamentum.

Aetatum temperamenta.

Puertiia.

ac carne, ſed etiam ipſis oſſibus, quæ ſcilicet ſicciſſima ſunt omnium quæ in nobis ſunt, vt poſt dicemus, partium nam cum hæc, tum reliqua omnia vna cum his membra, quaſi cerea ſint, puellorum nutrices fingunt, formantq́; tanta eſt in toto eorum corpore humiditas. Tertio puerorum ætatem eſſe calidam & humidam, vel hinc etiam æſtimari poterit, quod in alio quàm hoc tẽperamẽto corpora increſcere nequeãt. Pubertas, quę ἥβη Gręcis dicitur, Galeno lib. 3. aph. comm. 17. & lib. 5. aph. comm. 7. teſte, initium capit poſt quartum decimum annum, & ad viceſimũquintum extenditur. Sub ſe cõplectitur μειρακίων ἡλικίαν, id eſt, adoleſcentiam, quę à decimooctauo anno inci piens, ad vigeſimũquintum, Gal. lib. 5. aph. cõm. 9. autore, durat. Ea ſiquidem puberum & adoleſcentiũ ætas, in medio, atq; adeo optimo, Galeno in commẽtatio ſuper librum Hippocratis de victus ratione priuatorum teſte, temperamento conſiſtit. Iuuentus, quæ alio nomine florens ætas, conſiſtendi tempus, & virilis ætas dicitur, ab anno vigeſimoquinto vſq; ad trigeſimumquintum, Galeno lib. 3. aph. comm. 10. & lib. 5. aph. comm. 9. teſte, extenditur. Ea quidem Græcis νεανίσκων ἡλικία vocatur, calida & ſicca exiſtens, Galeno lib. 1. aph. comm. 14. autore. Quod vero ad eam attinet quæſtionem, num pueri, an ætate florentes ſint calidiores, breuiter ſic de ea ſentiendũ erit. At qualitatem caloris in pueris & florentib. ætate eſſe, id quod vnuſquiſq; qui ſenſum in multa particularium experientia exercuerit, manifeſte deprehendet: differre tamen, quod qualitate puerorũ calor halituoſus magis ſit, & multus, ac ſuauis: ætate autem florentium exiguus, ſiccus, nec ſimiliter ſuauis, ſed triſtis, atq; adeo tangenti quaſi moleſtus. Siquidem puerorum ſubſtantiæ, vtpote humide multum

Pubertas.

Adoleſcentia.

Iuuentus. Florens ætas, Virilis.

Num pueri, an florẽtes ætate calidiores.

foras

foras effluit: florentium vero ætate substantiæ parum, vtpote siccæ. Itaq; neuter eorum simpliciter videtur calidior, sed alter multitudine eius quod difflatur, alter acrimonia. Dissimilis igitur cum in vtriusq; substantia sit, in pueris quidem humida & aëria, in ætate florentibus terrea & sicca, fit vt illorum calor tangenti blandior, horum vero minus suauis ac veluti tristis occurat. Quarta ætas, quæ senectus dicitur, Gale. lib. 3. aph. com. 31. teste, duplex est. Vna prior, in qua agentes proprie Græcis πρεσβύται, Latinis autem senes vocantur. Hæc incipit ab anno trigesimoquinto, & durat ad quadragesimum nonum. De hac parte senectutis locutus est Hippocrates lib. 1. de uictus ratione, vbi sic scriptum reliquit. Vir; vbi iam eius corpus constiterit, frigidus & siccus est, quod nimirum caloris excessus, impetus ue non amplius præpolleat, corpusq; quiescens augeri desinat, ac frigidus factum sit. Siccitas etiam prioris ætatis inest, neq; à sequentis ætatis, & humiditatis accessione aliquam humectationem habet. Hæc ille. Altera senectutis pars incipit ab anno quadragesimo nono, & ad finē vitæ extenditur. In hac agentes græce γέροντες, latinè vero seniores dicuntur. Hæc à Gal. lib. 5. de tuenda valetudine in tres distribuitur gradus seu partes. Prima est eorum qui ὠμογέροντες nominantur, hoc est, viridi adhuc senecta præditi, quod scilicet adhuc ciuilia obire negocia possint. Secunda est eorum qui ciuilia obire negocia pp virium imbecillitatem haud valent. In ea qui constitutus est, is, quemadmodū Homerus ait.

Vt lauit, sumpsitq; cibum, dat membra sopori. Tertia pars senectutis est in qua extrema existit virium imbecillitas. Græci nominant eum qui ad hanc partem peruenit, πέμπελον, ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι εἰς τὴν

Senectus.

Prior.

πρεσβύται

Secunda.

γέροντες.

ὠμογέροντες

πέμπελος.

ἅδου πομπήν, id est, à mittendo in pompam quæ ducit ad infernum. Senes autem frigidi & ficci sunt: solidæ enim eorum partes, ossa nempe, membranæ, ligamenta, arteriæ, venę, nerui, tunicæ carnesq;, omnes siccæ sunt, vt merito Aristoteles seuium marcescenti stirpi adsimilet. Quippe stirpes nouellæ dum sunt, molles, humidæq; cernuntur: senescentes assidue magis siccescere videntur: ad postremum aridæ prorsus redduntur, idq; ipsis mors est. Neq; est quod quis propterea quod superuacuis excrementis onerantur, hos humido temperamento esse arbitretur. Non enim ipsæ particulæ senum humidiore temperamento sunt, sed ipsę capacitates quæ inter corpora patent, superuacua humiditate implentur, vt fusius Galenus lib. 1. de temp. & quinto & sexto de tuenda valetudine, & in comm. super librum de vict. rat. priuatorum, monstrat. Cæterum quod de ætatibus diximus, sic accipiendum erit, vt id quod magna ex parte sic accidit. Neq; enim has certo & exquisito numero annorum circunscribere licet, nisi forte in latitudine quadam, quod non sit vnus omnium certissimus pubertatis terminus, propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ. Calidi enim citius, frigidi vero tardius pubescunt. Pubescere enim incipiũt aliqui, vbi quartumdecimum annum expleuerũt: quidam vno post anno, aut etiam amplius. Initium præterea remissionis nonnulli habent statim à trigesimo anno, nonnulli post quintum & trigesimũ, quemadmodum lib. 6. de tuenda valetudine, & lib. 3. aph. comm. 17. fusius Galenus docet. Nunc de partium corporis temperamentis nobis dicendũ erit. Quum vero duplices sint corporis partes, vt suo loco docebimus, similares nimirum & instrumentariæ, primũ de similariũ temperamento verba faciemus. Ossium

Senes frigidi & sicci.

Obiectionis solucio.

De partib. corporis tēperamētis

Similarium.

Ossa.

Itaq; essentia frigidam & siccã ipsorum temperaturã indicat. Idem etiam de pilis cartilagine, tendonibus, neruis, ligamentis, venis, arteriis, membranisq; censendum est, vtpote quæ à calore cocta, atq; à frigore cõcreta. Hæc vero in vno magis quàm altero præpollent. Pilus quidẽ omniũ siccissimus ac frigidissimus, ab illo ossa, deinde cartilago, post quã ligamenta, à quibus tendines, deinceps membranę, & venæ, & arterię, postremò nerui duri. Molles enim in humiditate & siccitate mediam naturam, sicuti cutis, obtinent. Caro autem, sanguis ac spiritus, temperamento calido & humido prædita sunt. Spiritus quidem calidissimus est, deinde sanguis, postremo caro ipsa. Spiritum vero humidum esse ex eo liquet, quod generis existit aërei atq; essentiæ. Aërem autẽ aqua humidiorem esse, nemo ignorat. Porro tunicæ ipsæ, maxime sanguineorum vasorum, arteriarum dico & venarum, non solum exangues sunt, sed etiam frigidę natura: contactu tamen sanguinis calefiunt, atq; ad medium temperamenti statum perueniunt. Sanguis autem ipse à corde suum accipit calorem. Frigidarum humidarumq; partium pinguedo, primas obtinet, post quã spinalis medulla. Iam ad instrumentariarum dissimilarium tue temperamenta veniemus, inter quæ cor primũ occurrit, quod sanè viscus natura, tum omnium animalis particularum calidissimũ, tum maxime sanguineum, atq; adeo humidum. Proximum illi iecur, vtpote carnosum, ac sanguineum. Cerebrum omnino frigidum & humidum est temperamento. Pulmo calidus & humidus, quemadmodũ etiam lien, & renes. Hoc in loco etiam qualitatum secundarum mentio facienda erit, quod nimirum & ex illis temperamenta deprehendi possint: sic vero dictæ, quod primas sequantur, vel vt planius dicã;

Pili. Cartilagines. Tendones. Nerui. Ligamenta. Venæ. Arteriæ. Caro. Sanguis. Spiritus. Tunicæ. Adeps. Spinalis medulla. Dissimilariũ. Cor. Iecur. Cerebrum. Pulmo. Qualitates secundæ.

quia ex temperatura seu cõmistione primarum qualitatum generãtur. Suntq́. numero quatuor, visiles, vt colores: olfactiles, vt odores: gustatiles, vt sapores: tactiles, vt mollities, durities, grauitas, leuitas, densitas, raritas, crassitudo, tenuitas, asperitas, lenitas, & similes. Quod vero ad duritiem & mollitiem attinet, sciendum id quod siccum est, durum prorsus esse. Non tamen si quid durũ est, idẽ statim & siccum est: etenim inseparabilis à sicco corpore duritia est, non tamen eius vnius propria. Nã & quod à frigore concretum est, durũ cernitur sicut glacies. Vnde non statim sicci, humidiq́, adeunda discretio est, antequam scilicet æstimatũ sit, quemadmodũ se in calore habeant & frigore. Neq; enim si quid cũ summo frigore repræsentatur durum, id etiam siccũ est. Nec si quid cũ vehementi calore est molle, idem statim humidũ est. Verũ quũ mediocriter est calidũ, tũ æstimare durum'ne an molle sit, oportet. Si enĩ molle sit, humidũ est: si durũ, siccum. Idem sanè sentiendũ erit de aspero & leni, lubrico ue. Quid autem tenuitas, crassities, densitas & raritas ad tẽperamentorum, ac facultatum medicamentorum dignotionem cõducant, ex Gal. de simpl. medic. facultatib. libris petendum erit: nos enim cõpendii rõnem habẽtes, hic cõsulto silentio transimus. Ad sapores itaq; progrediamur, qui vel adstringẽtes, vel austeri, vel acerbi, vel accidi, vel dulces, vel amari, vel salsi, vel acres sunt. Ex quibus in hunc modũ medicamentorũ temperamenta deprehenduntur. Adstringẽtia, austera, acerba, & acida ex acte, hoc est, nulla sensu notabili alia qualitate participantia, omnia frigida sunt. Differunt tamen in reliquis. Quæ enim astringunt, cõtrahunt, obturant, densant, repellunt, incrassant, & exiccant. Austera in profundum etiã subire videnť, atq;

Durities & mollities

Sapores.

Adstringentia.

Austera,

asperum quendam inæqualemq; sensum mouere, tam quam resiccantia & humorem omnem corporis sensilium depascentia. Acerba linguæ nostræ admota, valide desiccant, contrahunt, & in multam profunditatem vsq; illam exasperant, sicut pyra syluestria immatura. Acida, vtpote tenuitate corporis pollentia, incidunt, diuidunt, & extenuant, obstructiones auferũt, & expurgant. Dulcia omnia sunt calida, laxant, cõcoquunt, emolliunt, & rarefaciunt. Amara, calida & sicca sunt. Hinc est quod ea quæ amaro sapore sunt prędita, omnium minime putrescant. Amara vero meatus expurgant, abstergunt, extenuant, & incidunt crassos humores. Salsa itidem calida & sicca sunt: linguam dum contingunt, neq; contrahunt, neq; constipant, imo contrà planè agere apparent, nempe detergunt & abluunt. Acria cum valida quadam caliditate mordicant & erodunt. Hæc de saporibus dicta sufficiant: plura de iis qui requirit, ex lib. 4. de simpl. medic. facultatib. Gal. petat. Nunc ad odores orationem vertamus, ex quibus de sensilium corporum temperatura, perinde vt ex saporibus, coniecturam sumere haud est securum. Nam inodora, crassam quidem essentiam obtinent, sed non ita constat, quo sint calore, & frigore prædita. At quæ odorata sunt, tenuia quodammodo sunt, & calida: verum eius tenuitatis caliditatisq; quantitas haud iudicatur. Causa vero maxima & potissima, quamobrem nihil certi de temperamentis ex odore iudicari possit, inæqualitas est substantiæ. Neq. enim oẽs eius partes æque euaporant, nec perinde vt in gustu sensum mouent. In gustu enim omnes similiter gustabilium corporũ particulæ linguæ offeruntur, sensumq; mouent pro sua natura singulæ. Multo minus ex colorib⁹ de medicamentorum temperamentis exacte colligere q̃d

Acerba.

Acida.

Dulcia.

Amara.

Salsa.

Acria.

Odores.

Quare de temperamentis ex odore nõ sit pronunciandum.

Colores.

licebit, In singulis enim colorib. calida, frigida, humida, siccaq; inueniuntur, neq; necessarium est vt quicquid rubrum sit, calidum quoq; sit neq; vt quicquid album sit, frigidum etiam sit, quemadmodum fusius lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 3. & lib. 4. cap. vltimo simpl. medic. Galenus monstrat.

De humoribus. Cap. X.

Humores quatuor. HVmores, quos Gal lib. 1. de elemētis animantium sanguine præditorum, elementa nominat, quatuor numero existunt, sanguis nimirum, pituita, bilis flaua, & atra. Sanguis siquidem calidus & humidus, dulcisq;. Pituita frigida, & humida, qualitatisq; expers, vt aqua. Bilis flaua calida, & sicca, ac amara. Atra vero frigida & sicca, acerba atq; terrea. Porro cum humores hos calidos, frigidos, humidos, siccos ue dicimus, tales esse nō nisi potestate dicimus. Quippe dissidet id quod actu & secundum apparentiam tale est, ab eo quod potentia seu facultate est. Actu enim est, quod iam præsens est. Potestate autem, quod adhuc futurum est, atq; vt fiat id quod dicitur, veluti habile, non tamen adhuc subsistent. Sic certe flauam bilem siccam appellamus, quantumuis sit aspectu humida. Aquam præterea marinam, non obstante quod humida, prout apparet, existat, siccam esse asserimus, quod nimirum potentia talis sit: siquidem carnes siccat, & incorruptas seruat. Bilem autem flauam esse potestate calidam & siccam hinc facile colligitur, quod vbi plurima in ventriculo continetur, perpetua siti infestemur. Contrà vero si ea euomitur, protinus à siti magis vindicemur, quàm si plurimam hausissemus potionem. Cæterum prædictas secundas qualitates inesse humoribus iam cōmemoratis, confirmant ea quæ in libro de atra bile scribit Galenus, vbi manifestissimis verbis sangui-

Sanguis. Pituita. Bilis flaua. Bilis atra.

Actu esse. Potestate esse.

nem esse omnino dulcem, pituitam qualitatis expertem, bilem flauam amaram, atram vero acerbam esse ait. Quum autem humores quatuor nominati qualitates iam dictas seruant, tum secundum naturam se habet animal, ipsiq; humores naturales ac salubres à medicis appellantur. Porro sanguis naturalis bifariam dicitur. Vnus qui in venæ sectione, & vulneribus vacuari videtur. Hic quidem pituitæ & vtriusq; bilis particeps est, sed à dominio sic appellatus. Alter autem purus & syncerus, nec cum aliis humoribus mixtus. Sãguinis vero naturalis color, vt in multis locis testatur Galenus, ruber est. Locus vero sanguinis sunt venæ & arteriæ, in iis enim potissimum vasis continetur. In arteriis autem contineri sanguinem, Gal. luculenter in eo libro in quo quæritur, nũquid in arteriis sanguis contineatur naturaliter, demonstrat. Distat tamen nonnihil sanguis in arteriis est, ab eo qui in venis habetur, eodem Galeno lib. 2. de patientib. locis, cap. 11. teste, eo quod calidior, & magis tenuis, flauiorq; existat. Sanguificationis autem officina, ac primum instrumentum iecur existit, quod copiose libro tertio de vsu partium corp. humani ostendit Galen. Præterea sanguis facit moderatos, ridibundos, blandos, venustos, ac floridos. Pituitam Græci φλέγμα nominarunt, non quidem à verbo πέφλεχται, quod vstum, ac supra modum coctum esse significat, quemadmodũ Prodicus in opere de natura humana asserere ausus est, nesciens græcis autoribus nomen φλέγμα duo significare, nempe φλόγωσιν, hoc est, vstionem, & humorem illum frigidum ac humidum, quem pituitam Latini appellant. Hic sanè colore albus existit, & concoctione in sanguinem mutatur. Atq; hac ratione cum sit veluti ex dimidio coctum nutrimentum, nullum quod

Humores naturales.

Sanguis bifariam dicitur.

Impurus.

Purus.

Sanguinea.

Pituita.

φλέγμα.

Pituitæ reponendæ nullum a natura locum destinatum.

eam expurget proprium organum machinata est natura. Quippe in ventriculo generata pituita, quia fertur simul cum iis, quæ ex cibi potusq; humoribus in iecur distribuuntur, concocta iam, sanguis euadit. Quod autem in venas pituitæ fertur, animali etiã ex vsu est. Desiderat igitur talis humor nõ vtiq; vacuari, sed in corpore manens alterari. Quod vero in intestinis relinquitur, à bile ex iecinore in ea defluẽte abstersum, cõmodissime ac celerrime per sedem eiicitur, vt lib. v. de vsu par. corp. hum. fusius explicat Gal. Excrementum vero quod à cerebro destillat, proprie nec pituitam quis recte appellabit, sed sicut etiam nominari solet, mucum. Pituita effecit segnes, somnolentos, carnosos, cito canescentes. Flaua bilis sic ab eius colore, qui est flauus, appellationem accepit, simpliciterq; Græcis χολὴ dicitur. Huic humori natura propriam sedem machinata est, eam nimirũ quæ iecori subest vesicam: necessariũ siquidem fuit vt ab ea sanguis purgaretur, ne scilicet totius corporis color ab ea, haud secus quàm in ictero, inficeretur. Qui flaua bile abundant, iracundi, celeris ingenii, agiles, leues mente, macilenti, & cibum confestim concoquentes sunt. Atra bilis veluti fex est ac sedimẽtum sanguinis, ideoq; colore, vt nomen satis indicat, nigra. Ab ea expurgari iecur necesse est, ideoq; instrumentum quo eiusmodi humor expurgetur, natura lienem condidit. Qui si minus quàm iustum sit, atram ad se bilem trahit, vt sanguis impurior, sic totum corpus redditur magis decolor. Porro atra bilis inertes, subdolos, auaros, morosos, perfidos, tristes, inuidos, timidos & pusillanimes reddit. Habent iam memorati humores naturales, præcipuos etiam in corpore humano vsus. Sanguinis enim is est vsus vt nutriat. Pituitæ, vt articulorum motionem adiuuet.

Mucus.

Pituitosi.

Flaua bilis.

Bilis sedes.

Biliosi.

Atra bilis.

Sedes atræ bilis

Melancholici.

Vsus humorum naturalium.

Sanguinis.

Flauæ bilis, vt intestina à pituitosis excrementis expurget & abstergat, atque eorundem excretionem adiuuet. Atræ vero bilis, vt ventriculi actiones, Galeno lib. 5. de vsu partiũ corp. hum. teste, iuuet. Ipsa enim, quum acerba & acida sit, ventrem intendit, & in se ipsum contrahit, & comprehendere exquisite cibos cogit, & retinere quousque plenè concoquantur. Vt hinc toto cœlo errare Auicenam omnibus perspicuum sit, dum hunc vsum atræ bilis esse scribit, vt famem ac naturalem appetentiam excitet, quemadmodum in lib. 6. Epidem part. 6. comm. primo, copiosissimè monstrauimus. Placet hoc in loco recensere quæ de motu humorum scribuntur ab Ephesio illo Sorano in hunc modum: Humores suis temporibus in corpore dominantur, nempe sanguis ab hora noctis nona, vsque ad horam diei tertiam. Bilis flaua ab hora diei tertia, vsque in horam nonam diei. Bilis nigra ab hora nona diei, vsque ad hora tertiam noctis. Pituita ab hora noctis tertia, vsque ad horam noctis nonam. Hæc ille. Cæterum prædicti humores haudquaquam seruant eandem formam seu speciem, Galeno etiam lib. 2. de facul. natural. teste, dum animal præter naturam afficitur, quam habent quum secundum naturam dispositum est. Hinc est quod naturales qualitates amittant, ac corpori noxam inferant, atque adeo tum insalubres & non naturales appellentur, neque etiam simpliciter, sed cum adiectione efferantur, vt ex specierum eorundem commemoratione liquido patebit. Sanguis quidem si naturalis est, reliquis humoribus, qui illi commixti sunt, dominatur, & simpliciter sanguis dicitur. Sin vero præter naturam affectus fuerit, ipse ab vno, aut à pluribus sibi mixtis humoribus superatur, & non simpliciter, sed cum adiectione, vel sanguis biliosus, vel pitui

Pituitæ. Bilis. Atræ bilis. | Auicennæ erratum. | Humorũ motus ex Sorani sententia. | Humores nõ naturales & insalubres. | Sanguis simpliciter | Sanguis cũ adiectione.

Pituitæ non naturalis species quatuor. — tosus, vel melancholicus appellatur. Pituitæ nõ naturalis, Gal.lib.2. de different.feb.cap.6. teste, quatuor sunt species. Vna siquidem eius species valde

Vitrea. — frigida est, adeò vt si calido loco obstruitur, dolores maximos excitet. Hic humor vitro fuso, tum colore, tum substantia similis est, ideoq; à Praxagora, Galeno lib.2.de patientib.locis, cap.1.autore, vitreus appel

Dulcis. — latus est. Altera pituitæ species est, quam pleriq; cum screatu expuunt, sensilem obtinens dulcedinem, ideoq. dulcis nominata. Hęc vero non est exquisite

Acida. — frigida. Tertia species est, quæ acida expuentib. videtur, minus quàm vitrea, magis vero quàm dulcis

Salsa. — frigida. Quarta est salsa, videlicet aut ob putredinē,

Flauæ bilis nõ naturalis species quinq;. — aut ob salsę serosæ humiditatis mixtionem. Flauæ autem bilis non naturalis quinq; sunt species. Prima

Vitellina. — Græcis λεκυθώδης, Latinis vitellina, quod ouorum vitellis tum colore, tum consistentia sit similis, appellatur. Hæc in uenis, Galeno libro de atra bile inscripto teste, generatur. Altera græcè πρασοειδὴς, latinè

Porracea. — porracea dicitur, quod porri colorem referat. Hęc in ventriculo gignitur, vt testatur idem Galenus libro.2.prognost. comm.39. Tertia ἰώδης Græcis,

Aeruginosa. — æruginosa Latinis, ab æruginis similitudine vocatur. Hęc etiam in ventriculo nascitur. Quarta ἰσα-

Isatidis colorẽ referens. — τώδης Græcis, hoc est, isatidis colorem referens, nominatur. Eodem quo præcedens loco procreatur. Quinta a Gal.lib.10.de simp.medi.facul.capite

Cærulea. — de bile, cærulea nũcupatur. Atrę bilis non natura-

Bilis atræ non naturalis species una. Acida. — lis vna duntaxat species est, radens nimirum vel acida nominata, quoniam scilicet acris in modum aceti sit, & corpus animalis radat, terramq; si supra eam effusa sit, attollat, ac fermentet, bullasq; quales fer-

Humores secundũ iuxta Auicẽ — uentibus iusculis innatare videmus excitet. Auicenna humores etiam alios quatuor commentus est,

quos secundos appellare voluit, minus tamen proprie, cum sint potius partium corporis substantiæ, quæ absumptæ siccitatis seu hecticæ quatuor differentias pariunt, vt testatur Galenus, qui lib. 7. ther. meth. sic scriptum reliquit. Verba enim eius subiicere volumus, quod ex iis Auicenna sui cômenti occasionem sumpsisse videatur. Quippe, inquit Gale- nus, quod senium in sanis est, id sicca intemperies in ægris. Itaq; insanabilis etiam est, si prorsus sit consummata. Est autem prorsus consummata, vbi solida similarium partium substantia reddita est siccior. Nam est & altera siccitas vtiq;, quum ea quorum substantia ex humore ꝯcreto cõstat, sicut caro & adeps, sunt liquata. Etiam tertia, quum propria humiditas vnde partes nutriuntur, omnino est absumpta. Continetur ea in omnib. animalis partibus, ceu ros quidam per eas sparsus. Quarta ab iis siccitas est, quæ in propriis cuiusq; particulæ exilibus arteriis, venisq; consistit. Hactenus Gal. Ex hoc loco Auicenna, vt diximus, quatuor humores secundos colligere voluit. Solida enim similiarium substantia, eidem Gluten nominata est: sic enim habet eius interpres. Substantia vero ex humore cõcreta, Cambiũ. Humiditas autem quæ in omnib. animalis partibus sparsa est, & ex qua hæ quidem nutriuntur, ros illi dicitur. Exiles arterias & venas, humores nomen non habentes, huic appellare placuit.

næ sententiam. *Siccitatis quatuor differẽtiæ.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Gluten.* *Cambium.* *Ros.* *Nomen non habens.*

De partibus corporis humani. Cap. XI.

Partes humani corporis prima sectione in similares & instrumentales partiũtur. Similares aũt sunt quæ vndiq; in similes diuidũtur. Vel sunt quę omnes partes tum sibi mutuo, tum toti similes habent, veluti caro, os, neruus, cartilago, membrana, ligamenta, venæ, arteriæ, & id genus reliquæ.

Similares. *ὁμοιομερῆ.*

Propria hominis elementa.

Gal. propria hominis elementa nominat. Licet enim hæ quoq; ipsæ partes communes brutorum quibusdam existant, vt equo, boui, cani, atq; id genus aliis: omnia siquidem huiusmodi arterias, venas, neruos ligamenta, membranas, & carnes habent: non tamen hæc ad vnguem planè humanis similia, sed nonnulla quoq; genere diuersa, velut vngulas, cornua, calcaria rostra, & squamas. Obtinent & multas alias appellationes, apud Gal. partes similares, dicuntur enim nunc simplices partes, nunc prima corpora, quod scilicet ex iis constituantur quæ compositæ & instrumentales nominantur: item eiusdem generis, elementares, sensilia elementa, & solidæ corporis partes. Instrumentariæ vero sunt quæ ex simplicibus similaribus'ue constant, vt caput manus, pes, & id genus aliæ. Dicuntur alio nomine secundæ, compositæ, dissimilares, diuersiq; generis. Differt autem instrumentaria pars ab instrumento, quod nimirũ partes etiam nonnullæ similares instrumenta sint. Instrumentum enim, Galeno lib. 1. ther. meth. autore, vocatur quælibet animalis pars, quæ perfectam edere actionem potest. Sic arteria, vena, & neruus instrumenta sunt, non vero instrumentariæ partes. Ex instrumentariis partibus tres sunt principes vocatæ, cerebrum, cor, & iecur. Sunt qui iis tribus quartã, testes scilicet, adiiciant, eo quod ad speciei conseruationem faciant. Prædictis quatuor aliæ quatuor subministrant, vt pote nerui cerebro, arteriæ cordi, venæ iocinori, vasa seminaria testibus. Præterea quædam partes corporis sunt, quæ nec aliorũ gubernationi præsunt, neq; aliunde gubernantur, quum innatam habeant facultatem à qua gubernentur, vt os, ligamentum, membrana, caro simplex. Omnes vero partes corporis humani venarũ & arteriarum adminiculo indigent ad

Variæ appellationes partium similarium. ἁπλᾶ μόρια. πρῶτα σώματα. ὁμογενῆ. στοιχειώδη. αἰσθητὰ στοιχεῖα. στερεὰ τοῦ σώματος μόρια. Instrumentariæ quæ eius nomina. ὀργανικὰ μόρια. δεύτερα. σύνθετα. ἀνομοιομερῆ. ἑτερογενῆ. Instrumentum. ὄργανον. Principes partes. Subministrãtes.

essentiæ seu substātię suæ conseruationem: venis quidem vt nutriātur, arteriis autem ad insiti caloris moderationem. Hactenus generatim de corporis humani particulis disseruimus: reliquum est vt pro cōpendii ratione, speciatim etiā de iis verba faciamus, ac tantùm earundem nomina subiiciamus, vt saltem vulgarem quandam partium humani corporis notitiam medicinæ tyrones habere, atq; adeo instructiores ad Galeni anatomica accedere possint. Primum autem à capite exorsi, singulas eius partes recensebimus. Caput capillis eius, cuti, tanquam terrę, radicibus suis inhærētibus, tegitur. Sub cute membrana est quę extrinsecus caluariam cingit, περικράνιον Græcis nominata. Os vero ipsum quod cerebrum ambit, Gręcis κράνιον, Latinis caluaria, antiquis testa dicitur. Huius iterum multæ sunt partes. Prior enim eius portio Græcis βρέγμα, Latinis synciput appellatur. Posterior vero occiput. Media inter synciput & occiput pars, vertex nuncupatur. Tres in capite suturę sunt, ac duæ quidem transuersæ, quarum altera in syncipite est, & Græcis στεφανιαῖα, Latinis coronalis, quod coronæ in ea potissimum parte capitis collocentur, nominatur. Altera in occipitio existit, & à literæ Λ similitudine λαμβδοειδὴς vocatur. Tertia à medio posterioris per capitis longitudinem, ad mediā vsq; anteriorem extenditur, ac Græcis ὀβελιαῖα, Latinis sagittalis & recta appellatur. Harum suturarum figura H literæ præcipue similis est. Pars quæ sub syncipite posita est, pilis vacua, frons dicitur. Ad latera frontis sunt tempora, sic dicta quod in ipsis animalium ætas & anni dignoscantur. Hæc duo ossa constituunt, quę vtrinq; ad aures posita sunt, & quia re vera petræ speciem referunt, ideo Græcis λιθοειδῆ, Latinis vero petrosa & lapidosa nominantur.

Capitis partes.
Capilli.
Cutis
Pericranium.
κράνιον.
Caluaria.
βρέγμα.
Testa
Synciput.
Occiput.
Vertex.
Suturæ.
Coronalis.
στεφανιαῖα
Lambdoides.
Sagittalis.
ὀβελιαῖα.
Frons.
Tempora.
Ossa petrosa.
λιθοειδῆ.

Ad tempora duæ suturæ sunt, quæ κροταφικαί, hoc est, temporales, & λεπιδοειδεῖς, id est, squamæ formes, aut squamosæ appellantur. Sunt vero potius commissuræ quàm suturæ, hinc est quod mendosæ alio nomine dicantur. Vbi frons à superioribus descendens definit, ὀφρύες Græcis, supercilia Latinis dicta, ceu termini eminentes & pilis consiti, eam excipiunt. Cæterum caluaria amota, duæ membranæ cerebrum velantes, quas Græci μήνιγγας vocant, occurrunt. Harum exterior crassior atq; validior est, atq; adeò cerebri contra caluariæ occursus propugnaculum, quam crassam membranam nominant, nostri vero duram matrem. Perforata est iuxta ossa, quæ quia ἠθμοῦ, hoc est, coli seu cribri instar foraminata sunt, ἠθμοειδῆ Græcis, & σπογγοειδῆ, quod veluti spongiæ foramina multa habeant, dicuntur. Nostris Colatoria, & Basilaria appellantur. Interior & penitus cerebro coniuncta, tenuior, infirmior, & secundæ similis est, vnde χοροειδὴς Græcis, Latinis autem tenuis membrana, & nostris Pia mater dicitur. Cerebrum autem ipsum bifariam diuiditur, nempe in anterius & posterius. Anterius, quod mole posterius superat, ac mollius est, in dextrum & sinistrũ à dura mẽbrana secatur. Posterius alteri adiacet, vnde παρεγκεφαλίδα Græci nominant, Latini à paruitate Cerebellũ. Duo anteriores cerebri ventriculi animalem spiritum prius elaboratum in cerebellum transferunt, memoriæ efficiendæ gratia, quapropter necessarium fuit meatum fieri ex illis in posterius cerebrum. Hunc siue meatum communem, siue ventriculum tertium nomines, parum interest. Huic meatui cerebri particula in modum fornicis, seu testudinis facta, extrinsecus gibba, intus caua, vt liberum habeat motus ipsius spacium, incum-

Supercilia.

μήνιγγες.

Crassa membrana.

Dura mater.

χοροειδὴς.

Tenuis seu mollis membrana.

Pia mater.

Cerebrum anterius.

Posterius.

παρεγκεφαλίς.

Cerebellum.

Cerebri ventriculi duo anteriores.

Meatus quem nonnulli pro tertio ventriculo ponunt.

bit, quæ Græcis καμάριον καὶ ψαλιδοειδὲς, Latinis vero camera & fornix appellatur. Corpus quod huic meatui iuxta ortum adiacet, Græcis κωνάριον dicitur, quod scilicet figura pineam nucem, quæ κῶνος vocatur, referat. Ex vtraque parte medii illius meatus rotunda corpora circumiacent, quæ γλουτία, à figura quam obtinent natibus simili, nominantur. Latinis nates cerebri dicuntur. Sunt qui testiculis ea assimilantes, διδύμια vocare malunt. Cæterum particula quædam cerebri meatui superiacet, quæ circunscriptionem obtinet figura vermi in lignis nascenti similem. Hinc est quod Anatomici corpus hoc, quod totum meatum contegit, σκωληκοειδῆ ἐπίφυσιν, hoc est, excrescentiam vermicularem nuncupauerint: nostri vermiforme adnatum, vel simpliciter vermem vocant. Ex medio cerebri ventriculo duo canales ad palatum recrementa deriuantes procedunt, quos concauitas quædam excipit, quæ à figura Græcis πύελος, nobis vero labrum, scyphus, seu peluis, ab vsu autem χοάνη, id est, infundibilum dicitur, quod suprà amplum sit, infra autem in angustum desinat. Neruorum ex cerebro enatorum septem sunt coniugia seu paria. Sic enim vocant cum bini pariter nerui emergunt. Primi duo nerui ad oculos pertinent, videndi facultatem illis impartientes, vnde visorii appellati sunt. Hi caui, ac mollissimi omnium aliorum neruorum existunt, & in vnum coëunt, & rursus antequam oculos ingrediantur, dirimuntur, & eorum figura χ literæ græcæ simillima fit. Reliqua cõiugia alibi commemorabimus. Porro reticularis plexus, δικτυοειδὲς πλέγμα Græci, reticulum & rete admirabile nostri temporis medici nominant, ex iis quæ in caput veniunt arteriis conficitur, cũ primum

καμάριον. ψαλιδοειδές. Camera. Fornix. Conarium. γλουτία. διδύμια. Excrescentia vermicularis. Vermis. πύελος. Peluis. χοάνη. Infundibulum. Neruorum coniugia. Nerui visorii. Reticularis plexus.

caluariam transgressæ, ad ipsam cerebri basin seu fundamentum concurrerint: ibi enim non exiguam regionem natura quasi thalamum seu cauernulā quādam à crassiore cerebri membrana circundatā, reticulari huic plexui præparauit. In quem quidem locum ab arteriis carotidib. appellatis, non parua quædam portio, vno scilicet ex vtraq; parte ramo promisso, peruenit, quæ postea in multiplicem sobolem diuisæ, retis formam cancellatis fibris conficiunt. Posteriori cerebro adiacet spinæ medulla, neruos sexagintaduos, per singularum vertebrarum foramina, singulos emittens. Pars à fronte ad mētum vsq; pertingens, facies nuncupatur. Cuius multæ etiam sunt partes. Oculi siquidem superciliis subiacent, quorum pars superius & inferius oculum ambiens, & interiores eius tunicas tegens, Græcis βλέφαρον, Latinis palpebra, aut gena vocatur. Pili qui extremo palpebrarum superiorum ambitui inhærent, Cilia nominantur. Oculus duos habet angulos, quorum vnus magnus dicitur, qui iuxta nasum est: alter paruus, iuxta tempora locatus. Constat idem tunicis septem, & tribus humoribus. Prima tunica ex visorio neruo amplificato & dilatato nascitur, & ἀμφιβληστροειδής, hoc est, retiformis nominatur, figura enim ἀμφιβλήστρῳ, hoc est, reti persimilis est. Huic connectitur altera tunica, quæ quia araneæ telis persimilis est, atq; adeo tenuissima, ἀραχνοειδής dicta est. Nostri araneam vocant. Tertia tunica multorum vasorum est vinculū & ligamentum, quale χόριον, quod est fœtus inuolucrum, hinc χοροειδὴς appellatur. Ex tenui membrana oritur. Hanc hodie secundinam nominant. Quarta tunica, quę quia ῥαγὶ, hoc est, acino vuę similis est ῥαγοειδὴς Græcis, vuea autem seu acinosa Latinis dicitur, ex choroïde nascitur. Hęc in medio perforata est,

Spinæ medulla

Facies

Oculi.

βλέφαρον,

Palpebra, Gena

Cilia

Anguli oculorum

Tunicæ oculorum septem.

Retiformis.

ἀμφιβληστροειδής.

Arachnoides.

ἀραχνοειδής.

Choroeides.

Vuea,

ῥαγοειδής.

ta est,foramenq́;hoc pupilla vocatur. Quinta tunica ex duriori cerebri membrana producta, mēbranas sub se omnes, humoresq́, vitreum & crystallinum in posteriori parte vestit, ac ne disrumpantur continet ac firmat, σκληρὸς grę̨cis, Latinis autē dura nūcupatur, à nostris barbaro uocabulo sclirotica. Sexta ex dura, cui iuncta est, nascitur, & cornibus in laminas prætenues dissectis persimilis est, ideoq́: κερατοειδὴς, id est, cornea uocata est. Septima quæ ex pericranio ducit originem, ἐπιπεφυκὼς, id est adnata nominatur, eo quod alijs quæ oculum constituunt tunicis extrinsecus adnascatur. Nostris Coniūctiua uocatur. Ex ijs connatis septem fiunt orbes seu circuli, qui in ea parte quæ Græcis ἶρις καὶ στεφάνη, Latinis iris & corna uocatur, coueniunt. Sic uero nominatur lócus ubi album nigro copulatur Primus & extimus circulus est tunicæ adnatæ. Alter corneæ nominatæ tunicę. Tertius duræ. Et ij tres duri sunt. Quartus est chorœdis. Quintus uueæ. Sextus arachnoidis. Septimus retiformis tunicæ. Postremi illi quatuor molles existunt. Porro ex humoribus oculorum primus ὑαλοειδὴς, hoc est, uireus seu uitriformis dicitur, quod scilicet uitro fuso similis sit. Ab hoc nutritur secundus humor, qui κρυσταλλοειδὴς, id est, glacialis nominatur, quod nimirum glaciei modo concretus sit. Tertius ab aquæ similitudine ὑδατοειδὴς, hoc est, aqueus appellatur. Hic corneam tunicam sustinet, ne in crystallinum humorem collabatur. Eminentior faciei pars nasus dicitur. Cuius quidē partes utrinq; sitæ, quibus aërem reddunt & accipiunt animantia, μυκτῆρες ἢ μυξωτῆρες Græcis, Latinis vero nares appellantur Exteriores partes quæ mouentur, pinnulæ siue alæ nominātur Latinis, πτερύγια vero Græcis. Pars autem interna cartilaginosa quæ nares discriminat

Pupilla. Dura. σκληρός. Cornea. κερατοειδής. Adnata. ἐπιπεφυκώς. Septem circuli. Iris. Humores oculorum. Vitreus. ὑαλοειδής. Chrystalloeides. Aqueus. ὑδατοειδής. Nasus. μυκτῆρες. Nares. Pinnulæ. πτερύγια.

Interſeptum. Aures. Fibra. Auricula. Pinna. Malæ. Genæ. μῆλα. Os. Labrum. μύσαξ. ὑπήνη. Bucca. Maxillæ. Mandibulæ. σιαγόνες. Gingiuæ. Dentium numerus. τομεῖς. Inciſorii. Canini. Maxillares & molares. γόμφιοι. ὑπερῶα. Palatum. γαργαρεῶνα. Gurgulio.

interſeptum vocatur. Aures in temporum extremis ſitæ ſunt. Sub foramine aurium particula pinguis ab aure ſuſpenſa fibra, ſeu auricula dicitur: ſuperior vero pinna. In vtraq; naſi parte ſub oculis quidē ſita, proprie concaua nuncupantur. His autem ſuperiores inter naſum & aures, ad mali ſpeciem rotūdæ partes, μῆλα Græcis, malæ & genę Latinis dicuntur, quæ bene coloratis & ingenuis, pudore ſuffuſis, rubent. Os nominatur pars per quam ciborum & potuum in corpus ingreſſus fit. Labium ſeu labrum oris pars extima eſt, ſecaturq́; in infimum & ſupremum. Pars labri ſub naribus ſuprema μύσαξ Græcis, Homero ὑπήνη vocatur, Latini barbam & pilos ſuperioris labri interpretantur. Bucca vtrunq; oris latus quod ſpiritu retento inflatur, Græcis γνάθος dicitur. Maxillæ ſeu mandibulæ ſunt oſſa quibus dentes infiguntur, σιαγόνες καὶ γένυες Græcis appellantur. Sunt autem duæ, inferior'que ſola in omni animantium genere mouetur. Gingiuæ carnes ſunt in quibus dentes infixi ſunt, qui numero trigintaduo, aut viginti & octo exiſtunt: vtraque enim maxilla ſedecim, aut quatuordecim habet. Priores octo, quia ſecant, τομεῖς nominantur Græcis, inciſorii Latinis. His deinceps quaterni κυνόδοντες, hoc eſt, canini vtrinque hærent: ſic dicti, quod canum dentibus quamſimilimi ſint. Vltra hos viginti ab vtroque latere, maxillares & molares vocati Latinis, γόμφιοι καὶ μύλαι Græcis ſunt, quod ſcilicet iis cibi, veluti molis cereales fruges, tenuentur & atterantur. Orís pars ſuperior Græcis ὑπερῶα καὶ οὐρανίσκος, Latinis palatum dicitur. In extrema oris & palati parte carnoſa quædam particula ſuſpenſa apparet, quam veteres Græci γαργαρεῶνα, hoc eſt, gurgulionem, poſteriores vero κίονα, id eſt,

columellam, nostri vuam & vuulam appellant. Lingua ad radicem ossi hyoidi affixa est. Sic autem dictum, quod instar υ, aut Λ literarum græcarum sit bifurcatum, hinc λαμβδοειδὴς etiam à nonnullis vocatur. Ad linguæ radicem vtrinque glandulæ, spongiis ipsis similes, carnosæ'que appositæ sunt, quas Græci παρίσθμια καὶ ἀντιάδας, Latini tonsillas, barbari amygdalas nominant. Fauces proprie vocant spacium oris internum quod gulæ & gutturi præiacet, φάρυγγα Græci nuncupant. Mentum id omne est quod labro inferiori longa orbiculari figura subiacet, γένειον Græcis dicitur. Quod caput ad humeros vsque excipit, id totum τράχηλος Græcis, collum & ceruix Latinis appellatur. Fistula quæ à faucibus ad pulmonem vsque protenditur, τραχεῖα ἀρτηρία, καὶ βρόγχος Græcis, aspera arteria Latinis nominatur. Caput huius arteriæ λάρυγξ Græcè, guttur Latinè vocatur. Constat ex tribus cartilaginibus. Gutturis ori summo veluti operculum quoddam inserta est particula quædam ex linguæ ipsius radice profecta, quam Græci ἐπιγλωττίδα, Latini ligulam appellant, quod scilicet figura linguam fistulæ referat. Via quæ ab ore ad ventriculum cibum & potum defert, à Græcis proprio nomine οἰσοφάγος, communi autem στόμαχος, Latinis gula, Arabibus meri nuncupatur. Post ceruicem θώραξ sequitur. Sic autem vocare consueuerunt medici totum hoc spacium quod à costis vtrinq; circunscribitur. Elatior thoracis finis clauiculæ seu iugula existunt, quæ Græci κλεῖδας, Barbari vero medici furculas nominant: inferior autem septũ trãsuersum. Costę quæ à græcis πλευραὶ dicuntur, in omnibus ferè animantib. vigintiquatuor sunt, ab vtroq; scilicet latere

Vua. Columella. Lingua. Os υοειδὲς. παρίσθμια. Tonsillæ. Fauces. φάρυγξ. Mentum. γένειον. Ceruix. τράχηλος. Collum. Aspera arteria. βρόγχος. λάρυγξ. Guttur. Ligula. οἰσοφάγος. στόμαχος. Gula. Thorax. Clauiculæ. Iugula. Costæ. πλευραί.

Veræ & legitimæ.

duodecim. Septem priores longiores, Grçcis γνήσιαι, Latinis autem veræ & legitimæ dicuntur. Reliquæ inferiores breuiores, & ad pectus haud pertingẽtes,

Spuriæ & illegitimæ. ξόθαι· νόθαι.

quinq; in quouis latere, νόθαι καὶ ξόθαι græcè, spuriæ & illegitimæ latinè, nostris vero mendosæ nominantur. Hæ ad septum transuersum desinunt. In medio

Pectus. στέρνον. στῆθος. ξιφοειδὴς. Mucronata cartilago.

costarum antè quidem pectus est, quod costas veras excipit, & στέρνον Græcis nominatur medicis. Alii inferiorem pectoris partem sic appellant, superiorem vero στῆθος. Ossi pectoris ad finem subnata est cartilago, Græcis ab ensis similitudine dicta ξιφοειδὴς, Latinis ensiformis & mucronata, barbaris scutalis, pomũ

Mammæ. μασοί. θηλή. Papilla. φῶς. ῥάχις. Dorsum. Spina dorsi. Vertebræ 24.

granatum, & scutũ oris stomachi. In media ferè thoracis regione sitæ sunt mammæ, quæ Græcis μασοὶ, τιτθὸς καὶ τίτθια nuncupantur. Quarum summum & apex θηλὴ iisdem, papilla Latinis dicitur. Circulus vero niger ambiens papillam, φῶς Græcis vocatur. Posterior pars thoracis Græcis ῥάχις καὶ μετάφρενον, Latinis dorsum appellatur. Huius pars spina, quę Græcis ἰονιαῖον dicitur, existit, quæ vertebris vigintiquatuor constat. Nam colli sunt septem, dorsi duodecim, costas duodecim excipientes, lumborum quinq;, qui

Os sacrum. Scapulæ. Scoptula operta ὠμοπλάται. Acromion.

bus ὀστέον ἱερὸν καὶ πλατὺ, id est, os sacrum magnum, latum & amplum subiacet. Post thoracem scapulæ seu scoptula operta sita sunt, Græcis ὠμοπλάται dicũtur. Scapularum processus superior & vertex ἀκρώμιον, quasi summus humerus, nominatur. Ceruix seu collum scapulæ est quod in acetabulum desinit. Porro

Humeri. Brachium.

ὦμοι, id est humeri, vtrinq; prominent. Pars à summo humero ad cubitum vsq; pertingens, Græcis βραχίων, humerus, brachium Latinis, os adiutorii recentioribus appellatur. Humeri caput veluti in duo diuidens tubercula supereminens brachii pars, ἐπωμὶς Græcis dicitur. Processus vero interior scapulæ, grę-

ce ἀγκυροειδὴς καὶ κορωνοειδὴς, quod ſcilicet ancoræ
vel roſtro coruino ſimilis ſit. Cubitus vocatur totum Cubitus.
membrum, quod eſt inter carpi & ἀγκῶνος articulatio Vlna.
nem, alio nomine Latinis vlna, Græcis πῆχυς, focile πῆχυς.
maius barbaris nominatur. Porro ἀγκὼν eſt quo fir- ἀγκών.
mamur & ſuſtentamur. Vlnæ oſſium alterum maius
quidem quod ſubiacet proprie πῆχυς, hoc eſt cubi- πῆχυς.
tus, alterum autem minus quod ſupereminet κερκὶς, κερκίς.
id eſt, radius; barbaris focile minus dicitur. Cubiti Radius.
tuber ſeu proceſſus poſterior ὀλέκρανον nuncupatur.
Vbi cubitus deſinit & cum ſumma manu, quam Græ Carpus.
ci ἀκρόχειρον vocant, articulationem efficit καρπὸς Græ Brachiale.
cis, brachiale Latinis, raſcet a barbaris appellat. Hinc Manum mitte-
medici manum mittere in carpum dicuntur, vbi ar- re in carpum.
teriæ motiones explorant. Poſt brachiale μετακάρπιον Metacarpium.
eſt, quod pecten Latinis dicitur. Interior manus pars Palma.
iuxta pollicem aſſurgens vſque ad indicem θέναρ Græ θέναρ.
cis, palma Latinis vocatur. Oppoſita vero eius pars ὑποθέναρ.
ὑποθέναρ. Media & concaua manus pars, vola nomi- Vola.
natur proprie. Nodos & articulos digitorum Græci κόνδυλοι,
κονδύλους appellant. Digitorum maximus Græcis Pollex.
ἀντίχειρ, Latinis pollex dicitur, quod ſcilicet toti ſum ἀντίχειρ.
mæ manui cooperans æquipolleat. Poſt hunc λιχα- Index.
νὸς, hoc eſt, index, nomen ab vſu, vt apparet ſortitus. λιχανός.
Dein medius, quem medicinalis ſequitur, à medicis Medius.
ſic dictus. Alio nomine Annularis appellatur. Poſtre Medicinalis.
mus minimus nuncupatur, quod omnibus & corpo- Minimus.
re, & virtute inferior ſit. Ad partes intra thoracem Succingẽs mem-
ſitas veniendum. Membrana quæ ab interiore parte brana.
coſtas cingit & ambit, ὑπεζωκὼς Græcis, ſuccingens ὑπεζωκώς.
Latinis appellatur. Ex hac aliæ duæ mẽbranæ vtraque
parte ſingulæ medium thoracem intercipientes na Intercipiens.
ſcuntur, quæ διαφράττοντες græcè, intercipientes &
interſepientes latinè nominantur. Barbari noſtri tẽ-

Inuolucrum cordis. περικάρδιον.
Cor. καρδία.
Auriculæ cordis.
Cordis sinus duo.
Vena arteriosa.
Arteria venosa.
Arteria magna seu aorta.
Pulmonis fibræ quinq. λόβοι.

poris medici mediastinum vocant. Membrana quæ veluti vagina cor operit περικάρδιον Græcis, inuolucrum & casula cordis Latinis, nostris capsula cordis dicitur. Cor, quod καρδίαν græci appellant, inter vtraq; thoracis spacia medium situm est. Vtraq; ad basim ipsius parte auriculas habet, sic nominatas ab aurium proprie dictarum similitudine. Dextra auricula cum insignum ramo cauæ venæ, & dextro cordis ventriculo committitur. Sinistra cũ ostio venosæ arteriç, & sinistro cordis sinu conserta est. Cor intus sinus duos obtinet, dextrum & sinistrum interstitio discretos, per cuius foramina sanguis ad sinistrum transfertur. In vtroq; sinu bina vasa habentur. Dextrum siquidem, qui & mollior tactu est, & capacior, cauæ venç, vbi septum transuersum permeauerit, insignis ramus ingreditur, qui ex iecinore sanguinem fert, eumq; omnibus venis intra & extra cor distribuit. Egreditur autem ex eodem sinu vena arteriosa sanguinem ad pulmonem deferens, sic dicta, quod vsus respectu vena sit, tunicç vero, quæ duplex existit, arteria. Sinistro ventriculo cordis arteria venosa, quæ ex pulmone aërem cordi defert, fuliginosaq; educit excrementa, inseritur: sic nominata, quod vsus ratione arteria sit, tunicæ autem respectu, quæ vnica est, vena. Egreditur ex hoc sinu maxima arteriarum, aorta dicta, omnium aliarum origo, altera sui parte iugulum petens, altera deorsum ad spinam intorquetur. Pulmo cordi quatuor fibris, quæ Græcis λόβοι dicuntur, circundatus est, duabus in dextra ipsius parte, duab. in sinistra. Prçter has quinta in dextra thoracis parte exigua admodum apparet, quæ alterius veluti soboles est. Vbi spuriæ costæ in amplam cartilaginem desinunt, hic magnus quidam musculus & rotundus, quem Græci διάφραγμα

καὶ φρένας, Latini ſeptum tranſuerſum appellant, &
Plinius præcordia, quod ſcilicet cordi prætendan/
tur, oritur. Cæterum poſt thoracem venter ſequi/
tur, qui Græcis κοιλία καὶ γαστὴρ nominatur. Inci/
pit ab inferiore thoracis parte, & ad pudenda vſ/
que protenditur. Huius tegumentum, ſicut etiam
omnium reliquarum partium corporis, δέρμα Græ/
cis, Latinis cutis appellatur. Extima eius ſuperficies
ἐπιδερμὶς Græcis, ſumma cuticula Latinis dicitur.
Cuti membrana carnoſa ſubiacet, quæ Græcis ἐπι/
γάστριον, Latinis abdomen & ſumen, Arabibus mi/
rach, barbaris panniculus carnoſus nuncupatur. Có/
cauum in medio ventris Græcis ὀμφαλὸς, Latinis
vmbilicus vocatur. Vmbilici autem medium ἀ/
κρομφάλιον græcè nominatur. Circumiecta vmbilico
cutis γραῖα, hoc eſt, anus appellatur, quoniam cor/
rugata ſenectutis iudicium eſt. Pars ſub vmbilico
incipiens ad pubem vſque protenſa, Græcis ἦτρον
καὶ ὑπογάστριον, Latinis imus venter nuncupatur.
Poſt abdominis muſculos, qui octo ſunt numero,
membrana prætenuis, latis araneorum telis ſimili/
ma apparet, quæ Græcis περιτόναιον, Latinis perito/
næum, Arabibus ſiphach dicitur. Amoto peritonæo
corpus quoddam occurrit, quod à Græcis ἐπίπλοον
καὶ ἐπίπλουν, Latinis autem omentum, barbaris zir/
bus & Sirbus, ac rete nominatur. Omentum inteſti/
na, quæ ſex numero ſunt, ſequuntur. Primum & in/
ferius Græci ἀπευθυσμένον, Latini rectum & longano/
nem vocant. Porrigitur ad ſedem vſque, quæ græ/
cis ἕδρα, Latinis anus & podex vocatur. Hoc ſequi/
tur colon, craſſum inteſtinum, & aliis carnoſius. Huic
coniungitur aliud quod Græcis τυφλὸν, Latinis ve/
ro cæcum appellatur. Aliis monoculum dicitur. Poſt
tria iam commemorata craſſa inteſtina, ſequuntur te

Septum tranſuerſum.
διάφραγμα.
φρένες.
Præcordia.
Venter.
κοιλία. γαστήρ.
Cutis. δέρμα.
ἐπιδερμίς.
ἐπιγάστριον.
Abdomen.
Sumen.
ὀμφαλός.
Vmbilicus.
ἀκρομφάλιον.
γραῖα.
Muſculi abdominis.
ἦτρον. ὑπογάστριον.
Imus venter.
Peritonæum.
ἐπίπλοον.
Omentum.
Zirbus.
Inteſtina ſex.
Rectum.
Longanon.
Anus. Podex.
ἕδρα.
Colon. κῶλον.
τυφλόν Cæcũ.
Monoculum.

λεπτὸν. nuia.quorum primum Græcis λεπτὸν, Latinis vero te nue aut gracile vocatur. Huic proximum est, quod νῆστιν, Latini vero ieiunum nominant. Vltimum intestinum est quod à duodecim digitorum longitudine Græci δωδεκαδάκτυλον, Latini autem duodenum appellat, alio nomine ἔκφυσις Græcis, Latinis vero exor tus dicit. Pars quæ media inter intestina sita est, eáq; dorso alligat, Græcis μεσεντέριον καὶ μεσάραιον nominatur. Mesenterium quidem à situ, in medio siquidē intestinorum situm: Mesaræon autem à propria substantia, quia ex tenuib. ac angustis venis constat. In eo enim venæ sunt, quæ ex iecinoris porta, vbi inuicem coeunt, & ad vnum principium perueniunt, in ipsum descendunt, quibus iecur veluti manibus quæ ei cibum ex ventriculo afferant, vtitur, & mesenteriacæ seu mesaraæ, à nostris meseraicç dicūtur. Extra mesenterium quoddam est corpus glandulosum, Græcis πάγκρεας, quasi totum carneum nominatum, spacium intra lienem, ventriculum & iecur vacuum in dorso explet. Meatus inferior ventriculi, qui ex fundo eius explantatur, Græcis πυλωρὸς, Latinis ianitor nuncupatur. Viscus quod venarum omnium principium, & in dextra hypochondriorum parte situm est, ἧπαρ Græcis, iecur Latinis vocatur. Hoc in quinas magna ex parte diductum est fibras, λόβους Græci appellant. In quibusdam tamen ne fibras quidem habet, sed ex toto rotundum, minusq; rectum: quibusdam duas, aliis plures, multis & quatuor obtinet. Ex maiore iecoris fibra parte caua, canalis vnus exiguus bilem in vesicam sibi appendulā deriuat, quā Græci κύστιν χοληδόχον, Latini vesicam bilis susceptri cem, bilis folliculum, & vesicam fellis nominant. Ex gibba iecoris parte omnium totius corporis venarū maxima prodit, quam ob magnitudinem cauam di-

Margin notes: Ieiunum. δωδεκαδάκτυλον. ἔκφυσις. Exortus. Mesenterium. Venæ mesenteriacæ, seu mesaraæ. Porta iecinoris. πάγκρεας. πυλωρός. Iecur. Fibræ iecinoris. Vesica fellis. κύστις χοληδόχος. Folliculus bilis. Vena caua.

xerunt. Sinistra in animantis parte viscus consistit, quod Græcis σπλὴν, Latinis splen & lien appellatur. Ex vtraque parte, paululum sub iecinore, cauæ venæ adiacent, νεφροὶ Græcis, renes Latinis vocati. Ex caua vena rami omnium eorum qui inde propagātur maximi, singuli in singulos renes subiectos mittuntur, quos meatus attractorios, vel venas emulgentes, aut venas sanguinis serum deferentes nominant. Vrinā à sanguine secretam meatus quidam, quos Græci οὐρητῆρας, Latini vrinarios vocant, ad vesicam ex renibus deferunt. Vasa seminaria sunt geminæ venæ, & totidem arteriæ, singulæ vtraque parte magnæ venæ, magnæque arteriæ propagines, per ilia deorsum in testes sanguinem deferentes, qui Græcis δίδυμοι, quod gemini sint, appellantur. Pars quæ capiti testiculorū incumbit ἐπιδιδυμὶς vocatur. Epididymidi vasa quæ sanguinem & spiritum testiculis deferunt, anfractuosis circumuolutionibus adhærescentia, in vnū meatum seminarium longissimum desinunt, qui genituram ex epididymide transsumens ad pudendi exortum effert, varicosum processu iuxta vesicæ ceruicē, vnde Græcis παραστάτης κιρσοειδὴς dicitur. In colis radice παραστάται ἀδενοειδεῖς, hoc est, adstites glandulosi siti sunt, in hoc à natura creati vt vesicæ ceruicē ac vrinariam fistulam humectent, ne resiccata ægre mobilis reddatur. Nerui ex quibus genitales partes dependent, Græcis κρεμαστῆρες, quasi pensiles nominantur. Testem vtrunque operiunt duæ membranæ, quarum interior tenuis est, neruosa, exanguis, alba, Græcis ἐρυθροειδὴς nominatur, non sanè quod rubicunda sit sed quod velaminis seu putaminis formam habeat. Atticorum enim more ρ pro λ scribitur, vt idem sit quod ἐλυτροειδὴς, voce hac ἀπὸ τοῦ ἐλύτρου, quod Latinis velamen, receptaculum, & putamen si-

Lien. σπλήν. Renes. νεφροί. Meatus attractorii. Venæ emulgentes. Meat. urinarii οὐρητῆρες. Vasa seminaria Testes. δίδυμοι. ἐπιδιδυμίς. Varicosus adstes. παραστάτης. κιρσοειδής. προστάτης. ἀδενοειδής. Adstites glandulosi. κρεμαστῆρες. ἐρυθροειδής.

gnificat,& ἀπὸ δέρω deducta. Quare temerè faciunt Ga-
leni interpretes, qui rubicundam membranam inter-
pretantur. Supra iam dictam membranam valentior
est, interne iam eius parte vehementer inhærens,
δάρτος. Græci δάρτον appellant. He membranæ à Mundi-
no & alijs barbaris autoribus, quod binæ nimirum
sint, didymi vocantur. Commune vtriusq; membra-
ὄσχεον. næ, omniumq; interiorum velamentum rugosum
Scrotum. Græcis ὄσχεον, Latinis scrotum nuncupatur. Virga
καυλός. virilis Græcis καυλός, Latinis vero coles, & penis
Coles. Penis. dicitur. Summum & extremum penis, Græci βάλα-
βάλανος. νον, Latini glandem nominant. Huius cuticula qua
Glans. tegitur ποσθὴ Græcis, præputium Latinis vocatur.
ποσθή. Spatium penem & anum intercedens, περίναιον
Præputium. Græcis appellatur. Vterus seu vulua inter vesicam
περίναιον. & rectum intestinum sita, μήτρα καὶ ὑστέρα Græ-
Vterus. cis nominatur. Ab vtraq. fundi eius parte superio-
ri, processus quosdam mammillares ad ilia lumbos-
ue nutantes obtinet, quæ à figura semisecti circuli,
Cornua. κεραῖαι Græcis, cornua Latinis nominantur. Hæc
primum sursum vergentia, postea deorsum declinan-
tia, paulatim fiunt angustiora, donec in fines exacte
Testes mulie- angustos desinant, atq; adeo venis assimilētur. Sinuo-
bres. sis itaq; flexibus inferius delata interuentu vasis se-
minarij testibus inseruntur, qui à lateribus singuli ab
vtraq; fundi parte, paulo superius ab ipsis cornibus
abducti, siti sunt. Semen siquidem non in ceruicem,
sed in sinũ vteri fundunt. Porro in medio vteri mē-
Hymen. brana est retis formam habens, ex venis & fibris con-
Interseptũ vir- texta, quæ Græcis ὑμὴν, Latinis hymen, & inter-
ginale. septum virginale dicitur. In extremo ceruicis ore,
vbi concidua labra rimam relinquunt, tanquā pro-
pugnaculum quoddam & munimentum tegens &
refrigerari prohibens, est caruncula subsultans & ex

creſcens, quæ Græcis νύμφη, ἢ μύρτον, ἢ ἐπίδερις, ἢ κλει- Nympha.
τορὶς, Latinis vero græco vtentibus nomine nympha
vocatur. Oſcula vaſorum ad vterum venientium
κοτυληδόνες Græcis, acetabula vero Latinis nuncu- κοτυληδόνες.
pantur, quod ſcilicet eminentias ad concauaq́ue in cir- Acetabula.
ris polyporum partium ſimilitudinē innaſcentes ha-
beant. Porro cum mulier conceperit ex ſemine mem-
branę generantur, quaꝝ prima quæ totũ orbicula-
tim fœtum amplectitur tenuis eſt, & ab agnoꝝ molli-
tie teneritudine ue ἄμνιος Græcis appellatur, ſuſci- Amnios.
pitq́; vaporē à conceptu defluentē, qui perfectorum
animaliũ ſudori proportione reſpondet. Huic foris
alia tenuior incumbit, quæ ἀλλαντοειδὴς, à figura far- ἀλλαντοειδής.
ciminis, nominatur. Hæc ad fœtus veſicæ fundum
lato & inſigni meatu peruia eſt, atq; vrinam fœtus
iam efformati in ſe recipit, ac ad partum vſq; colligit.
Tertia eſt quę extrinſecus circumpoſita eſt, tenuis
quidem, verum fortis membrana, totam integens in-
teriorem vuluam, quæ à Græcis χόριον, à Latinis ve-
ro ſecunda vocatur. Cęterũ pedis pars exterior quę
à coxis incipit, & ad genua finitur, μηρὸν Græcis, Lati-
nis vero femur dicitur, ſicut exterior femen. Rotula Femur.
ſeu patella genu contegens, μύλη καὶ ἐπιγονατὶς no- Femen.
minatur. Os minus cruris περόνη Græcis, Latinis ſu- ἐπιγονατίς.
ra nuncupatur. Maius autem κνήμη Græcis, tibia περόνη.
Latinis. Clauiculæ extremæ tibiæ, ſuræq́; proceſ- Sura.
ſuum partes, σφυρὰ Græcis, malleoli Latinis vo- κνήμη.
cantur ἀστράγαλοι vero qui Latinis tali nominan- Tibia.
tur, ſub malleolis, vtrinq; continentur, ac vndi- σφυρά.
quaq; contenguntur, vt ne eos quidem tangere Malleoli.
poſſis. Hæc pro compendii ratione ſufficiant: nam
vberiorem partium corporis humani explicationem
in anatome noſtra trademus. Iam autem commemo-
ratæ corporis humani partes, diligentiſſime à medi-

co sunt perdiscendæ, vt nimirum sciat cuiuslibet partis essentiæ proprietatem, atq; adeo prompte quomodo patientes particulæ possint discerni, intelligat. Nam sæpenumero essentiæ proprietas patietem partem haud obscure indicat, quemadmodum copiose Galenus statim ab initio libri primi de patientibus locis monstrauit: & lib. 2. cap. 3. vbi sex etiam generales notas, quibus deprehenditur locus patiens, recenset. Dignoscitur enim à symptomatibus, ab actione læsa, excrementorum qualitate, à tumoribus præter naturam, doloribus, & coloris vitio: quæ singula accurata opera sunt expendenda, quo partium patientium cognitionem capiamus.

Notæ generales loci patientes.

De facultatibus. Cap. XII.

Facultas quid.

FAcultas est causa à qua procedit actio. Sunt autem numero tres diuersi inter se generis facultates quæ animal gubernant, toti corpori ex suo quodam veluti fonte quæq; distributa, animalis scilicet, vitalis, & naturalis. Animalis est quæ ex cerebro per neruos, ceu fistulas quasdam, sensum & motum in totum corpus transmittit, ac intellectum fouet: hæc Græcis alio nomine λογιστικὴ, hoc est, ratiocinatrix dicitur. Ea voluntariis actionibus vnà cum sensibus præsidet. Vitalis est quæ ex corde p arterias ceu canales quosdam, vitam vniuerso corpori impertit. Vocatur alio nomine Græcis θυμοειδὴς, hoc est, irascibilis seu animosa. Vnde liquet, cor insiti caloris esse veluti quendam fontem. Naturalis est quæ ex iecinore per venas omnibus corporis partibus alimoniam præbet, Græcis alia appellatione ἐπιθυμητικὴ, id est, concupiscibilis seu appetitrix, & θρεπτικὴ, hoc est, altrix vocatur. Ea quadruplex est, attractrix nimirum, retentrix, concoctrix, seu alteratrix & expultrix. Attractrix est quæ conuenientem particulæ succum appetere &

Animalis.
λογιστική.
Vitalis.
θυμοειδής.
Cor fons insiti caloris.
Naturalis.
ἐπιθυμητική.
θρεπτική.
Attractrix.
ἑλκτική.

attrahere poteſt. Conueniens autẽ & familiaris cuiq; particulæ ſuccus eſt, qui maxime vt huic aſſimiletur, atq; adeo vt inde alatur eſt accommodus. Hæc itaq; facultas materię copiam, ex qua quæuis particula nu tritur, ſuppeditat, atq; adeo alteratrici famulatur. Re tentrix facultas eſt, quæ attractum ſuccum retinet eo uſq;, donec alteratrix eum in naturam partis quæ nu tritur mutauerit. Hęc alteratrici miniſtrat. Alteratrix, ab actione nimirum ipſa generatim ſic dicta, particu latim vero aſſimilatrix, nutritoriaq;, eſt quæ id quod attractum & aliquandiu retentum eſt, alterat, immu tat, concoquit, ac parti quæ alitur apponit, & aſſimi lat. Expultrix eſt quæ à coctione inutilia & aliena ſe gregat, & excrementa ſingula ex corporis particulis pellit, ne ſi moram diutius in corpore traxerint, pu treſcant. Hæc itidem vt retentrix alteratrici mini ſtrat. Ineſſe autem quatuor iam commemoratas facul tates naturales vnicuiq; corporis particulæ, Galenus in libris de his ipſis facultatibus inſcriptis copioſiſſi me demonſtrauit. Cæterum in fœtus generatione fa cultas formatrix eſt, quæ compagem, formamq. par tium, & internę earundem cauitatis ſpeciem effingit. Huic famulantur nutrix & auctrix. Eſt vero auctrix facultas ea quę ampliat in longum, latum, & profun dum. Hæc vbi perfectam magnitudinem animal eſt adeptum, toto poſtquam editum eſt tempore, vſq; ad ætatis vigorem dominatur. Auxiliatrices & veluti miniſtræ eius ſunt, alteratrix & nutrix.

Retentrix. καθεκτική.

Alteratrix. ἀλλοιωτική.

Aſſimilatrix. ὁμοιωτική.

Nutrix. θρεπτική.

Expultrix. ἐκκριτική.

Formatrix.

Auctrix.

De actionibus. Cap. XIII.

Actio ſeu functio, operatio ue, eſt motus actiuus qui à facultate procedit, ἐνέργειαν Græci nomi nant. Eſt itaq; facultas actionum cauſa: proinde hac pereunte, nulla vnquam ſequetur actio. Opus autem eſt, quod iam factum atq; completum per actionem

Actio quid. ἐνέργεια.

Opus quid.

est, veluti sanguis, caro, neruus. Et actionem quidem licet opus quoddam naturæ appelles, ceu concoctionem, digestionem, & sanguificationem, non tamen cõtrà licet opus actionem omnino voces: siquidem caro naturæ opus est, non tamen est actio. Est autem duplex in corpore humano actio. Vna animalis seu voluntaria, quę nimirum à neruis & musculis procedit. Et est ea, quam cum fit, sedare poteris vbi velis: & cum non fit, excitare: vt motio crurum, quam sedare dum fit, & rursus excitare quiescentem, & velociorẽ & tardiorem efficere poteris. Ea triplex existit. Quædam enim sentiendi actio est, & hæc quidem quintuplex, videndi nimirum, audiendi, odorandi, gustandi, & tangendi. Altera autem mouendi, vnam duntaxat motionis speciem, voluntariæ scilicet, obtinens. Tertia princeps, quæ sanè triplex est, imaginatio videlicet, cogitatio seu ratiocinatio, & memoria. Porrò respiratio non est composita actio, partim ex arbitrio, partim sponte proueniens, vt nonnulli falsò putant, sed est planè animalis & voluntaria, quemadmodum docet Gal. in lib. de causis respirationis, & lib. 2. de motu musculorum. Siquidem ab electione, à qua adeò ab anima fit, retinerique ad arbitrium potest, id quod declarauit seruus barbarus, cuius Gal. meminit, qui quum ira concitatus esset, mori super terram prostratus voluit. Respiratione nanque retenta, longo quidẽ tempore immobilis erat: postea verò paululum reuolutus, hoc pacto mortuus est. Et si quidem possibile non esset vsquequaque respirationem retinere, non tamen idcirco aliquis negare posset, quin ipsa secundum electionem fieret. Apparent enim earum actionum quæ secundum electionem fiunt, aliæ quidem absolute liberæ esse, aliæ verò corporis passionibus seruire. Priores itaque perpe-

Actio duplex. Animalis seu voluntaria.

Sentiendi.

Mouendi.

Princeps.

Respiratio actio est animalis.

Actiones voluntariæ, alia liberæ, alia corporis passionibus seruiunt.

tuo absq; impedimento à nobis fiunt: posteriores vero non perpetuo, sed in tempore quodá, & cum certa mensura. Nam ambulare ad aliquem, & alloqui, & capere aliqd, & recipere, pfectè liberæ sunt: egerere vero & mingere, corporis passionũ remedia sunt. Atqui nonnulli tacuerunt quidem per annum integrum, & plus temporis, quandoquidem sic constituerunt. Egestionem vero vel vrinam retinere, nõ modo annis, sed ne mensib. quidem; quinimo nec diebus paucis, nemo potuit: Adeo enim vrgent ac sæpius molestant, vel multitudine grauantia, vel acrimonia mordicantia, vt quidam ne in locum quidem consuetum abire potuerint. Similis autem iis est & respirationis actio, multoq; magis vrget, ac celerius necessitatem habet: etenim periculum est ne moriatur, qui non respirauerit. Nihil igitur mirum si penitus retinere ipsam difficile sit: neq; enim omnes ad moriendum prompti sunt, etiamsi infinitis malis opprimantur. Cæterum naturalis actio, seu voluntatis expers, ex vena & arteria procedit: & est quæ non pendet à consilio, aut electione & arbitrio, sed sponte ac naturaliter fit, vt motus cordis & arteriarum, quẽ pulsum nominant: hunc enim neq; sedare, neq; excitare, neq; celeriorẽ, neq; tardiorẽ, neq; crebriorem, neq; rariorem efficere licebit. Galenus tamen in lib. 1. de difficultate spirandi, eam actionem quę ab arteria fit, ζωτικὴν, id est, vitalem, peculiari nomine appellat. Nobis tamen placuit vt naturalem diceremus, quod Galenus quoq; in lib. de motu musculorum facit. Inter actiones naturæ connumeratur generatio, actio, nutritio, formatio, alteratio, appetentia, attractio, concoctio, retentio, distributio, excretio, & similes. Verum generatio, vt obiter moneamus, non est simplex quędam actio naturę,

Pythagorici.

Naturalis actio

Motus cordis & pulsus, naturæ actiões sunt.

Generatio.

ſed ex alteratione formationeq́. compoſita. Vt enim os fiat, item neruus, vena, & reliquarum quælibet, alteratam eſſe oportet ſubiectam, vnde animal fit, ſubſtantiam. Vt vero congruentem figuram, & poſiturã, & caua quędam, & velenata, vel adnata aliaq́; id genus habeat, effingi eam oportet quæ alteratur materiam.

Auctio. Auctio vero, ſolidarum animalis partium augmentum ampliatioq́;, in longum, latum, & profundũ eſt.

Nutritio. Nutritio autem nihil aliud eſt quàm perfecta adſimilatio.

Agglutinatio. Quæ tamen vt fiat, neceſſum eſt vt agglutinatio ſiue adhærentia præcedat, ſicuti etiam vt illa fiat, appoſitio. Poſtquam enim ſuccus is qui omnem animalis particulam nutriturus eſt, à vaſis excidit, in totam eam primum diſpergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demum aſſimilatur. Atq; iam dictæ quidem actiones, primæ, ac veluti capita ſunt: deſiderant tamen tum ipſarum inter ſe, tum aliarum miniſterium.

Actiones quare à medico conſiderandæ. Cęterum actiones omnes accurata opera conſiderandę ſunt, quod ex iis corporis conſtitutionem dignoſcere liceat. Eam enim quæ intra ſanitatis terminos conſiſtit, illęſę & inculpatæ actiones ſequũtur, Morboſam vero, vitioſæ & culpabiles. Neq; corporis conſtitutionem duntaxat actio læſa prodit, ſed & partem patientem. Nulla ſiquidem actio lęditur, niſi pars & inſtrumentum quę ipſam efficit patiatur:

Naturalia inſtrumẽta ab animalibus differunt. id quod in naturalibus maxime inſtrumentis accidere euidentiſſimum eſt, quæ cognatam actionis vim obtinent. Vt enim magneti lapidi vis ineſt, qua ferrum attrahere poteſt: ita naturalia, quoq; inſtrumẽta omnia facultatem habent, qua actionem ſuam perficiunt. Animalia vero inſtrumenta, cognatum ſenſus & motus principium non habent, ſed iis aliunde, velut lumen à ſole, ſuppeditatur. Quamobrẽ ſolis partibus, quæ & ſentiendi & mouendi vim obtinent,

accidit

accidit, vt ipsis interdū haudquaquam læsis, nihilominus eorum actio pereat: id quod naturalib. instrumentis, vt diximus, accidere non solet: quoties enim horum actio læditur, semper ipsa priora patiunt. Sed de ijs omnibus copiosius scribit Gal. in libris de patientibus locis.

De spiritibus. Cap. XIIII.

Spiritus quid.

SPiritus est substantia subtilis, aërea, dilucida, ex tenuissima quaq; sanguinis parte producta, vt deferatur virtus à partibus principatum obtinentibus ad reliquas, ac pprias edere actiones possint.

Spiritus triplex quorundā sententia.

Vulgus medicorū triplicē facit spiritum, animalem, vitalem, & naturalē.

Animalis.

Animalis in cerebro sedē habet, & per neruos in vniuersum diffundit corpus, mouēdi sentiēdiq; facultatē præbens. Animalis vero dicitur, nō quod animæ substantia, sed potius primum eius ibi habitātis instrumentū sit. Generatur ex vitali sursum per arterias elato, perfectius cocto & elaborato. In quem sanè vsum reticularē plexum, quasi varium quendam labyrinthum, iuxta cerebrū natura fabricauit. Vbi enim hæc ipsa accurate materiam elaborari vult, diutinā ei mora in concoctorijs instrumentis machinatur.

Vitalis.

Vitalis in corde continetur, & per arterias ad corporis partes defertur, cognati ac insiti nobis caloris causa existēs. Generatur ex inspiratione, & sanguinis exhalatiōe. Hinc est quod Hippoc. in libro περὶ τροφῆς sic scriptum reliquerit: ἀρχὴ τροφῆς πνεύματος ῥῖνες, στόμα, βρόγχος, πνεύμων, καὶ ἄλλη διαπνοή. hoc est, principium alimenti spiritus, nares, os, arteria, pulmo, & reliqua transpiratio.

Naturalis.

Spiritus naturalis nō est necessarius.

Naturalis in iecinore, & venis est, modo aliquis sit spiritus naturalis. Neq; enim necessarius est spiritus naturalis, qui nutriēdi vim ad partes corpo

ris deferat: quandoquidem, Gal. lib. 1. de locis patiẽtibus cap. vltimo teste, ea ipsis, haud secus quàm Magneti lapidi vis trahendi ferrum, cognata sit, & nutrimentũ absq; spiritus naturalis influxu suppetat. Accedit quod iecori etiam desit materia, ex qua naturalis spiritus generari possit. Si enim vlla materia esset vnde naturalis procrearetur spiritus, certe vitalem, ex quo etiam animalis generatur, vt est dictum, esse oporteret. Quum vero huius prima generatio in corde sit, & ab eo per arterias in vniuersum corpus diffundatur, necessarium esset magnas arterias ad iecur peruenire, spiritus vitalis tantam copiam suppeditantes, quæ pro naturalis materia sufficere posset. Per dissectionem vero constat, ad simas tantum iecinoris partes arterias, & eas quidem valde paruas mitti, quę non tantũ spiritus vitalis, vt ex eo naturalis gigni possit, deferunt, quandoquidẽ multò plures sint partes corporis quæ vi naturali egent, quàm quę animali. Accedit quod nulla in iecore tanta sit cauitas, quãta in cerebro & corde est, in qua naturalis spiritus generatio fieri valeat. Sed nec canales aut meatus suppetunt, per quos vbi genitus iam fuerit valeat ad membra deferri: nisi quispiã dixerit per easdẽ venas vnà cum sanguine spiritum ipsum transire, quod tamen nec corpus ipsum venarum patitur, vnica tantũ tunica contentum; nec motus seu pulsus indicat, qui venę non secus ac arteriæ adesse deberet. Sed nec aëri via vlla patet, quo sicut animalis & vitalis nutriri queat. Adde quod nec iecoris sanguis, ceu crassus ac turbulentus, necdum ab aliis humorib. emundatus, idoneus ad spiritus generationem videatur. Proinde cũ nec finis adsit ob quem spiritũ naturalem gigni oporteat: nec

materia vnde generari, vel conseruari possit, nec locus idoneus in quo gignatur, nec via per quam ad corporis partes deriuetur, merito de eo Gal. lib. 12. therap. meth. ambigue locutus est, & ex probabilibus iam commemoratis rationibus omitti potest, presertim cum citra eius famulitium, iecur suum principatum tueri valeat, distributo alimēto omnibus corporis partibus, & ipsis quoq; duobus reliquis principibus, quorum essentia, nisi iecur nutrimentum suppeditaret, seruari haud posset. Cæterum spirituum custodiæ attentum esse decet medicū, quod sine iis corpus viuere nequeat, nec virium essentia consistere valeat. Spiritus autem substantia sic custodienda, vt tum qualitate, tum quantitate quoad fieri licet, naturaliter se habeat, quemadmodum copiose Galenus loco paulo ante citato docet. Hactenus de corporis humani constitutione, atq; adeo de rebus naturalib. diximus: reliquum est vt res non naturales explicemus. Spirituū custodiæ attentum esse oportet.

De rerum non naturalium numero. Cap. XV.

ABsoluto primo ordine, qui fuit earum rerum quæ corpus humanum constituunt, ad alterū transeamus, qui eas res complectitur, quæ cōstitutionem corporis conseruare possunt, modo cōmode iis vtamur. Hinc est quod à Galeno cap. 8. artis medicæ, causæ conseruatrices nominentur. Nostri temporis medici res non naturales vocant, quod nimirum corpus nostrum necessario alterent, & nisi opportune ac salubriter adhibeantur, sanitatem etiam destruant. Quum itaq; is ordo secundus res tales contineat, quæ corporis constitutionem incolumem, vbi probè, & vt necessitas corporis exigit, cum mensura ac qualitate Causæ cōseruatrices. Res nō naturales.

opportuna accommodantur, conseruare possunt, merito ad eam medicinæ partem refertur quę sanitatem tuetur, præcauetq; ne in morbos incidamus, atque hoc nomine à Græcis ὑγιεινὴ appellatur. Proinde quum à rebus non naturalibus nominatis, corpus nostrum non modo alteretur, sed etiam sanitas ipsa, si perperàm ac sinistrè adhibentur, destruatur: danda opera erit vt quisq; illis sic vtatur, vt sanitatem conseruent potius quàm perdant. Quapropter vt vitam morbis minime obnoxiam traducamus, diligenter harum rerum, quæ sex sunt numero, vsum discamus.

1 Aër.
2 Cibus & potus, seu ea quæ assumuntur.
3 Motus & quies, tum totius corporis, tum singularum partium.
4 Somnus & vigilia.
5 Excretio & retẽtio, seu abundantia & inanitio.
6 Animi perturbationes.

Nunc quomodo singulæ harum corpus nostrũ alterare & afficere possunt, ordine explicabimus.

De Aëre. Cap XVI.

AEr multis alijs, & hoc potissimum nomine medico considerandus venit, quod calor natiuus eo ad sui conseruationem indigeat, atq; adeo is sit, quemadmodum Galenus libr. 9. ther. meth. ait, sine quo nec morbus tolli, nec tueri sanitas potest. Nulla deniq; eius euitandi ratio est, sed inuitis etiam nobis hauriendus, & quouis tempore pręsenti cœli statu vtendum. Vnicè itaq; studẽdũ erit vt opportunè adhibeatur, atq; adeo causa sit conseruatrix & salubris id quod fiet, si principio essentiam eius, num scilicet purus, crassus, aut nebulosus sit, considerauerimus. Nam opti

Aëris essentia.

mus est ac saluberrimus qui purus existit, cuiusmodi est qui nec stagni, nec paludis halitu infectus est, nec ex profundo specu pestilentem auram spirat, nec qui ex cloacis, quæ vastum aliquod oppidum, aut numerosum exercitum purgant, vitiũ contraxit: nec qui ex animalium, olerum, aut leguminũ putredine, aut fimo coinquinatur; nec qui ob stagnum, aut flumen vicinum nebulosus est. Aër autẽ editis montib. in valle inclusus, qui nullum perflatũ recipit, suffocans putrisq; est: similis ei qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectũ, plurimus aceruatur squalor ac situs. Proinde omnib. ætatibus noxius est, sicuti cõtrà qui purus est ac tenuis, nulli non ætati vtilis existit. Cæterum quum ambiens aër nostrum corpus, & qui in eo sunt spiritus alterare omnium maxime possit, diligenter perquirendum erit quæ qualitatum in eo dominetur. Nam vt tẽperatis corporibus temperatus aër saluberrimns est: ita intemperatis quidem is in quo cõtrariæ qualitates exuperãt optimus erit: verbi gratia, frigidis, calidus: calidis, frigidus: humidis, siccus: & siccioribus, humidus. Quod si vero ambientem qualitate contraria præditum habere non liceat, sedulo agendum est, vt talem quoad fieri potest, qualem esse expedit, præpares. Verbi gratia, si calidus & siccus sit morbus, humidiores & frigidiores domos præparabim⁹, & arte nostra moliemur, pauimenta earum assidue humore apergẽtes, tum vt ex euripo aliquo aura inspiret, machinantes: flores præterea ac germina quæ frigidæ humidæq; sunt facultatis, per aeram proijcientes. E diuerso si frigidus et humidus fuerit morbus, quæ calefaciant & exiccent domus præparã

Qualitas aëris.

Præparatio aëris.

Aëris locique mutatio.
6.epid.par. 5.aph.
2.aph.45.

dæ. In hunc vsum, in longis præsertim morbis, nõ parum proderit loci ac terræ mutatio, quemadmodum Hippocrates etiam monet in Epidemiis, vbi sic scriptum reliquit: In diuturnis morbis terram mutare expedit. Et alibi: Quicunque iuuenes passione comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victus quoque, liberantur. Galenus quoque Romæ pulmonis vlcere laborantes, vt metipse testatur lib. 5. ther. meth. ad Tabias, quod illic esset aër siccior, proficisci iussit. Porro vt loci mutationem recte præscribere queas, necesse est vt diligenter ea quæ in libello de aëre, aquis & locis, ab Hippocrate scripta sunt, expẽdas, & situm etiam locorũ terræ accurata opera ab ipsis geographis perdiscas. Deniq; vt astrorum syderum'que ortus & occasus perspectos habeas oportet, quod aëris ac cœli constitutionem mirificè immutare soleant.

Geographia'me dico necessaria.
Astronomiæ peritus sit medicus

De cibo & potu. Cap. XVII.

Circa eorum quæ assumuntur rationem, habenda est consideratio bonitatis, mensuræ, qualitatis, cõsuetudinis, delectationis, ordinis, temporis, horæ, & ætatis. Proinde qui corpus morbis minime obnoxium circunferre desiderat, huic in primis sit curæ vt cibis boni succi vtatur. Nam ad gignẽdos morbos maximam vim habet κακοχυμία, quæ non aliunde magis quàm ex mali & vitiosi succi alimẽtis conciliatur. In vniuersum autem cibus is bonus dicitur, qui leuis, tenuiumq; partium est, quiq; bonum succum procreat. Qui secus habet, malus censetur. Qui vero particulatim huius vel alterius naturæ cibi sint, Galenus in lib. de cibis boni & mali succi, & in iis quos de alimentorum facultatibus inscripsit, copiose docet, ex quibus ea quæ hoc in

loco compẽdii ratio fusius prosequi prohibet, pe-
tes. Deinde danda illi opera, vt nunquam plus
quàm exigit natura ingerat. Vbi enim cibus præ- Cibi mensura.
ter naturam plus ingestus est, vt ait Hippocrates, 2.aph.17.
hic morbum facit. Proinde alta tibi mente repo
sita maneat hæc non minus commoda quàm bre-
,, uis Hippocratis sententia: ἄσκησις ὑγιείης, ἀκορίη τρο- 6.Epid.par.
,, φῆς, ἀοκνίη πόνων. hoc est, sanitatis studium est non 4.aph.20
satiari cibis, & impigrum esse ad labores: sic enim
fiet vt nunquam, aut raro saltem morbum pericu-
losum incidas. Cæterum in ægris quoq; haud se-
cus quàm in sanis, medicum mensuræ eorum quæ
assumuntur, studiosum esse oportet: aliam siquidẽ
mensuram morbus acutus ac celer, aliam diutur-
nus exigit. Quanto enim acutior est morbus, tan-
to vigori vicinior, ideóq; minus cibi in eo exhibẽ-
,, dum. Hinc est quod Hippocrates dixerit: Vbi 1.aph.7.
,, morbus peracutus est, statim extremos labores
habet, & extremè tenuissimo victu vtendum. Vbi
vero non, sed pleniorem victum contingit ad-
hibere, tantum cibi indulgendum est, quanto
morbus extremis est mollior. Contrà morbus diu-
,, turnus tenuem victus rationẽ respuit: victus enim 1.aph.4.
,, tenuis atq; exquisitus, Hippoc. teste, in morbis
,, quidem longis semper periculosus. In vtroque
tamen morbo medicus accurata opera, dum cibi
mensuram præscribit, obseruet, quid ægrotantis
vires ferre queant. Vnicè enim cauendum, ne ob
peruersam victus rationem, virtus deficiat. Id
quod etiã diligẽter monuit Hippocr. dum inquit: 1.aph.9.
,, Coniectari autem oportet, an æger cum victu suf-
,, ficiat perdurare donec morbus consistat: & nun-
,, quid prius ille deficiat, nec possit cum victu per-
,, durare: vel morbus antea deficiat, ac hebetescat.

Porro hoc etiam animaduertat medicus, quod si inuictus ratione quis error committatur, maiorē semper esse eum qui in tenuiori fit victu, quàm paulo pleniore, quemadmodum luculenter Hippoc. iis innuit verbis: In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, in hoc maior fit, quàm in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosius existit valde exquisitus victus, & constitutus: quoniam errores grauius ferunt. Quibus verbis monet, ne temerè & absque diligenti examine, tenuem exacte victum imperemus, vt quē sciamus corpora ad tolerandos, si qui fortè committentur, errores reddere ineptiora. Atque vbi hunc imperamus, diligentius caueamus ne quis error vel ex nobis, vel ægroto, vel ex assidentibus, vel aliàs quomodolibet irrepat, haud ignorantes huiusmodi errata eos magis lædere qui tenuiter quàm qui plenius aluntur. Quare hoc in loco nō, suadet Hippocrates, quemadmodum nonnulli putant, vt medicus nunquam non in paulo pleniorem victus rationem magis pronus sit. Nam lib. 1. vict. acut. morb. 19. subtractioni magis studendū esse quàm adiectioni testatur, dum ita inquit: Ciborum adiectioni multo minus intendēdū: subtrahere vero in totum, sæpenumero expedit. Galenus etiam in explicatione illius sententiæ ait: Quod plus est, exuperatque, noxas interdum inemendabiles facit: verum quod minus est, facile emēdatur. Et iterum ibidem comm. 21. Qui ob dolorem, vel morbi acumen imbecilla sunt virtute, vacuatione interdum magis, quàm repletione indigent. Imò qui cibum iis exhibet, maximum affert detrimentum. Præterea cibi qualitas tam in sanis quàm in

1. aph. 5.

Cibi qualitas.

ægris, à medico accurate est expendenda. In sanis enim simili, non contraria qualitate prædìti cibi assumendi sunt, quod natura seu temperamẽtum eorum qui recte valent conseruãdum sit per similia, & minime per contraria demoliendum. Contrà in morbis, cibi potius aduersa qualitate præditi exhibendi: verbi gratia, in calido frigidi, in frigido calidi, in humido sicci, & in sicco humidi. Proinde humidus cibus iis conuenit, quorũ temperamentũ natura est humidum, vt sunt pueri: aut qui sicco aliquo morbo infestantur, vt sunt febricitantes. Hinc rectissime Hippocrates dixit: 1.aph.16.
,, Victus humidus febricitantibus omnibus cõfert,
,, maxime vero pueris, & aliis qui tali victu vti cõ-
,, sueuerunt. Vt vero calido temperamento similes cibi conueniunt, sic calido morbo contrarii, id
,, quod iis verbis confirmat Hippoc. Calidæ natu-
,, ræ refrigeratio, aquæ potio, & quies confert. Per 6.Epid. par.4. aph.13.
calidam enim naturam, vt in eius sententiæ explicatione copiose monstrauimus, non eam in qua natiuus, sed acris potius ac mordax calor, qui vtiq; est acquisititius ac prçter naturam, abundat, Hippocrates intelligit. Quod de humida & calida natura diximus, id etiam de frigida & sicca accipiendum erit. Porrò in cibi assumptione, imò in vniuersa victus ratione, vnicè consuetudo ipsa attendenda erit. Neq; enim temerè à veteribus dictum Consueti cibi.
est, ἐπίκτητοι φύσεις καὶ τὰ ἔθη. hoc est, consuetudinem esse acquisititiam seu alteram naturam: siquidẽ quæ sunt consueta minus nocere solẽt, vt testa ἐπίκτητοι φύσεις καὶ τὰ ἔθη.
,, tur Hippocrates, qui sic scriptũ reliquit: Quç ex
,, longo tẽpore cõsueta sunt, etsi deteriora sunt, in- 2.aph.50.
,, suetis minus molestare solẽt. Et iterũ: Condonãdũ
,, aliquid cõsuetudini. Quid multa? nõ solũ in sa- 1.aph.17.

nis, verumetiam in ægrotis consuetudinis ratio/nem habebit medicus, quemadmodum Hippocrates copiosissime in lib. 1. de victus ratione in
,, morbis acutis docet, vbi inter cætera in eum scri/
Aph. 21. ,, bit modum: Quòd vitiosus tum cibus, tum potus,
,, semper sibi similis, ad sanitatem tutior fit, quàm si
,, quis subitò ad alterum vel meliorē se transferat,
,, facile intelligitur. Nempe tum his qui bis die cō/
,, medunt, tum his qui semel, noxam imbecillitatēq;
,, pariunt repentinæ mutationes: qui que prandere
,, non consueuerūt, & prandent, statim ægrè habēt,
,, toto item corpore graues redduntur, imbecilles
,, & segnes. Quod si præterea cœnauerint, ructus
,, acidus & alui leuitas subsequitur. Grauatur enī
,, præter consuetudinem ventriculus, qui antea ari
,, dus esse, neq; bis intumescere, neq; bis cibos cō/
quere consuetus fuit. Hæc ille. Quare in morbis etiam medicus magna attentione obseruabit, ne temerè à consuetis cibis & potionibus ægros arceat. Si itaq; necessitate vrgente ad insueta planè transeūdum erit, tum idipsum nō subitò, sed pau
6. Epid. 3. par. 21. latim fiat. Repentinæ enim mutationes, vt ait Hippocrates, vitandæ. Et vt idem inquit, omne nimiū
2. aphor. 51. naturæ inimicū: quod aūt sensim fit, tutū est. Mutatio igitur eorū quæ consueuimus, eodem etiam
2. uict. acut. 18 Hippocrate tradente, nō parū conducit, si eius recta sit translatio, hoc est, si nō fuerit repentina. Cęterū medicus in ciborum assumptione animaduer
Cibi delectabiles. tat, quibus maximè delectetur æger. Nam suauior cibus, etiamsi parum deterior sit, sæpe meliori prę ferendus: quod ea quæ cū voluptate assumuntur, ventriculus auidius amplectatur, faciliusq; concoquat: contrà, ea quæ displicent, refugiat. Hinc est
2. aphor. 38 ,, quod Hippoc. in aphor. sic scriptū reliquerit. Pa

„ rum deterior cibus aut potus, suauior autem, me-
„ lioribus quidem, sed minus suauibus, est præferé- dus. Vnicè denique obseruandum, ne præpostero ordine cibi ingerantur: id quod fiet, si concoctu facilia, iis quæ difficulter concoquuntur præmittantur, & si humida siccis & aridis, ac lubricantia adstringentibus antecedant. Ordo itaque præposterus erit si quis cotonea, aut punica mala in primis ingesserit, postremum autem olera ex oleo garo sumpserit. Cauendum etiam ne intempestiue cibum ingerant tam sani quàm ægri. Sani itaque non sumant cibũ nisi antea modicè fuerint exercitati, vel hesternus cibus descenderit. Consueta etiam hora, ac illiciente appetitu prandeant & cœnent, nec iis cibum exigentibus differát. Aegri autẽ i accessionibus morborum à cibo prorsus abstineant: quod Hippocrates etiá sic scribens

Ordo rectus ciborum.

Tempus assumẽdi cibum.

„ præcipit: In accessionibus abstinere oportet, nam „ cibum dare nociuũ est. Et quibus per circuitum „ accessiones fiunt, in ipsa accessióe abstinere opor„ tet. Et iterum: His qui per circuitus accessiones „ habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed sub„ trahere adiectioni ante iudicationes. Atque alibi: „ Quum à vacuatione sorbitiones exhibere volue„ ris, obserua febrium accessiones, vt neque quũ ad„ sunt, neque quum venturæ sunt, eas ingeras, sed „ quum iá finitæ sunt, aut coquieuerunt, &. quum „ maxime ab initio distare vi dẽtur. Porro i harum potissimũ febriũ accessionibus, quæ ob plenitudinẽ, vel obstructionem, vel phlegmoné, vel humoris alicuius putredinẽ oriuntur, maximo malo est cibus, sic vt hi quidẽ quibus hac ratione febris accenditur, nec in inclinatione febris citra noxã nutriantur, nedum ipsa accessione inuadente. Quum

1. aphor. 11.

1. aph. 19.

4. uict. acut. 34.

vero febris accenditur propter mordentẽ acrimoniam excalfacti extenuatiq; ex sole, inedia & laboribus succi, maximum eius remedium est humidũ nutrimentum. Proinde sic laborantes omni certe tempore, sed potissimum per inclinationes sunt nutriendi. Qui autem sicco temperamento ac calido præditi sunt, aut à primo ortu, aut certe illo tẽpore, ii viribus necessario imbecilles existũt: neq; enim fieri potest vt abunde siccum calidumq; corpus quũ febricitat, viribus sit valentibus, quapropter & quum inuasura adhuc est, & quum incipit febris, cibandi sunt. Sunto igitur medico à primo statim die in omni ægro spectanda duo illa quæ Hippoc. iussit, à quibus cibandi consilia petat, morbi summus vigor, & ægrotantis vires. Conténẽda itaq; audacter diatritos, hoc est, tridui inedia, & æger, vbi vires imbecillæ fuerint, protinus in primo secundo ue die nutriendus, idq; in accessione, quemadmodum Galenus lib. 10. ther. meth. elegãti ac perutili historia docet, quam vtpote prolixã, lubens omitto. Porro in cibi potusq; ratione præscribenda, tempus anni minime negligendum venit, quod alii cibi veri, alii æstati, alii quoq; autumno & hyemi conueniant. Hyeme siquidem, quæ frigida humidaq; temperamẽto existit, plus quàm aliis anni temporibus esse, minus autem bibere ꝓ̃ducit. Vtendum etiam hoc anni tempore cibis & potionibus corpus nostrum calefacientibus & exiccantib. vt sunt carnes assæ, panis, brassica, vinum meracius, & eiusmodi. At Vere paulum cibo demẽdum, adiiciendumq; potioni, sed dilutius tamen bibendum est: magis carne vtendum, transeundumq; paulatim ad elixa ab assis. Quum enim uer in summorum medio temperaturam habeat, vt in

1. aphor. 9.
Diatritos.
Cibi tẽporibus anni cõgruẽtes
Hyemi.
Veri.

superioribus monstrauimus, mediam etiam victus rationē requirit, frigidiorem sanè & humidiorē, vt ad hyemem, calidiorem & ficciorem tanquam ad æstatem. Huc sanè respexit Soranus, qui ca. 5. suæ Isagoges sic scriptum reliquit: Vere vti oportet rebus frigidis amaris, siccis, & quæ ventrem molliant minimeq; ieiuniandum. Ex quibus omnibus perspicuum fit, si ad anni tempora respexeris, plus hyeme et vere, quàm alijs temporibus anni edendum esse, carneq; potius, quàm piscibus utendum. Id quod Hippocrates etiam confirmat, qui in aphorismis in eum scribit modum: Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus egent alimentis. Et paulo post: Aestate & autūno cibos difficilime ferunt, hyeme facilime, secundo loco vere [redacted] A estate obseruandum vt corpus sit molle & frigidū: quare hoc tēpore cibis demendum potioni vero adijciendū: siccum enim & calidum existit. Elixis itaq; vtendum, cibisq; frigidis ac potione tum multa, tum diluta. Per autumnum cibo paulo pleniore & sic

1.aph.15.

1.aph.18.

3.aphor.9.

A estati.

Autumno.

ciore quàm in æstate: minus, sed meracius, bibere cōmodū est. Præterea quemadmodum tēporis, sic quoq; ætatis ratio in cibo & potu adhibendis, ha benda erit. Pueris siquidem, Hippocrate in apho ris. teste, humida victus ratio debetur. Neq; enim corpora illorum exiccare oportet, quod hoc mo do ne crescerent prohiberemus. Puberum & ado lescentium ætas in optimo temperamento cōsistit, ideoq; ijs etiam victum temperamento mediū ad hibere conuenit, qui nec calidius, nec frigidius, vel humidius, vel siccius ipsorum corpus efficiat. Iuuenibus, quoniam impense calidi & sicci sunt, contraria confert victus ratione vti. Senibus au tem cibi & potus qui solidas eorundem corporis partes calefacere & humectare possunt, cōducūt. Plures etiam cibos requirunt pueri & adolescen tes, pauciores iuuenes & senes, vt luculenter iis verbis docuit Hipp. Senes, inquiēs, facilime ieiu niū & ciborum paucitatem ferunt: secundo loco qui ætatem consistentem habent. Minus adolescē tes, omniū minime pueri, præsertim qui inter ip sos sunt viuidiores. Et statim, Qui crescunt pluri mū habent calidi innati, plurimo igitur egent ali mento, alioquin corpus absumitur. Senibus vero parum calidi innati inest, paucis propterea fomi tibus egent, quia à multis extinguitur. Hæc de ci bi potusq; ratione sufficiant. Possunt autē in hunc locum referri omnia quæ de alimentis apud Ga len. & alios probatos autores reperta fuerint.

Cibi ætatibus cōuenientes. 1. aph. 16. Puerorum. Puberū & adolescentium. Iuuenum. Senum. 1. aphor. 13. 1. aph. 14.

De motu & quiete. Cap. XVIII.

Motus.

Motus voce hoc loco omnis generis exer citia intellige, sicut est saltus, disci iactus cursus, vmbratilis armorum meditatio, pi læ ludus, & eiusmodi, qualia multa Gal. libr. 2. de

tuenda valetudine commemorat. His etiam connumeratur frictio, cuius frequens apud veteres, sicut in hodiernum usque diem apud Italos, usus fuit. Sunt autem huius sex in vniuersum differentiae. Est enim dura, quae quidē corpus cogit. Mollis, quae laxat aut soluit. Multa, quae extenuat ac minuit. Mediocris, quae augendi vim obtinet. Aspera, ad exteriora pertrahit. Leuis, quae in partibus retinet. Harum omniū differentiarum vberiorem explicationem ex loco Galeni iam citato petes. Gestatio quoq; exercitiorū generibus annumeratur, cuius quidem mirum modum Asclepiades exhibuit. Is enim supra nauicularū, lecticarum ac curruum gestationes, Plinio lib. 26. cap. 3. autore, lectū pensilem excogitauit, cuius iactatu aut morbos extenuare, aut somnos allicere conabatur. Sub gestatione comprehenduntur equitatio & vectatio. Equitatio certe, Cornelio Celso lib. 4. cap. 19. teste, mirifice intestina confirmat. Caeterum qui sanitatis studio tenentur, ii exercitorum praecipuā curam habebunt, quod illorum maxima sit commoditas. Tria enim potissimum ab iis in corpore exercitando perficiuntur, instrumentorum scilicet durities ex mutuo ipsorum attritu, insiti caloris augmentum, & spiritus citatior, vehementiorue motus. Sequuntur vero haec, reliqua etiā particulatim commoda. Instrumentorum quidem duritiam, tum vt minus ex labore afficiantur, tum ad actiones robur. Caloris augmentum, tum deducendorum in corpus validus attractus, tum immutatio magis expedita, tum nutritio magis felix, tū singularum corporis partium fusio, cuius beneficio solida mollescere, humida tenuari, meatusq; laxiores fieri accidit. At ob spiritus valētiorē mo-

Frictio.

Gestatio.

Equitatio.

Vectatio.

Exercitiorū cōmoditas.

tum,expurgari meatus neceſſe eſt, & excrementa
expelli. Proinde non temere ab Hippoc. noſtro
6.Epid.Par. 4.aph.20.
,, dictum eſt: Sanitatis ſtudium ad labores eſſe im-
pigrum. Porro quum exercitatio ipſa prædicta
commoda haud pręſtet,niſi quis ea legitimo vſus
fuerit tempore,diligenter diſcendum erit quod
ſit eius vtendæ tempus opportunũ,& cõueniens.
Nam quum diſtributionem in corpus adiuuet,nó
Exercitationis tempus.
debet quum adminiſtratur,crudorum incoctorũq;
aut ciborum aut humorum multitudo,vel in ven
tre,vel in vaſis contineri: periculum enim eſt ne
priuſquam per maturam concoctionem vtiles fi-
ant,in omnes animalis partes rapiantur. Quoniã
vero exiguos meatus expurgat,& excrementa ex-
pellit,vtilius ac melius eſt vt ante cibos adhibea-
2.aphor.10.
tur.Siquidem,vt Hippocrates inquit,impura cor
pora quó magis nutries, eo magis lædes. Ex iis
itaq; manifeſtum fit,quod ad exercitationem opti
mum tempus ſit,quum heſternus cibus fuerit per
fecte confectus,ac duplici cõcoctione,& ea quę ĩ
ventre,& ea quæ in vaſis agitur,cõcoctus,atq; iam
denuo cibãdi tempus inſtiterit.Quod ſi vero aut
prius,aut poſterius exercitatione vtere,aut crudis
humoribus impleueris hominem,aut pallide bilis
6.Epid. par.4. aph.vlt.
Prouẽtum auxeris.Quæ ſingula Hippocrates bre
,, uiſſima hac ſententia innuere voluit,dicens, πό-
,, νοι σιτίων ἡγείσθωσαν. hoc eſt labores cibos præce-
dant.Exercitatio deniq; nó adeunda niſi expulſis
prius excremẽtis,quæ vel ĩ veſica,vel in inferiore
aluo continentur: verẽdũ enim eſt ne quid ex his
in habitũ corporis rapiatur,vi caloris videlicet,q
per exercitationem accenditur,correptum.Exerci
Exercitationis menſura.
tationi quoq; menſura eſt adhibenda, tantiſperq;
exercitandũ,dum & corpus intumeſcit,& color il-
li floridus

li floridus apparet, & motus prōpte, æquabiliter, & concinne edit, sudorq; cum calido vapore mixtus cernitur. Inhibēda vero exercitatio tum primum est, quum aliquid horum fuerit mutatum. Quippe si contractior paulo corporis moles videbitur, desistendum ilico est: si enim vltra exercitādo pergamus, etiam boni succi nōnihil educetur, atq; ita tum gracilius corpus fiet, tum aridius, atq; ad incrementum minus habile. Non minus profecto & si coloris gratia vanescat: cessandum quando si exercitationem continues, frigidum corpus efficies, & nimium exhauries. Iam motuum alacritas, æquabilitas vel concinnitas, si remitti quippiā collabiq; cernitur, vtiq; statim desinere cōueniet. Itidē si in sudore accidat vlla qualitatis eius quantitatis ue mutatio: quippe quem & copiosum magis, & incalentem magis edi par est, prout motib. vehementiæ plus accesserit. Quum igitur is aut minor intelligitur, aut frigidior, tum scias digeri, exhauririq; corpus, præterea refrigerari & siccari plus iusto. Quo magis solicitè attendendum exercitando corpori est, vt quum dictarum iam notarū quælibet apparet, protinus cessetur. Sudorem autē & tumorem corporis præcipue inter exercitandū esse consideranda, Hippocrates etiam in eum scribens modum docet: In exercitationibus signum extenuationis est sudor guttatim emanans, q tanquam è riuulis egreditur, aut à tumore cōtractio. (Epid. 6. par. 3. aph. 4.)

(Apotherapia.) Post exercitationem apotherapia vtendū erit, quę omnis exercitationis probè peractę, postrema pars dicitur, dupliciq; consilio suscipitur, & vt excremēta expurget, & vt corpus à lassitudine tutum reddat. De qua copiose scribit Galen. lib. 3. de tuenda valetudine. Præterea vt exercitium commode

Ociū diuturnū ac quies immodica obsunt. Quiete quando utendum. 2.aph.48. Somnus quid. Sōni cōmoda. Lib.6.par.5. aph.10. Somni tēpus. 2.prog.11.

administratum ad sanitatem tuendam multas vtilitates affert, ita ocium ac quies vbi immodica fuerint, & non suo adhibita tempore, maximo detrimento existunt: cruditates enim pariunt, & vitiosorum humorum in corpore copiam procreant, vt fusius Galenus 1 lib. de boni & mali succi cibis ostendit. Est autem vbi & quietis conueniens esse possit vsus; tum videlicet vbi ex multa motione corpus defatigatum fuerit, vt eius rei testis est Hippocrates, qui in aphorismis sic scriptum reliquit: „ In omni corporis motu vbi laborare quispiã cœ„ perit, quies statim lassitudinem aufert.

De somno & vigilia. Cap. XIX.

Somni, qui nihil aliud est quàm animalium facultatum quies, vel, vt Aristoteles ait, impotentia sensuum, ab vtili humore cerebrum imbuẽte ac aggrauante proueniens, si recte adhibeatur, multa sunt commoda. Cibos enim conficit, quod toto hoc tempore quo quis dormit, animalis facultas quiescat, naturalis vero validius agat: humores concoquit, animi ægritudines obliuione delet, mentis insaniam corrigit. Quod vero per somnum cibi optime conficiantur non solum in ventriculo, verumetiam per vniuersi corporis habitum, testatur quoque Hippocrates in Epid. vbi ita „ scribit: Labor articulis, & carnibus conducit, cibus „ vero & somnus visceribus. Cæterum circa somni rationem in sanis hæc potissimum sunt considerãda tempus nimirum, duratio, forma decubitus, & insomnia. Tempus itaque somni conuenientissimũ est vespertinum, aut nocturnum à cœna. Interdiu vero factus, nocentissimus est: id quod in primis testatur Hippocrates in præsagiis, vbi sic tradit. „ Interdiu vigilare, noctu vero dormire oportet:

Aëtius lib. 9. cap. 39. à prandio deambulationib. indulgendum, & animi aliqua lexamenta adhibēda, somnosq; diurnos noxios esse, nisi lassitudinis sensus adsit, aut præcedente nocte nihil aut parū admodum quis dormierit, docet. Nocturnus vero somnus hoc etiam potissimum nomine commendatur, quod scilicet nox sua tum humiditate, tum tranquillitate somnum alliciat, satisq; tēporis quo usq; fiat absoluta ciborum concoctio, habeat. Diurnus contrà nocentissimus: primum, quod cerebrū nimia humiditate expleat, quam vigiliis potius absumere conueniret. Dein, quia tempus quo quis die dormit, ad perfectam concoctionem nō sufficiat: ideoq; resurgentes à meridie, ob interruptam ante horam suam concoctionem, subinde acidos ructus ædunt, crebro etiam flatibus replētur. His accedit, quod somnus diurnus nimia humiditate cerebrum implens, capitis grauedines, eiusq; frigidos morbos pariat, vt hoc etiam vno nomine vnicè sit fugiendus. Porro etsi somnus nocturnus suapte natura salubris sit, tamen vt mediocris sit, oportet. Immodicus enim somnus, pter alia incōmoda hoc potissimū affert, quod ne excremēta suo expellātur tēpore, atq; adeo vt in corpore detineātur efficiat. Somni vero qtitas ac duratio, ex alimentoꝝ perfecta concoctione sumitur. Ea aūt ex ventris contractione deprehēditur, & vrina. Quæ enim aquæ speciē præfert, crudum adhuc inuenis succum esse indicat eum, qui à ventre submittitur. Quę vero rufa bilio aq; est, iandudū cōcoctū esse huiusmodi succum. Quæ modicè pallet, peractæ modo secūdæ cōcoctionis est signum. Quum itaq; mediocriter est rufa, mediocriter ue pallens, tum à somno abstinendum erit. Non potest itaq;

Nocturnus somnus cur melior.

Diurnus quare noxius.

Somnus non sit immodicus.

Somni duratio

omnium eadē esse somni quantitas; quod ii citius illi vero tardius concoctionem perficiant. Magna tamen ex parte septem aut octo horarum spatio finitur. Imperfectæ etiam coctionis, Gal. lib. 6. aph. comm. 1. teste, acidus ructus indicium est. In somni ratione obseruanda etiam erit decubitus forma, vt nimirum primum in dextrum latus, deinde in sinistrum fiat, quo cibus promptè ad ventriculum descendat, ac tandem à iecinore illi incumbente, concoctio eius adiuuetur. Supinus autem in vniuersum damnatur, quod grauissimorum morborum, apoplexiæ scilicet, resolutionis neruorum, & similium causa fit. Nam cum in eo defluxus superuacuorum ad posteriora corporis fiat, non potest iusta per nares & palatum eorundem fieri expulsio. Insomnia deniq; consideranda, vt Hippocrates etiam monet in Epid. vbi sic scriptū reliquit: Quæ per somnum accidunt, necnon ipsa insomnia expendenda. Sunt autem hoc potissimum nomine haud contemnenda, quod interdum ex iisdē corporis affectum, corpusq; infestantes humores deprehendere liceat, quemadmodum copiose idem Hippocr. & Galen. in eo libello, quem vterq; priuatim de dignotione quæ fit ex insomniis, edidit, docent. Non minori diligentia medicus circa somni administrationem vtatur in ægris, quàm in sanis: quod vt alia omnia, sic etiam somnus, nisi cō mode adhibeatur, illis plurimum noxæ adferat. Somnus itaq; nocet iis primum qui internorum viscerum inflammatione laborant, potissimum inter initia eiusdem. Nam vt Hippocr. testatur, sanguis per somnum interiora magis subit, adeoq; vt inflammatio citius ac plus increscat, efficit. Arcēdi itaq; quoad eius fieri potest hoc tempore ægri à

Forma decubitus in somno.

Insomnia. Lib. 6. par. 8. aph. 16

Somni ratio in ægris.

Somnus in principio inflammationum obest. Epid. 6. par. 5. aph. 29.

somno, ne scilicet inflammationis incrementi causa existat. Dein cauendum etiam ne ægri in accessionum principiis dormiant. Cum enim hoc tempore vel rigor, vel horror, vel vehemens exteriorum partium refrigeratio accidat, sanguisq; tum ac calor naturalis, humoresq; in profundum abeat corporis, expedit eorundem ad exteriora potius fieri per vigilias retractionē, quod aliàs febres vix dissoluantur, & ad consistendi tempus perueniāt, fluxionesq, ac cruditates multiplicentur. Neq; enim vt in aliis somnis, humores ad ventriculum confluentes concoquuntur, sed adaucti potius crudi permanent. Caloris vero natiui atq; adeò sanguinis & spiritus motum per vigilias fieri ad exteriora, satis confirmant ea quæ Hippoc. in hanc sententiam scribit: Vigilans circa exteriora manifeste calidior, circa vero iteriora frigidior. Dormiēs contrà. Postremum & hoc circa somni rationem animaduertēdum erit, num æger à somno melius aut peius se habeat. In quo enim morbo, vt Hippocrates tradit, somnus laborem præstat, mortale: si vero iuuat, non mortale. Cæterum est quoq; vigiliarum ratio habenda, vniceq; cauendum ne immodicæ sint. Si enim modum excesserint, cerebri bonam temperaturam corrumpunt, sensus debilitant, virtutem deiiciunt, cruditatem efficiunt. Vt autem in pauca rem contrahamus, annitendū ac danda opera, vt neq; somnus neq; vigilia modum excedat. Nam vehemens vigilia, teste Hippocrate, tum cibi tum potionis cruditatem efficit. Verū in diuersam partem alteratio, corpus resoluit, & velut excoctum reddit; capitisq; grauitatem inducit. Quod breuius alibi iis voluit innuere verbis: Somnus atque vigilia, vtraque si modum

Somnus inaccessionum initijs nocet.

Epid. 6. par. 4. aph. 12.

Vigiliarū habēda ratio.

2. uict. acut. ult.

2. aph. 3.

excesserint, malum. Hæc de somni & vigiliarum ratione sufficiant.

De abundantia & inanitione.

Cap. XX.

Abundantia. duplex. Qualitatis. Quantitatis.

ABundantia, quæ Græcis πλεονεξία dicitur, ex Galeni sententia duplex est, vna qualitatis, in qua nuda qualitas citra humorem excedit. Altera est quantitatis, cibi scilicet, aut humorum. Cibi abundantia Græcis proprie πλησμονὴ, Latinis vero satietas nominatur. Hinc est quod interpretes nonnulli hanc dictionem πλησμονὴ, non satis proprie repletionem conuertant. Quare secundo aphor. 22. non recte sic legitur: Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. cum potius ita reddendum esset: Quicunque morbi ex satietate fiunt, curat euacuatio. Satietas autē, Galeno lib. 2. aph. comm. 17. autore, duplex est, vna ad vasorum amplam capacitatem, verbi gratia, si tanta ciborū copia assumatur, vt hinc distendi ventriculum cōtingat. Altera ad virtutem, vbi scilicet plus cibi ingeritur quàm natura, aut facultas corpus nostrum gubernans superare possit. Porrò humorum abūdātia rursus partitur in eam quæ est omnium, vel vnius duntaxat. Omnium humorum abundantia Græcis πλῆθος καὶ πληθώρα, Latinis autem plenitudo & multitudo nominatur. Cuius rei testis est Galenus, qui lib. 13. ther. meth. sic scriptum reliquit: Vbi inæqualiter inter se humores adaucti fuerint, appellant plenitudinem. Neque obstat quod idem Galenus lib. 2. de compos. medic. secundum locos, cap. primo, scribat plenitudinem esse vbi solus sanguis augetur: quia hoc in loco sanguis in prima significatione vsurpatur, pro impuro & aliis commixto, à dominio tamen sic vocato. Te-

πλησμονὴ. Satietas.

Satietas duplex. Ad uasa.

Ad uirtutem.

Humorū abundantia duplex.

πλῆθος καὶ πληθώρα. Plenitudo.

Obiectionis solutio.

stis est Galenus, qui in libello de plenitudine, se
» ipsum iis interpretatur verbis: Fieri haud potest
» vt vnquam in uenis tam exactus syncerusq; san-
» guis contineatur vt nihil vel bilis, vel pituitæ, vel
» serosæ humiditatis inferatur. Vnde & ego in su-
» perioris idem intelligendum esse volui, siue hu-
» mores, siue sanguinem abundare dicerem quippe
» immixtus, & ab aliis humoribus syncerus sanguis
» nunquam in uenis continetur. Hæc ille. Plenitu- Plenitudo duplex.
do iterum bifariam diuiditur, in eam nimirũ quæ
ad vasa, vbi tanta scilicet est humorum aut sangui- Ad uasa.
nis copia, vt vasa distendantur: & in eam quæ ad Ad uirtutem.
virtutem dicitur in qua certe ea est humorũ mul
titudo, quæ virtutem grauare valet. Porro vnius κακοχυμία.
humoris abundantia κακοχυμία Græcis, vitium
succi, aut vitiosus succus Latinis nuncupatur: id
quod Galenus lib. 13. ther. meth. iis verbis confir-
» mat, dicens: Vbi flaua bili vel atra, vel pituita, vel
» serosis humoribus refertum corpus fuerit, caco-
» chymia nominatur. Hæc est genuina specierum
abundantiæ partitio, vt fusius in apologia nostra
aduersus Montuum lib. 2. dialex. 1. confutatione,
& in explicatione quinta paradoxorum nostrorũ,
monstrauimus: quam tamen hodie pauci, quod
sciam, medici recte tenent: sic prorsus à Galeni sen
tentia magnam nostri temporis medicorum par-
tem, Barbarorum ac Arabum commentarii tradu-
xerunt, ac longissime auocarunt. Quare vt studiosi
rem hanc facilius memoria tenerent, abundantiæ
species hoc schemate complecti placuit.

- Abundantia duplex existit,
  - Qualitatis nudæ citra humorem, vt caloris excessus.
  - Quantitatis
    - Cibi, πλησμονὴ Græcis, satietas latinis, est duplex,
      - Ad vasa.
      - Ad virtutem.
    - Humorum vel
      - Omnium, πλῆθος καὶ πληθώρα Græcis, plenitudo, & multitudo Latinis, est duplex,
        - Ad vasa.
        - Ad virtutem.
      - Vnius, κακοχυμία græce, succus vitiosus latinè dicitur.

Absolutis abundantiæ differentiis, ad inanitionem euacuationem ue nobis progrediendũ erit, cuius quidem multa ac varia sunt genera. Vacuamus enim interdum per venæ sectionem, nũc per medicamentum purgans, subinde etiam per vomitum scarificationem, ac cucurbitularum appositionem, inediam, & somni ab inedia repetitionẽ, mictionem, sputi eductionem, sanguinis è naribus profluuium, mensium, hæmorrhoidum, coitum, insensilemq; euaporationem, quæ quidem à natura, nobis etiam quiescentibus, fieri solet. Quæ sanè singula genera ordine repetemus, & pro compendii ratione explicabimus, à sanguinis missione orsi. Quum itaq; venæ sectio plenitudinis, potissimũ eius quę ad vasa ucminatur, conuenientissimũ sit remedium, principio consideranda plenitudinis tum quantitas, tum qualitas. Quãto enim grauior videtur sibi homo, tantum etiam plenitudinem quæ ad vires dicitur creuisse constat. Si vero auctus fuerit tensionis sensus, adauctam esse & alteram plenitudinem quæ ad vasa nuncupatur, putandum erit. Plenitudinis autem qualitas, partim ex coloribus, partim ex iis quæ humorum naturæ coniuncta sunt, agnoscitur. Vena autem incidenda, vbi tensiua sit passio, nullo discrimine, modo valentes sint etiam vires. Sin infesta sit grauans plenitudo, haud semper sanguinis molienda detractio est, vt fusius in libello de ratione curandi per sanguinis missionem, Gal. explicat. Non solũ vero cum adest plenitudo, siue ea vt ad vires sit, siue ad vasorum humores continentium capacitatem, mirificè prodest venæ sectio, verumetiam citra plenitudinem initio inflammationis, quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium

Euacuationum genera.

Venæ sectio.

Plenitudo

Sanguis etiam interdum nulla existente in corpore plenitudine mittendus.

debilitatem prouenit. Quippe dolor sanguinem ad se trahit,& sæpe pariū debilitas phlegmonem, citra etiam plenitudinem corporis, procreat. Sic ubi morbus magnus fuerit omnino sanguinē mittemus,etiamsi nulla existat in corpore plenitudo, inspecta tamen ætate & uiribus,de quibus mox dicemus:id quod Hippoc. ijs uerbis innuere uoluit. In acutis morbis sanguinem detrahes, si uehemēs morbus uideatur, floruerítq; ægrotanti ætas, & uirium affuerit robur. Hæc ille. Proinde ætas nunquā non in sanguinis missione expendenda. Pueris enim usq; ad quartumdecimum ætatis annum sanguis haud detrahēdus quemadmodū nec senibus post septuagesimū,modo uires ijs parū ualide sint,& sanguine non admodum abundent. Quod si uero in hac ætate constituti multi sanguinis fuerint,uiresq; robustas habuerint,ita morbus iubeat, ijs etiam uenā secabis. Quapropter non duntaxat annorum numerus considerandus erit,imo etiam corporis habitus. Nam sunt qui sexagesimo ætatis anno uenæ sectionem non ferant, quam tamen quidam qui septuaginta nati sunt annos,perferūt. Pueris uero ideo detrahendus minime sanguis quod eorum substantia omniū facillime digeratur ac dissipetur,propterea quod omnium sit humidissima: quo minus uacuātis præsidij eget,quum ex seipsa habeat unde naturaliter uacuetur. Non minori cura medicus laborantis robur obseruet. Si quidem ubi idipsum ualidum fuerit, & mittendi sanginis necessitas incubuerit,audacter sanguinē extrahat. Sin minus uel nihil aut parum sanguinis auferendum. Vbi itaq; multa euacuatione sanguinis opus est,uerum uires sunt imbecilliores quam ut eandem ferre possint tum certe, Galeno etiam

Magni morbi uenæ sectionē requirunt.

4. uict. acut. 17. Actu.

Pueris cur nō detrahēdus sanguis.

Virium robur.

feste, euacuatione partiri præstat. Licet tamen interdum ad animi defectionẽ usq; sanguinem mittere, in adurentibus nempe acutissimisq; febribus maximis inflammationibus, & doloribus vehementissimis, vt Gal. lib. 1. aph comm. 23. manifeste docet. Nam si in ardentissimis febrib. vsq; ad animi deliquium sanguis mittatur, totius cõfestim corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sua sponte illuc ex toto corpore confluentibus humoribus, deiicitur, sudoresq; emanant. In maximis autem inflammationibus sanguinis missionem quæ ad animi defectum fit, conferre nemo non intelligit, quod hac ratione sanguinis feruentis copia educatur, parsq; patiens refrigeretur, & ne in partẽ aliquam principem feruentis sanguinis multitudo ingruat, prohibeatur. In vehementissimis doloribus Galenus, loco iam citato, nullum maius remedium, quàm eam quæ fit ad animi defectionem vsq; euacuationem, se inueuisse scribit. Adhibenda tamen in iis distinctio erit, an mittere sanguinem, an purgare vsq; ad animi deliquiũ oporteat. Vtile autem est dum ad animi defectionẽ sanguis educitur, vt pulsuum diminutionibus medicus animum aduertat, tangendo eos nimirum sanguine etiamnũ fluente, ne videlicet illi nec opinàti pro animi deliquio mors ingruat. In sanguine mittendo naturalis etiam habitus corporis considerandus venit. Nam quibus amplæ sunt venæ, quiq; non nimium graciles sunt, nec candidi, neq; tenera carne præditi, eos copiosius euacuabimus: contrarios vero, qui scilicet parum sanguinis habent, carnem q; facile transpirabilẽ, parcius. Nec negligenda erit regio: ea enim si impense calida vel frigida

Quãdo ad animi deliquium usq; sãguis mittendus.

In ardentissimis febribus.

Maximis inflãmationibus.

Vehementissimis doloribus.

Naturalis corporis habitus.

Regio.

fuerit, largam euacuationem haud sustinet. Haec quidem, quod corpus, supra modum detracto cũ sanguine calore natiuo, refrigeret, antea satis à larga sanguinis missione refrigeratũ: Illa vero, quod sua caliditate vires dissoluat, ac humores discutiat.

Tempus. Eadem ratione tempus aestiuum & hybernũ venae secandae minime idonea erunt. Accommodatissimum autem sanguini mittendo tempus est veris initium, quod sanè tempus aequale est, atq; adeo neq; nimis calidum, neq; supra modum frigidũ. Hinc est quod in aphorismis sic scriptum reliquerit Hippocrates: Quibus à venis sanguinem mittere confert, iis vere secare venam oportet. Praeterea Gal. in lib. de curandi ratione per venae sectionẽ, sese multos podagricos & aliis morbis obnoxios, sanguinis missione principio veris facta curasse tradit.

7. aph. 54.

Hora diei venae sectioni conueniens. Quod ad diei, in quo fit venae sectio tempus attinet, sciendum sanguini mittendo conueni re maxime tempus matutinum, vt loco iam citato Galenus testatur, sic tamen vt non protinus excitis è somno, sed horam vnam iam antea vigilantibus vena secetur. Quibusdam etiam posteaquam rerũ solitarum quippiam obierunt, siue in ludo literario, siue in officinis, siue in foro, siue in aedibus, sanguinem auferre expedit. Aegris autem nullum est venae sectionis praescriptum tempus: quamobrem nec per noctem sanguinem mittere iis, si sic expetat morbus, verearis.

Vita anteacta. Porrò vita etiam anteacta in venae sectione expendẽda, an scilicet cibi potusq; copia, & praecipue affatim nutrientium, is cui sanguis mittendus est, vsus fuerit: tum enim audacter sanguis extrahendus: sin minus, contrà.

Vinosis cur non mittẽdus sanguis. Supra modum tamen intemperantibus, vinosis, ac vetri gulae q; prorsus deditis, vt prudẽter in libello de cu-

randi ratione per sanguinis missionem, Galenus quoq; monet, manus admouere ne tentandū quidem, quod nimirum sanguinis missione eos non magnopere adiuueris, vtpote qui per vitæ intemperantiam, crudorum humorum copiam ocyssime colligant. Neque negligenda erit circa venæ sectionem consuetudo. Nam si prçter consuetudinē vel hæmorrhoïdes, vel mēses retenti fuerint, tum sanguinē mittere maxime expedit, modo reliqua etiam de quibus suprà diximus adsint. Quid multa? his quibus præter solitum exercitia neglecta, aut excretiones suppressæ fuerint, venæ sectio haud temerè adhibetur. In sanguine mittendo vnicè considerandum, quæ vena sit incidenda. Quū itaq; tres sint in cubito venæ ex quibus sanguis mittitur, sciendum quod interior, quam iecorariam & lienarem axillaremq;, hodie vero basilicam vocant, iis secanda erit quibus partes collo inferiores patiuntur. Exterior vero, quam humeralem & cephalicam nominant, iis incidenda venit, quibus partes supra ceruicem, verbi gratia, facies, aut caput, laborant. Media, quam alio nomine communem, nigram, funem brachii, matrem, & medianam nuncupant, tum secanda erit, vbi vena parti patiēti ꝓpria obscurior fuerit: nam ab vtrisq; iam dictis venis diducitur. Cæterum quemadmodum prædictę omnes partes in cubito secta vena iuuantur: sic quæ iis inferiores, illis quæ per poplites aut malleolos decurrunt, vt fusius Gal. loco paulò antè commemorato monstrat. Deniq; cum sit duplex venę sectio, vna quæ, vt Hippocrates ait, κατ' ἴξιν, hoc est, secundum rectum, aut è directo fit, altera quæ in opposito fit, diligēter animaduertendum ne temerè in iis deligendis aberremus, vt

Consuetudo.

Quæ uena secāda in morbis.

Interior uena.

Exterior.

Media.

Venæ sectio in rectum & oppositum. κατ' ἴξιν.

pleriq; nostri seculi medici faciunt. Quæ autem illarum sit alteri præferenda, vt in præsentia explicemus compendii ratio prohibet longiorem.n. desiderat explicationem, quàm vt hoc in loco cõmode inseri possit. In apologia tamen nostra aduersus Brachelium scripta, hanc rem ad vnguem excussimus: inde itaq; petent studiosi si qua hic desiderabunt. Postremum, vt in tẽpore quoq; sanguis restringatur, danda erit opera. Animaduertẽdum igitur vt tãto citius sanguis restringatur, quã to melior exierit: & contrà tanto diutius vt effluat permittendum, quanto peior fuerit: adeoq; vbi incisa vena sanguis emanat, ad mutationem eius ac pulsuum potissimum animum diligenter attendere oportet, idq; non solum in sanis, verumetiam in iis quibus iuxta sectam uenam phlegmone est ingens. In illis siquidem optimum est sanguinis & in colore, & in consistentia mutationem expectare. Si enim antea crudus erat, rubrior modo ac flauior, utpote plus calefactus, efficitur. Sin eiusmodi prius fuerat, ad nigredinem uergit adustione. Proinde prudenter & docte de pleuriticorum curatione nunc in modum Hippocrates scripsit: Secanda est interna cubiti uena, ac sine cunctatione sanguis copiose detrahendus, & eousq; auferendus donec rubidior multo; uel pro puro rubidoq; liuidus effluxerit: nam utrunq; contingit. Alterum genus quo corpus euacuatur est uentris deiectio: huius in cacochymia, atq; adeo ubi corpus uitiosis humoribus refertũ fuerit, usus erit. Quapropter sanis, qñquidem uitiosoꝶ humoꝶ abundãtia minimè premũtur, medicamẽta purgãtia nõ sunt propinanda: id quod Hippoc. etiã iis monuit verbis: Qui salubritatẽ corporis habent per medica-

Quãdo restringẽdus sanguis

2. uict. acu. 10

Deiectio uẽtris

Sanis non danda medicamẽta purgantia.

2. aph. 36.

„ menta euacuati cito exoluuntur. Et iterum: Sanas 4.aph.16.
„ habentibus carnes, elleborus periculosus, facit n. conuulsioné. de qua sané re plura diximus lib. 1. cap. 6. nostrorum paradoxorū, ex quo loco petat diligens lector quæ hic desiderat: neq; enim omnia prosequi cōpēdii ratio pmittit. Cæterū qbus purgāti medicamēto opus erit, ij primū curabunt vt ad purgationē idonei sint. Idonei vero erūt principio, si meatus per quos humorū purgatio fieri debet apti fuerint, nec vlla laborauerint obstructione: id quod balneis & cibis humectantibus, corpus q; laxius ac mollius reddentibus, fieri potest, Hippocr. teste, qui in Epidemiis sic scriptum reli
„ quit: Quod si volueris vt is qui elleborū bibit celerius purgetur, vt lauet & comedat præcipe. Et
„ alibi: Qui elleboro nō facile suprà purgantur, eorum corpora ante potionē pleniore cibo ac quiete
„ humectanda sunt. Dein si crassi ac glutinosi fuerint humores molestantes, necessariū erit vt incidantur extenuenturq́. sic enim ad expulsionē paratiores erunt. Id quod Hippocrates ijs verbis in
„ sinuare uoluit: Corpora quum quispiam purgare
„ voluerit oportet fluida facere. Fluida enim erunt corpora omnibus reseratis meatibus, & humoribus crassis & glutinosis, si qui fuerint in corpore, incisis, absterfis & extenuatis. Quapropter vbi humores expurgandi crassi ac lenti fuerint, decoctis & syrupis in hoc paratis incidendi & extenuādi, atq; adeo vt facile vacuentur, præparandi erunt. Porro qui tenues fuerint, quum antea vacuatu faciles admodū sint, ac mobiles, præparatione ea haud indigent. Tenues enim cū sint atq; mobiles, facile meatus quoufq; angustos etiā pertranseunt, & à medicamētis quæ vim purgatoriā ob-

Lib.6.par.5. aph.28.

4.aph.13.

2.aph.9.

Præparatio ad purgationem.

Tenues humores præparatione nō indigent

tinent, nullo negotio trahuntur. Proinde si biliosi aliiq; humores tenues in corpore abundauerint, præparationem quæ fit per decocta aut syrupos, haud requirunt: suapte enim natura ad vacuadũ prõpti facilesq; sunt: id quod Galen. lib. 14 ther. meth. iis verbis luculenter demonstrat: Flauæ, in" quit, bilis vacuatio facilis est: pituitæ vero, ac potis" simum eius quæ crassior glutinosiorq. est, itemq; " nigræ bilis, difficilior, ideoq. purgantis medicamẽ" ti ope indigent. Quibus vtiq; verbis satis manifestum fit, bilem, quia nimirum tenuis & mobilis existit, vacuatu tam facilem esse, vt interdum etiam citra medicamenti purgãtis opem euacuari queat. Hippocrates deniq; in lib. de natura humana, bilis vacuandę facilitatem satis innuit, dum quoduis medicamentum purgans, post familiarem ac cognatum sibi humorem bilem statim trahere, quod ductu facilima sit, tradit. Quæ singula fusius lib. 1. paradox. cap. 11. prosecuti sumus. Ex quibus sole clarius fit errare toto cœlo Auicennam aliosq; nostræ ætatis huius sectantes placita medicos, qui bilis tenuiumq. humorum ad expulsionem præparationem: quam coctionem, seu vt ipsi loquuntur, digestionem vocant, vt paulo post dicemus: tum fieri docent quum crassiores redduntur: quando in confesso sit, humores tanto ad expulsionem paratiores fore, quanto tenuiores: & tãto ineptiores, quãto crassiores fuerint. Hinc est quod Auerroës quoq;, Auicennę coætaneus lib. 7 suorũ collectaneorum cap. 9. hanc sententiam tanquã erroneã " iis verbis conuellere voluerit: Auicenna iubet in " morbis à tenuioribus succis genitis, concoctionẽ " præcedere, quam hoc pacto definitam tradidit: Concoctio tenuium, est eorũ incrassatio: crassorũ vero,

Auicennæ & recẽtiorum medicorum erratum.

„ vero, extenuatio. Quippe cum facultas expultrix
„ difficulter crassa propellat, tenuiora quoque non si-
„ ne negocio vacuabit; exoluuntur enim atque dissi-
„ patur. Verum enimuero facilius succi tenues expur-
„ gabuntur crassis: vnde nonnullis scriptum est
„ medicis, se nunquam medicamentũ purgãs exhi-
„ buisse quin flaua bilis prior vacuaretur: leuissimã
„ enim simul ac tenuissimã esse, cæteros autem hu-
„ mores sequi. Quod idẽ sensus tibi indicat, tenuio-
ra scilicet promptius purgari crassioribus. Hacte-
nus Auerrois verba recensuimus. Nec procedit
Auicennæ ratio, dum asserit tenuia non sine nego-
cio vacuari, quod exoluantur ac dissipentur. Si
enim exoluuntur ac dissipantur, non est cur va-
cuatione indigeant. Neque etiã obstat quod immer-
gantur alia conuersio habet: qua enim facilitate
immerguntur, eadem etiam rursus à trahente me-
dicamento educuntur. quod minime futurum erit
si crassiores reddas, sed tum sanè maiori difficulta-
te extraxeris, quàm immersi sint. Sunt alii qui
id nobis obtrudant quod in destillationibus ac-
cidit. Quæ enim per nares defluunt, & in thorace
hæret, si tenuiora fuerint, minus: si vero crassiora
citra difficultatem expelluntur. Quibus sic respon-
sum volo. Fatemur quidem necessum esse, vt ea
quæ sternutamẽtis aut tussi promptè expellenda
sunt, crassitudinẽ quãdam participent. Quũ enim
vi aëris pelli debeat horum vnũquodque, expedit vt
lentorẽ & crassitiẽ humor participet, ne spiritu pro-
motus ac diuisus diffiet ac cedat. Quæ enim pelli
debent, aliqua etiam ex parte opus est pellẽti obsi-
stere, nõ tamẽ adeo vt violentius inhæreant, tunc
enim mouẽtis aëris vim superarẽt, atque adeo exte-
nuãtibus & incidẽtibus medicamẽtis opus foret, vt

Obiectiones aliquot diluuntur.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Quæ sternutamentis et tussi expelluntur, cur aliqualiter crassa esse debeat.

fusius docet Galenus lib. 4. de partetib. locis, ca. 9. Diuersum autem fit in vitiosi succi per medicamenta purgatoria expulsione. Hæc enim non aëris impulsu, verum trahente medicamento, ac expultrice facultate, suis vsa instrumentis perficitur. Quo itaq; tum mobilior ac tenuior humor extiterit, eo impelletur facilius, non sicut in destillatione contingit. Non desunt qui Galenum quoq; in Auic. sententia fuisse dicant, quod scilicet in lib. de constitutione artis medicæ, tradat crassum & lentum attenuandum esse, tenue vero incrassandum. Atqui si Galeni verba recte expendere voluissent, nihil prorsus Auicennæ sententiæ suffragatũ fuisse comperissent: loquitur enim eo loci nõ de iis quæ è corpore per medicamenta sunt vacuãda, sed de iis potius quæ in eodẽ manere debent, atq; adeo in naturalem statum redire possunt: id quod eiusdem verba, quæ sic habent, euidentissimè monstrant: τὸ δ᾽ ἐπανελθεῖν δυνάμενον εἰς τὸ κατὰ φύσιν „ ἀλλοιοῦν δεῖ τῶν ἐναντίων. τὸ μὲν παχὺ καὶ γλίσχρον „ λεπτύνοντα, τὸ δὲ λεπτὸν, παχύνοντα. hoc est, quod in naturalem statum redire potest, contrariis alterare oportet: crassum quidem & viscidum, attenuando: tenue vero incrassando. Quare temerè pro sui erroris defensione Auicennæ placita sectãtes medici, hæc Galeni verba vsurpant, quum nõ de iis humoribus qui è corpore vacuandi sunt, sed de iis potius vt iam comprehensum est, qui in naturalẽ statum redire valent, loquatur. Cæterũ crudi humores, si in aliqua parte firmati sunt, prorsus ne mouendi quidem erunt, tantum abest, vt medicamentis purgantibus sint euacuandi: sed expectanda planè concoctio erit. Post enim concoctionem, naturam ipsam habemus euacuationi adminicu-

Quarta.

Galeni locus explicatur.

Crudi humores non vacuandi, nisi turgeant.

lantem: hæc enim tum humores discernit, & redundantias expellit: Sin vero turgent, hoc est, si in vehementiori fuerint motu, & ab vna parte ad aliam traducuntur, concoctio expectanda non erit, sed protinus per medicamenta purgantia moliẽda vacuatio, priusquam videlicet corporis robur dissoluat, aut calor febris augeatur, aut ad aliquã partem principatum obtinentem, qui per corpus vagantur humores decumbant. Natura siquidem tum veluti furiis agitata, haud probè motus suos instituere valet: quare opus est manum porrigente quopiam, atq; ad excretorios meatus dirigente medicamento: id quod Hippocrates breuissime iis innuere verbis voluit, dicens: Concocta medicari, atq; mouere, non cruda, oportet: neq; in principiis, modo non turgeant, plurima vero non turgent. Et alibi: Medicari in valde acutis, si materia turget, eodem die: tardare enim in talibus malum est. Et iterum: In acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. Est autem concoctio, Aristotele lib. 4. cap. 2. Meteorologicorum teste, perfectio quæ à naturali propriocq; calore ex oppositis fit passiuis, quæ sua cuiq; materies existunt. Hoc est, cõcoctio est actio quędã caloris naturalis i qualitates passiuas. Vel, vt clarius dicã, alteratio quæ ab innato corporis fit calore. Concoctio autẽ, Galeno in cõm. super lib. 1. Epid. sect. 1. constit. tertia, autore, duplex est. Vna eoꝝ quæ secundũ naturam se habent, vt est concoctio qua in ventre cibus cõcoquitur, aut in visceribus & vasis qui inibi generat humor, vnde pars vnaquæq; nutriatur: Et hæc sanè nihil aliud est quàm alteratio nutrimenti in ꝓpriam & fami-

Turgere quid.

1. aph. 22.

4. aph. 10.

1. aph. 24.

Cõcctio quid

Concoctio duplex.

πέψις. liarem nutriti qualitatem, proprieq; Græcis medicis πέψις nominatur, de qua suo dicemus loco. Altera est humoris morbum efficientis alteratio, πεπασμός. & hæc Hippocrati aliisq; medicis proprietati sermonis studentibus πεπασμὸς appellatur, Latinis maturatio dici posset. Hæ itaq; duæ alterationes, Gal. etiam lib. 5. de simpl. medic. facul. cap. 5. teste, in hoc conueniunt, quod vtraq; fit à natiuo calore, & à simili quoq; extrinsecus iuuantur. quod Aristoteles loco antea citato etiam confirmat, dum coctionem externorum adminiculo simul perfici scribit. Differunt autem in eo, quod prima planè secundum naturā existat: siquidem quod in ea cō coctum est, in substantiam eius quod cōcoquit trāsit. Quum enim secundum naturam se habuerit corpus, & concoctū cum eo quod concoquit naturæ quandā familiaritatē habuerit, tum eius quod concoquitur totius substantiæ, aut plurimæ illius partis mutatio & alteratio fit, parum eius quod semicoctum est remanente. Altera vero partim secundū naturam existit, partim præter naturā. Ab innato enim fit calore, sed non planè vincente: quod scilicet nō ex materia quę prorsus benigna sit, & animāti familiari fiat, neq; tamē omnino aliena. Ex prædictis itaq; abunde cōstat, concoctionē differre à pręparatione: hanc enim soli crassi ac tenaces humores, non aūt tenues exigūt: illam vero vtriq;. Recte itaq; pręcepit Hippocrates in ea quā paulo antè citauimus sententia, crudos humores siue pituitosi siue biliosi fuerint, nō esse mouēdos, nisi turgeant, sed expectandā potius concoctionē, quod scilicet tum rectius processura sit purgatio, cum naturam nobis adminiculantem habemus. Cū vero biliosi humores, Gal. lib. 7. aph. cōm. 12.

Concoctio differt à præparatione.

teste, magna ex parte acutos pariant morbos, atque adeo turgeant, raro in iis expectamus concoctionem, sed statim, nisi aliud obsistat, purgantibus medicamentis exhibitis vacuamus, quod scilicet nunquam non mobiles sint, & vacuationi promptè obediant, atque adeo periculum non sit vt in angustis meatibus, veluti pituitosi & crassi humores, hæreant. Quod etiam eo magis faciendũ erit, quod maior sit metus ne biliosi humores, vtpote mobiles & tenues, in aliquam principem partem decũbant, quàm pituitosi. Si vero nihil prædictorum metuendum erit, ob commemoratas paulo antè rationes consultius est expectare in vtrisque cõcoctionem. Cæterum cum proprie & verè loquendo, concoctio soli natiuo calori debeatur, & non medicamentis, quemadmodum præparatio: perperàm faciunt medici recentiores, qui hanc actionem syrupis suis acceptam referunt. Quis est enim qui nesciat quàm trita sit omnium in ore hæc Hippocratis sententia: Concocta medicari & mouere nõ cruda? Hanc enim statim dum syrupos suos (quos tamen si recte adhibeantur non dãno) obtrudere conantur, tam ægris quàm sanis occinere, & præter Hippocratis mentẽ, ad præparationẽ torquere solent, cum tamen eidem hoc in loco de cõcoctione, quæ solius naturæ est actio, & non præparatione, quã nonnulli syrupi haud parum promouent ac iuuãt, sermo sit. Et cum concoctio per calorem fiat, certe per syrupos, violaceum, rosaceũ, nymphææ, & similes, quibus infrigidandi facultas est, fieri haud potest, vt hoc maxime nomine eos syrupos bilem cõcoquere valde inepte afferãt. Sed instabit fortassis quispiã dicẽs: fateor quidẽ frigidos syrupos concoctionẽ nõ efficere, ta-

Cõcoctio soli naturæ actio.

Obiectio.

men effugere haud poteris, quin dicas calefacientes idipsum præstare posse: quandoquidem Galeno etiam in lib. de cōstitut. artis medicæ teste, cōctionē tum quies, tum calefactio moderata, ac boni succi ciborum mediocris esus, & vini mediocriter calidi potio, atq; adeo syrupi quoq;, & alia medicaméta modice calefacientia, efficere possunt.

Responsio. Respōdeo, externorum quidem adminiculo calorē natiuum foueri posse vel augeri, vt sunt ea quæ Galenus cōmemorat: constanter tamen negamus ab iis fieri cōcoctionem. Nam si concedemus, nihil aliud fuerit, quàm si coquum cibū concoquere ac conficere dicamus. Augent itaq; ac fouent medicaméta mediocriter calida, & alia quæ dicta sunt, calorē: sed calor est qui subinde concoquit. Cum itaq; quod per se, & propria facultate aliquid efficit, vt Gal. hortatur lib. 1. de simpl. med. facul. ca. 2. & tertio, ab eo quod ex accidente facit, diligenter sit discernendum: consequitur certe concoctionē à natiuo calore, & minime medicamentis fieri. Nisi enim sic statuas, necessum est fatearis distentionem quę à frigidis fit humoribus, ab aquæ frigidæ multa perfusione, vt Hippocrates inquit, sanari.

5. aph. 21.

Obiectio. Verū iterū nobis obstrepet aduersarius, dicens: non tantū augere calorē natiuum suprà cōmemorata, sed efficere: sic enim Galeni locū ex libro de medicæ artis cōstitutione productū aperte docere.

Responsio. Respondeo, sic quidem interpretē reddidisse, sed aliter habere græca, nēpe in eum modū: ἄγει δὲ εἰς πέψιν ἡσυχία τε καὶ θάλψις μετρία, &c. id est: Inducit vero, ac ad coctionem inuitat tum quies tum moderata calefactio. Inuitāt aūt ad coctionē, quia calorē augent, ac eidē robur addunt, qui subinde cōcoctionem efficit. Lōge itaq; diuersum est

inducere seu inuitare ad coctionẽ, ab eo quod est eandem efficere. Proinde, vt tandem finẽ facia mus, non ibimus inficias, humores tenues siquidẽ in aliqua parte firmati fuerint, coctionẽ exigere, vt abiici à corpore possint, verũ non ex eo vt crassitiem nanciscantur, quemadmodum Auicẽna arbitratus est, sed potius quatenus alterari, edomiti, ac naturæ obsequentes redditi, absq; molestia aut labore multo ad conuenientia vacuationis loca mittantur, aut trahãtur. Quod si vero nobis quispiam obtrudat Aristotelem, qui libro. 4. Meteor. cap. 1. inquit, ea quæ cõcoquuntur crassiora euadere: respondeo quidem verum esse, cuncta enim quæ à calido patiuntur, euaporante scilicet humido tenui, aliqualiter crassescere videntur: tamen non inferendum statim esse, tenuitatem obsistere vacuationi, & ex vsu fore crassitiem: verum id potius, ad expeditam vacuationem requiri concoctionem, quæ nimirũ crassitiẽ quampiam effugere nequit. Nam nisi sic colligas, cogeris fateri nec pituitam coctã vacuationi idoneam esse, quod nimirum per cõcoctionem crassior euaserit. Hæc præter cõpendii rationem verbosius explicare nobis placuit, quod scilicet locus iste ad eius rei explanationẽ aptus esse videretur, & paucos admodũ scirẽ qui præparationis & cõcoctionis rationem exacte teneret. Dabunt itaq; hoc nomine æqui lectores nobis veniam, quod parum ab instituto nostro deflexerimus. Reuersi igitur eo vnde digressi sumus, in ventris deiectione proximum est vt animaduertamus quales humores sint purgãdi. Quapropter medicus operam dabit vbi humorum molitur euacuationem, vt eos duntaxat educat qui corpori molesti sunt. Verbigratia, si pituita re

Obiectio.

Responsio.

Quales humores purgandi.

dundat, corpusq; infestat, hanc omnino euacuare oportet. Si vero flaua bilis vel atra corpus molestat, abstinendum à pituita, & bilis infestans euacuanda. Sic vbi serosa humorũ pars abũdauerit, & hãc euacuare oportet. Est enim purgatio nihil aliud, Galeno teste, quàm humorũ qui sua qualitate molestant euacuatio. Neq; enim hic per qualitatẽ intelligenda est caliditas, frigiditas, humiditas, aut siccitas; sic enim alteratio citra vacuationem sufficeret: sed qualitas hoc in loco nihil aliud significat quàm genus humorum vacuãdorũ, & corpus molestantium. Qualitas itaq; humorũ qui vacuantur perpendenda hoc est, considerandũ quod genus humoris, seu qualis humor sit euacuandus. Quod monere in præsentia volui, quòd scirẽ plerosq; hic nõ recte de qualitate humorũ sentire, cũ tamen hæc ipsa nihil aliud sit, quàm genus humoris vacuandi, vt diximus, perinde atq; quantitas eiusdem mensura & copia. Quantitatem enim humorum vacuandorum tum consideramus, quãdo quousq; ac quantum de iis sit educendum estimamus. De qualitate itaq; humorum vacuandorũ sic

1. aph. 2. etiam præcepit Hippoc. In perturbationibus ventris si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & facile ferunt. Sin minus, cõtrà. Præterea in

Tempus anni præsens.

ventre subducendo, perinde atq; in uenæ sectione, præsens anni tempus considerare oportet. Sũt enim quædã tempora in quibus purgationẽ adhibere prorsus temerarium est. Nam si tẽpore hyberno in quo frigus immodicum existit, aut æstiuo in quo solis immensus æstus corpora affligit, purgatoria medicamenta propinaueris, haud leuiter nocebis. Etsi vero vtrunq; tempus purgationibus minus aptum sit, magis tamen æsti-

tium. Exusta enim tunc natura, eam quæ à medicamentis purgantibus fit, non fert acrimoniam. Accedit, quod natura etiam ipsa æstu iam imbecillis, expurgatione magis dissoluitur. Pluris itaq; hoc tempore purgati, febres incidunt, & viribus planè destituuntur. Hinc non temere ab Hippoc. prudentissimo sene dictum est: Sub cane & ante canem, difficiles sunt medicationes. Accomodatissimum vero tempus ad purgationes adhibẽdas, haud secus q̃ ad sanguinis missionem, vernũ esse solet, quod nimirum omnis excessus planè in medio est: id quod Hippocrates etiam ipse confirmat, in eum scribendũ: Quibus purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare oportet. 4. Aphs. 5. 6. aph. 47.

„ Quibus purgatio cum me
„ dicamento conuenit

Denique hoc potissimum nomine anni tẽpus cõsiderandum erit, quod ipsum non parum ad noxij humoris notitiam cõducat. Hyeme siquidem, Hippocrate in lib. de natura humana autore, in homine pituita augescit, vere sanguis, æstate flaua, autumno vero atra bilis. Quare si hyeme morbi inuaserint, magna ex parte pituitosi erũt. Sin æstate, biliosi. In hac itaque medicamenta quæ bilem ducunt, in illa autẽ quæ pituitam, magis sunt exhibenda. Regio quoque ipsa, in qua degunt qui vẽtris deiectionem requirunt, medico inspicienda. Regio. Hæc enim si supra modum calida fuerit, purgationem impedit: trahit enim in partem extrinsecam, contrariam ei ad quam medicamentum ducit, humores. In ea denique ob ambientem calidum vires dissoluuntur. Est etiam hoc nomine, considerandam medico regio, quod ad molestantis humoris notitiam nonnihil conferre videatur. In calida enim regione plerunq; calidi humores exuperant: in frigida vero frigidi. Cæterum in ventris

deiectione non prætereunda erit ætas ipsa, quæ interdū quo minus purgatoria medicamenta propinemus, obstat. Pueri siquidem, cum nondum iustam incrementi perfectionem consequuti sint, purgationibus planè inepti existunt. Si igitur eorum aluus adstricta fuerit, mel cibo adiiciendum, aut resina terebinthina, quæ ciceris quantitatem æquet, Paulo lib. 1. cap. 7. autore exhibenda. Pari ratione senes, potissimum vbi viribus iam prorsus destituti sunt, purgantib. medicamentis minime exagitandi sunt. Aetas præterea medico circa ventris deiectionem expendenda venit, quod ea ad infestantis humoris notitiā multum conducat: habet enim quæuis ætas suos morbos, qui ab Hippoc. nostro, lib. 4. aphor. ordine cōmemorantur, ex quibus humores eosdem procreantes facile deprehenduntur, vt subinde qualia medicamenta purgantia sint exhibenda: prōpte coniicere possit medicus. Præter hæc itaq; omnia morbi speciē inspicere oportet, quod ex ea humoris noxii cognitio haberi queat. Veluti quod tertiana, si ita cōtigerit, sit à flaua bile modū excedente, quartana ab atra, quotidiana à pituita. cancer ab atra bile, atq; singulæ aliæ morboꝝ species, eodem modo. Quare singula hęc quę diximus accurata opera distinguere oportet, sic enim firmiorē ac stabiliorem noxij humoris, notitiam nanciscemur. Hinc est quod nō temere in aphor. dixerit Hippocrates: Inspicere oportet & regionē, & tempus, & ætatē, & morbos in quibus conueniat, aut non. Insuper vt in omnib. reliquis euacuationibus, ita potissimum in ventris deiectione vires ægrotātis diligēter sunt expendendæ: donec enim tolerat, & nondum laborat, tentandum vt humor exuperans educatur.

Aetas.

Morbi species.

1. aph. 24

Vires.

Quum vero dissoluuntur, etiam si restent super vacua, cauere oportet vacuationem. Atq; hinc est, quod Hippocr. sic scripserit: Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur, qualia conueniũt, & ægri facile tolerant. Atq; vbi vsq; ad animi defectionem expedit ducere, faciendum si æger possit tolerare. Proinde vehemẽtes purgationes, ac scythica quadã rabie parata medicamenta, vt siquid aliud fugienda atq; execrãda erunt. Nã extra hoc quod vires supra modum deijciũt, etiã ventriculo mirifice obsunt: id quod ijs verbis innuere voluit Hippocrates: Neq; compressiones ad extremum dicendæ, periculosum enim: sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere cõuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremũ deducunt, periculosæ. Postremũ in ventris deiectionibus alui excrementa diligenter à medico sunt consideranda, quod ex eorũ cõsistentia, qualitate & colore, varia dignosci & prægnosci possint, vt copiose monstrauit Hippocr. lib. 2 prognost. apho. 1. 3. & sequentibus, necnon Gal. lib. 1. de crisib. cap. 11. ita vt non sit necesse hæc omnia hoc in loco longius prosequi, quũ singula ordine iã citati autores docuerint. Quod vero ad mutationes excrementorũ attinet, sciendum quod hæ in alui profluuijs iuuant, teste Hipp. nisi ad mala mutatio fiat: id quod apertius alibi ijs verbis efferre voluit: Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores peiores fuerint, tanto maligniores: cũ medicamento vero melius, & quanto colores plures, tanto minus malum. Tertiũ genus eorũ quæ corpus nostrũ euacuãt est vomitus, ex quo natura haud exiguũ cõsequitur

1. aph. 23.

1. aph. 3.

Alui excrementa.

2. aph. 14.

4. aph. 21.

Vomitus.

commodum. Qui enim frequenter vomunt, magna ex parte semper sani esse consueuerunt: nec enim bilem duntaxat, sed & pituitã vomitus educit, atq; adeo'ne malis humoribus ventriculus impleantur effecit, vnde etiam caput ipsum non parum subleuatur. Vtilis vero præsertim plenis & biliosis omnibus existit vomitus, si vel minimum se replerunt, vel parum concoxerunt. Nam si plus ingestum est quàm quod concoqui possit, periculum ne corrumpatur. Proinde nihil commodius est, nisi vt antequam corrumpatur, qua via expelli potest, eijciatur: id quod multo vtilius erit, si id q̃d assumptum fuit, iam planè corruptum est. Quoties verò vomendum sit, Hippocrates in lib. 1. de ratione victus docet, vbi in hunc modum scriptum reliquit: Cõsultius est vt is qui singulis mensibus „ vomere cõsueuit cõtinuo biduo hoc agat, quàm „ interpositis quindecim diebus: ita enim secundus „ dies prioris reliquias extrudit. Cauendum tamẽ vnice erit, ne is qui valere & senescere volet, vt vomat quotidianum habeat: nam eius frequentia assiduus'ue vsus, surditatem inducit, visui obest, thoracis pulmonisq́; venas disrumpit, nocet dentibus & capitis doloribus, maximè si non à ventriculo oriatur. In vomitu ciendo magno studio animaduertat medicus, qui ad vomendum faciles, quiq; difficiles sint. Difficulter enim vomẽtes, ad vomitionem non sunt cogendi, sed per inferiora potius purgandi. Difficiles autem, atq; adeo ineπti ad vomendum sunt mediocriter crassi ad pingues, angustumq́; thoraces habentes. Contrà autem faciles & idonei, qui tenues graciles'ue sunt, & amplum obtinent thoracem. Quæ singula Hippocrates breuissima hac sententia exprimere vo

Quibus potissimum vtilis vomitus.

Singulis mẽsibus vomẽdum.

Crebræ & immodicæ vomitionis incõmoda.

Facilitas & difficultas vomendi.

„ luit, dicens: Graciles & facile vomentes purgare 4.apho.6.
„ superius conuenit: vomentes vero difficulter, &
„ mediocriter bene carnosos, per inferiora. Porro sunt etiam quæ per vomitum eijciuntur, accurata opera à medico consideranda, quod ex ijs multa prædicere liceat, perinde atq; ex alui excremẽtis, queadmodum Hippocrates luculenter lib. 2. prognost. aph. 18. & sequentibus docuit. Quibus vero medicamentis vomitus ciendus sit, ex medendi ratione petẽdum erit. Quartum genus quo vacuatio perficitur, est cucurbicula, quam barbaram sectantes medicinam, ventosam nominant. Potest vero ea, Galeno in lib. de cucurbitula inscripto teste, non solum materiam euacuare, sed etiam dolorem soluere, phlegmonem minuere, inflationem discutere appetitum reuocare, ventriculo infirmo robur addere, animi deliquio liberare, ex alto fluxiones transferre, sanguinis eruptiones cohibere, facultates mensium corruptrices extrahere mensesq; supprimere. Sunt autem duplices cucurbitulæ: quædam enim citra sacrificationem adhibentur, & hæ quidem leues dicuntur Faciunt autem præcipue ad reuulsionem: ideoq; si menses supra modum profluxerint, per easdem reuelluntur & supprimũtur. Atq; hinc est quod Hippocrates in
„ aphorismis sic scripserit: Mulieri si velis menstrua 5.apho.50.
„ cohibere cucurbitulam quammaximam ad mam-
„ mas appone. Galenus etiam lib. 5. ther. meth. leuibus cucurbitulis hypochondrijs affixis, fluxũ sanguinis ex naribus retineri ac constringi docet. Infigendæ vero, ex eiusdem sentẽtia, super iecinore si ex dextra nare profluit sanguis: sin ex sinistra super liene, si autem ab vtraq; nare, super vtroque ponendæ sunt viscere, Cæterum leues cucurbitu-

Quæ per vomitũ eijciuntur.

Cucurbitulæ.

Cucurbitæ effectus.

Leues cucurbitulæ.

læ ijs qui antea vacuati sunt conueniunt; nam in plethoricis illis haud vtimur. Eadē ratione nec in parte vlla phlegmone obsessa, nec in aliarum passionum principio: verum vbi nihil præterea etiā influit, totumq; corpus ante vacuatū fuerit. Aliæ sunt cucurbitulæ quæ cum scarificatione admouētur, quarum vsus est cū partes corporis aut phlegmone, scirrho'ue teratæ fuerint, aut tensæ, aut dolore vexatæ, aut fluxione affectæ, sed quæ iam restitit: aut acrumbutæ materia, aut veneno extrinsecus infectæ; aut vbi materiam ex alia parte in aliam traducere consilium est. Præterea cucurbitularum cum scarificatione vsus quoq; esse solet in morbis acutis, in quibus interdum sanguinem mitti vires haud patiuntur. Porro quum per annum venā sæpius incidere haud expediat, quod scilicet vnà cum sanguine vitalis excernatur spiritus; quo quidem exhausto, & vniuersum corpus frigidius reddit, actionesq; naturales deteriores hūt: conueniet sanè vt partes ignobiliores: potissimū aūt crura, sæpius sacrificentur: quod quidē tum ad conseruandam, tum reparandā sanitatem præsidium efficacissimū est. Prodest autem scarificatio, & oculis diutina fluxione laborantibus, tum capitis passionibus, quiq; thoraci dorsoq; eueniunt. Sub scarificatione hirudines, quibus pro cucurbitulis vtimur, cōplecti debent. Harum vsum tradit Gale. in breuissimo eo libello quem de hirudinib. inscripsit: inde itaq; petendū erit, quod hic de industriā silentio transimus. Quintū genus euacuationum balneū existit, de quo vt ordine agamus, animaduertendū erit duplicia esse balnea: quędā enim naturalia sunt; quædam vero arte confecta. Naturalia dicuntur, quæ per se aut sponte natura

Scarificatio.

Hirudines.

Balneum.

Naturale.

liter'ue proueniunt scaturiunt'ue, alioq; nomine, eo quod illis insit calefaciēdi facultas, thermæ vocantur balneorum autem naturalium quædā nitrosa, quædam salsa, quædā aluminosa, nonnulla sulphurea, nonnulla bituminosa, aliqua ferri, aliqua æris, aliqua cupri, aliqua auri qualitatem obtinēt: quædam ex pluribus horum constant. Est autem in vniuersum omnium vis exiccandi: sed quædā cū exiccatione egregie simul calefaciunt, quędā exiccando constringunt. Speciatim vero quæ salsa & nitrosa sunt, ad frigidas & humidas intemperies, & ad eiusdem generis morbos conferunt. Propterea medentur articulorum doloribus, podagræ, resolutioni renum passionibus, asthmaticis, fractuтis callosa substantia indigentibus, vlceribus manantibus, inflammationibus diuturnis, & iam induratis: præterea capiti, thoraceq; fluxionib. obnoxio, ventriculo humore infestato, hydropicis, œdematis è morbo prouenientibus, & pituitosis. Aluminosa vero ad sanguinis eiectiones, vētriculum vomiturientē, hæmorrhoidas immodice profluentes, mulieres quæ inordinate purgantur, & quæ frequenter obortiunt. Ad eos deniq; qui immodico sudore resoluuntur, & tibiarum varices prosunt. sulphurea neruos emolliunt, calefaciuntq; dolores sedant: ventriculū tamen effœminant & subuertunt, omnia cutis vitia exterūt: quapropter alphis, leucis, impetiginibus, vlceribus antiquis, articulorum defluxui, lieni indurato, iecinori vtero, resolutionibus coxendicibus, & scabiei subueniunt. Bituminosa vero caput replent, sensuum instrumenta lædunt, enixe tamen calefaciunt, & prolixe molliunt si quis diutius immoretur, præsertim vterum, vesicam, & colum.

Thermæ.

Salsa & nitrosa.

Aluminosa.

Sulphurea.

Bituminosa.

Ferrea. Cuprea. Aurea. Aerea. Mixta.

Aerea oculis, ori, tonsillis, & vuæ conueniunt. Ferrea ventriculo, & lieni accõmodata sunt. Cuprea articulorum doloribus molestatis, podagricis, asthmaticis, nephreticis, vlceribusq; malignis auxiliantur. Aurea colicis doloribus, voluulo, fistulis, podagræ, ac malignis vlceribus succurrunt. Quę ex mixtis qualitatibus constant, pro cuiusq; vincentis qualitatis ratione agunt. Proinde ex iam commemoratis facillime omnium Germaniæ nostræ thermarum facultates dijudicare licebit, modo mixturam ac constitutionem illarum perspectam habeamus. Quare ne quid hac in parte studiosi desiderare possint, breuiter earundem potissimum earum quæ cæteris antecellere videntur, mixturas & vires exponam. In harum autem numero merito sibi primas vendicant thermę in Curiensi diœcesi sitæ, quæ Germanis Pfeffersbad dicuntur, hoc est, piperina balnea. Constant mixtura auri, sulphuris & nitri. Harum aqua non continuo manat, sed tertio die Maij erumpit, decimo vero quarto Septembris iterum sese subducit. Mirifice doloribus capitis confert, memoriam roborat, visum, auditumq; acuit: cerebri obstructiões ac neruorum aufert, articulorum doloribus, vlceribus, fracturisq; ossium succurrit. In Lothoringiæ montanis balnea sunt quæ Plumbers, quasi plumbea, ob nimirum copiosam plumbi mixturam, vocantur.

Plumbers.

Constant ex plumbi, vt diximus, sulphuris, & aluminis commixtione. Auxiliatur malignis & curatu difficilibus vlceribus, cancro, phagedænis, fistulis, elephantiæ recens cœptæ, & omnibus cutis vitijs. Horum inter Germaniæ balnea mentionem facere placuit, quod ex omni ferè genere terrarum homines illuc commigrent. Haud procul

à Badenijs

à Badenijs Heluetiorum salubres etiam habentur thermæ, quarum mixtura constat ex copioso sulphure, & exiguo alumine. Prosunt ad frigidas ac humidas capitis & cerebri passiones lethargũ scilicet, amissam memoriam, & similes. Calefaciunt & exiccant ventriculum, eiusq; concoctionem iuuant, iecoris & lienis obstructiones tollunt. Detentos menses euocant, & sterilitatem auferunt. Mulieribus præterea magis quàm viris conueniunt. Badeniæ Heluetiorum.

Sunt & in inferiori Badenia, vbi Marchio Badẽsis residet, balnea miræ efficaciæ, quorum mixtura ex sulphure, sale & alumine existit. Conferunt difficile spirantibus & asthmaticis, doloribus articulorum, & podagræ, à frigidis humoribus ortis, hydropicis, vteri morbis frigidis, albis potissimũ mensibus, conceptionem promouent, sterilitatẽq; remouent, & in summa vteri malis frigidis & humidis, præ cæteris balneis mirificè conueniunt. Vlceribus & cutis vitijs medẽtur. Badenia Marchionis.

In ducatu Vuirtenbergensi haud procul à Chalb oppidulo sunt thermæ, quæ à Martiana sylua (sic autem Romani superiorem partem Hercinij nemoris vocant) germanice schuuartzuuald oder Vuilbad, hoc est, ferinæ nominantur, ex eadem qua priores mixtura constant. Sunt tamen qui cupri & nitri mixtionẽ accedere putent. Vnice capitis passionibus frigidis, paralysi, conuulsioni, stupori, & similibus auxiliantur, instrumenta sensuum roborant, tinnitũ aurium, iecoris & lienis obstructiones tollunt, hydropicis & ictero laborantibus, renum & vesicæ calculis ventriculoq; succurrunt, appetentiam excitant, & ferè omnia quæ Marchionis thermæ possunt. Viris tamen magis quàm mulieribus cõpetunt. Martiana sylua. Schuuartzuuald oder Vuilbad.

Haud procul ab ijs, Cellenses sunt ther- Cellerbad.

mæ,quarum mixtura ex modico sulphure, alumine,& cupro constat. Succurrunt diuturnis febribus ex pituitosis simul & biliosis humoribus ortis, vlceribus diuturnis & malignis, articulorum doloribus,apprentiæ caninæ ac præ cæteris thermis côueniunt ijs qui calido & sicco sunt temperamento prædíti. In eodem etiam Vuirtenbergẽsi ducatu ad Geppingam oppidum thermę sunt,

Saurbrunn. quæ germanice Saurbrunn, hoc est, acidus fons appellantur. Ex acidis, quibus exigua sulphuris accessit portio,harum mixtura constat. Prosunt partibus,corporis luxatis ideoq; ventriculum ac iecur potissimum corroborant. Hydropicis & regio morbo correptis humoribus putrefactis, uoluuloq; opitulantur.Lumbricos quoq; si bibantur,enecant.Similis propè mixtura est earũ thermarũ quæ in Au sunt prope Rotenburgũ ad Ni-

Au prope Rotenburgum.

cerum situm,copiosiore tamẽ sulphuris portione constant,ideoq; minus prioribus acidę,quo etiam nomine calidiores existunt, maiorîq; exiccandi, eorum quæ in partium cauitatibus delitescunt

Embs. facultate præditę.Infinibus lacus Podmici,quem Constantiensem uocant,thermæ habẽtur, Embs dictæ,aluminis & nitri mixtura participantes. Cõferunt dolorib.capitis, neruorum resolutionibus

Geber suueiler. à coli doloribus factis, & ulceribus malignis. In Alsatia prope Gebersuueiler thermæ sunt quę ex mixtura aluminis,nitri,& ferri constant.Opitulãtur lienosis,quartanalaborantibus,ulceribus sordi-

Elenbogen. dis & omnibus uitijs cutis.Apud Elenbogium in Bohemia oppidum thermę,sulphuris & aluminis mixturam obtinent.Harum facultates ex iam cõmemoratis satis notæ sunt Vuissbadenses ther-

Vuisbaden. mæ ex sulphure, alumine et exiguo nitro cõstãt.

In Baioaria sunt thermæ quas Gastein nomi- Gastein.
nāt, quibus uehemens adstrictoria facultas inest,
ideoq; omnia corporis excremēta dissipant & ab-
sumunt. Impraegnandi facilitatem pariunt, & ne
abortiant grauidæ prohibent. Thermæ etiā sunt
apud abudiacum Baioariæ castellum supra Regi Abach.
noburgum, quę sulphuris, aluminis & nitri mixtu
ram obtinent. Odore oua frixa referunt. Facul-
tates earumdem, vt reliquarum, ex ijs quæ dicta
sunt, abunde constant. Hactenus breuitate qua
potuimus naturalium balneorum vires explicui-
mus: restat itaque vt ad artificialia veniamus, Balnea arte confecta.
quorum antequam vires enarremus animaduer
tendum erit, apud veteres quinque fuisse balnei Quinq; partes balnei artificialis.
artificialis partes. Prima Græcis ἀποδυτήριον, ἀ-
πὸ τοῦ ἀποδύειν, quod exuere significat, Lati-
nis vero tepidarium dicebatur. In hac quidem
parte, quæ tepida erat, balneaturi sese exue- Prima.
bant. Altera balnei pars Græcis πυριατήριον καὶ Secunda.
ὑπόκαυστον, Latinis calidarium, Senecæ sudatoriū
nominatur. Galenus multis in locis ξηρὸν, θόλον,
hoc est siccam testudinem appellat. Sūt qui etiam
laconicum, quod eo ad sudorem proliciendum Laconicum.
peculiariter Lacones vsi sunt, vocent: quod Mar
tialis libro. 6. Epigram. iis carminibus insi-
nuare voluit.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Cruda virgine, martiaq; mergi.

Hæc pars fornicem habuit concameratumseu lo-
cum in se recuruū, in quo succensus ignis, calidos
atq; siccos vapores emittebat, atq; adeo sudorē cō
citabat: id quod hodiernis etiam temporib. in no-
stris balneis fieri videmus. Tertia solium calidū.

Tertia. Solium.

Solium vero nihil aliud fuit, quàm cisterna, aut vas in quo homines sedentes lauabantur. Hinc est quod aliàs labrum ac lauacrum, & piscina, atq; vulgo medicorum tina appelleter. Galenus interdum ab inscensu & descensu ἐμβαχον vocat. Græcis etiam δεξαμένη dicitur.

Quarta. Quinta.

Quarta pars erat frigidum solium. Quinta, vbi sudorem detergebant. Galenus tamen libro decimo therap meth. vbi balnei partes commemorat, primam silentio transijt, quã nihilominus Plinius, vt alias omnes, libro quinto episto. sexta recenset.

Nostra balnea.

Nostra balnea ferè per omnia antiquioribus respondent. Habemus enim tepidarium in quo exuimus primum vestes. Deinde calidarium, in quo abunde sudamus. Neque desunt solia, calidum potissimum. Frigido enim vti inusitatum hodie. Desideratur etiã pars quinta, cui tamen tepidarium in quo denuo veste induimur, respondere aliqua ex parte potest. Explicatis partibus balnei, quid quæuis illarum efficere possit breuiter docebimus. Prima quidem pars, quasi preparatio quædam ad alteram erat, quam sane partem hodie, vt olim etiam, aëreum balneum appellant, quod eo vtens in aëre versetur calido, qui vel à calidis & siccis vaporibus ab igne delatis, vel calidis & humidis, ab herbis in vase aliquo decoctis, transmissis, aut aqua supra ignitos lapides transfusa sic paratur. Potest autem hęc pars materias per totum corpus tum calefacere, tum vero fundere: præterea quæ inæqualia sunt, æquare, & cutim laxare, & multa quæ detenta sub hac fuerunt, vacuare, vt meritò sanè exercitij interdum neglecti vicem supplere queat.

Aëreum balneum.

Calidi solij facultates.

Calidum aquæ dulcis solium si media temperie sit, Galeno, lib. 3. de tuenda valetudine teste, calefacit, & hu-

mectat: sini tepidum sit, humectat & infrigidat: quod si iusto calidius fiat, calefacit quidem, sed nō perinde humectat: quippe horrere corpora, contrahiq́. exiles eorum meatus cogit, ita vt nec madescere ab extrinsecus accedente humore possint, nec excrementi quod intus latet, quicquam emittere. Quod itaq; moderatè calidum fuerit, potest madorem vtilem solidis partibus immittere, fatigationem ac lassitudinem soluere, discutere plenitudinem, mitigare, per halitum digerere, duras tensasq; partes emollire, excrementum, putre'ue, si quod intus ad cutem hæret, euocare, flatus diffundere, somnumq́; allicere. Tepidum vero febribus exiccantibus, præsertim vbi æger immodice sitiat, atque vehementibus solis exustionibus confert. Calidum denique solium commodissimum est pueris, senibus viro & mulieri. Frigidum, & totum corpus refrigerat, & cutem densat, & vires firmat. Hinc est quod non omnibus conueniat, sed ijs qui exactius viuunt, laboribusq; & cibis commodissime vtuntur. Præterea neque senibus, neq; mulieribus competit, potissimum si diutius in eo morentur. Iuuenibus itaq; solis & carnosis, æstiuo maxime tempore, frigida natatione vti modo frictionibus præcalfacti sint, vtile existit. Sextum genus eorum quæ corpus nostrum euacuant, est sudor. Cuius quidem prouocatio tum potissimum vtilis & necessaria existit, quando humor aliquis noxius circa corporis interiora versatur, vt in febribus, & præsertim pestilentialibus, cōtingit. Elicitur vero varijs modis, nempe sicco calore laconici, ignitorum & feruentium lapillorum, arenæ calidæ, solis, & similium. Fomento insuper calorifico, aqua scilicet calida, vel in vtre, vel in vesi

Frigidi solij vis.

Sudor.

Sudor quibus elicitur.

ca, vel in vasculo aut æneo, aut testaceo adhibita. Cæterum medicus in morbis, acutis præsertim febribus, summa diligentia sudoribus attentus sit, videatq; qui boni, quiq; mali sint: nam ex ijs multa prædicere poterit, vt liquet ex ijs quæ tradit Hippocrates libro quarto aphor. 36. & sequentibus: Sudores autem saluberrimi, vt idem in prognosticis testatur, in omnibus morbis acutis censentur, si in diebus decretorijs oriantur, febremq; finiant, aut vbi æqualiter toto insudante corpore, æger morbum facilius sustinere videtur. Contrà inutiles qui id efficere non valent. Pessimi vero omnium sunt frigidi, & vbi caput duntaxat, aut facies aut ceruix insudat: quippe qui in acuta febre mortem, in mitiore vero morbum diuturnum fore significant. Circa sudoris vero rationē, vt in omnibus alijs euacuationum generibus, vnice cauendum erit, ne is sit immodicus, atq; adeo vires planè deijciat. Quod non animaduertentes superioribus annis, dum per vniuersam ferè Germaniam anglicus vocatus sudor grassaretur, medici imo carnifices quidam, non paucos, eosq; etiam potentissimos, interfecerunt. Hinc non frustra monuit Hippocrates, in aperiendis meatibus, ac sudoribus prouocatione, diligenter esse considerandum quantum sit euacuandum, ne scilicet nobis nihil tale metuentibus vires prorsus deficiant, atq; adeo ægrum in summum vitæ discrimen adducamus. Septimum genus euacuationis exercitia & frictiones supplent, de quibus suprà cap. 18 copiose diximus. Octauū genus quo corpus tam sanum quàm ægrum vacuamus, est inedia seu abstinentia. Euacuat vero non per se, sed ex accidenti nullo scilicet accedente alimento in

[Margin notes: 2. pro. 29. (beside "bus: Sudores autem saluberrimi"); 6. Epid. par. 2. aph. 21. (beside "stra monuit Hippocrates"); Exercitia. (beside "exercitia & frictiones"); Inedia. (beside "dia seu abstinentia")]

locum eius quod fuit vacuatum. Hæc autem bifariam fit. Primum quidem, vbi nihil prorsus vel cibi vel potionis assumitur. Deinde, vbi non nisi quod oportet, & ad virtutis conseruationem satis est. Nihil est autem quod magis iuuet & sanos & ægros, quàm tempestiua inedia & abstinentia. Sani enim non facile in morbos incurrunt, si abstinentia commode vsi fuerint, vt rectissime dixerit Plinius, multo vtilissimam esse in cibis temperantiam. Et Hippocrates noster, sanitatis studium esse non satiari cibis. Laborantes etiam morbo sic interdum iuuat abstinentia, vt ea morbus magna ex parte expugnetur. In præscribenda vero inedia medicus diligenter consideret qui hanc ferre possint, aut minus. Quippe, Galeno libro secundo de temper. teste, qui angustas venas habēt, exigui sunt sanguinis, ideoq́. nec longam inediā ferunt. Quibus cōtrà latæ his sanguinis copia est, & citra noxam cibo abstinēt. Inter ægros longissimam cibi abstinentiam ferunt, qui crudis referti sunt humoribus, corpore scilicet ex crudis ipsis quos continet succis cōcoquēdis alto. Quid multa? inedia non vtendum nisi in ijs qui sunt valentioribus viribus, & morbis coctu difficilibus. Quēadmodum itaq; inedia si tempestiua, & ijs quibus oportet adhibita fuerit, mirificè confert: ita si intempestiua, & ijs quibus nō conuenit admota fuerit, vehemēter incommodat. Intempestiue autem adhibet, vbi virtus ipsa imbecillis est, & morbus cōcoctu facilis. Item vbi hi qui eam ferre debēt, biliosi admodum fuerint, & calorem ad igneam naturam propensiorem habuerint: tum enim febres accendit, succos q; biliosiores ac amarulentiores reddit, frequentes item cordis stomachiue

Lib. 18. cap. 5.

9. Epid. par. 4. aph. 20.

Qui inediā ferre possint, aut minus.

morsus,& inquietudinem, omnia denique excrementa acerbiora maligniorá'q; efficit. Nonum locum eorum quæ corpus euacuant somnus sibi vendicat, non quidem omnis & quocunque tempore factus, sed is duntaxat qui famescente iam corpore, aut statim ab exercitio fit. Calor siquidem natiuus per somnum interiora petens: non inueniens cibum quem conficiat, vtilem solidarum partium corporis humiditaté absumit, atq; adeo corpus ipsum necessario exiccat & extenuat: id quod Hippocrates etiam testatur, qui sic scriptum in Epid. reliquit: Immodice vacuatum multus somnus exiccat. Et in lib 2. de victus ratione in eum scribens modum: Somni quídem ieiunũ extenuant & refrigerant, humidum quod inest euacuantes. Si vero plus calefaciant, carnem liquefaciunt, corpusq; diffundendo dissoluunt, ac imbecillium reddunt. Saturum autem excalfacientes humectant, & alimẽtum in vniuersum corpus diffundunt. Somnus etiam post matutinas deambulationes factus, omnium maxime siccat. Idem efficit somnus à balneo adhibitus Nam cum balneũ cutim laxet, ac quæ detenta sub hac sunt euacuet, fit vt ea etiã quę interioribus corporis partibus hærent, reuocato huc per subsequentem statim somnũ calore, absumãtur. Et vt rem in pauca contrahã, somnus immodice vacuatos, siue id fiat medicamẽtis, siue exercitijs, siue balneis, exiccat atq; extenuat, vt liquet ex ijs quæ scribit Galen. lib. 14. ther. meth. & lib. 6. de tuenda valetudine. Decimũ quo perficitur euacuatio, est vrinæ prouocatio: cuius quidẽ tum præcipuus est vsus, cum obstructio, vel humorũ abundantia circa iecur, eius potissimum gibba, renes & vesicã fuerit:

Somnus à fame aut exercitio.

6. Epid par. 5. aph. 31.

Somnus à balneo.

Vrinæ prouocatio.

Non temere autem adiectum est, eius potissimum gibba: si enim in cauo fuerit obstructio, tunc per aluum potius purgatio prodest. Cuius rei testis est grauissimus, Gal. lib. 7. & 11. ther. meth. vbi sic
„ tradit: Sicuti iecoris cauum per aluum purgatur,
„ sic gibba eius per ea quæ modicè vrinas mouet.
Quam etiam sententiam repetit lib. 1. ad Glauco cap. 7. & multis aliis locis. Quibus vero medicamentis eiusmodi per vrinam euacuatio fiat, quęue sint ea quæ vrinam mouent, ex libris de simpl. medic. facultat. & ther. meth. discendum erit. Circa vrinę prouocationem id monendum esse duxi, vt diligenter caueamus ne si phlegmone aut vlceratio circa renes aut vesicam fuerit, vrinam moueamus: quod tum longissime à patiente particula auellere, nequaquam trahere ad eam conueniat: id quod Galenus etiam lib. 13. ther. meth. sic scribens testatum reliquit: Neq; igitur quum vel circa
„ sedem, vel aliquam huic vicinam partem initium
„ phlegmones incidit, aluum deiicies. Neq; quum
„ in vesica, vel cole, vel renibus cœpta, medicamen
„ ta quæ vrinas ꝓuocent bibenda dabis. Nec si mu
„ lieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic
„ mouebis: sed ad partes quę maxime longinquæ
„ sint, semper auersionem facies. Vndecimum quo euacuatio fit, sputum existit: cuius tum potissimum vsus est, quum thorax & alia instrumenta respirationi seruientia expurgatur. Quapropter vbi sputum fuerit exquisitè simile illi quod secundū naturam est, integram sanitatem instrumentoꝝ quibus spiratio ipsa perficitur, significat. Si vero aliqua ratione impediatur, atq; à naturali recesserit habitu, tantum ea læsa esse demonstrat, quantum ipsam formam naturalem amiserit. Quare diligen- Sputum.

ter admodum medicus circa sputi eductionē cō-
sideret ea quę Hippoc.lib.1.prog.aph.43. & se-
quentibus aliquot expēdenda esse monuit:& post
hunc copiosius Gal.in comm.in has sentētias edi-
tis,& in libro de constit. artis medicæ,& lib.1.de
crisib.cap.5.prosecutus est. Duodecimo perficitur
etiam euacuatio per medicamenta quæ in ore re-
Apophlegmatismi. tinentur,& commanducantur, ἀποφλεγματισμοὺς
Græci vocant, à pituita quam ex capite trahunt.
Sub iis etiam comprehenduntur sternutamenta
cientia,& alia quæ per nares ipsas cerebrum eua-
Profluuiū sanguinis narium. cuant medicamenta,de quibus omnibus alibi fu
sius diximus. Decimumtertium euacuationis ge-
nus est profluuium sanguinis è naribus,quod præ
cipuè cerebri obstructionibus, à capiteq; destilla-
tionibus confert, multosq; alios morbos iudicat,
quemadmodum Hippoc. in prog. & Epid. libris,
Galen.in lib.3.de crisib.multisq; aliis locis demō
strant. Quare studiose attendat medicus,vt in san-
guinis è naribus profluuio sciat quando constrin-
gendum sit,& quando minus. Interdū enim vbi
parum effluxerit,statim per medicamenta cohibē
dum erit. Nonnunquam non sine magno incom
modo constringitur,vt si ob multitudinem vitiosi
sanguinis accidat,quin tum potius natura in ex-
pellendis noxiis iuuanda. Quare altamente repo
6.Epid.par. sita sit hæc Hippoc.sententia qua breuiter de san
3.aph.18. „ guinis ex naribus profluuio sic statuit: Sanguinis
„ è naribus profluuia quibus parum acquiescimus,
„ sicco medicamento obstruere oportet. Aliis autem
„ obstruentia non sunt adhibenda. Alba vero vbi
„ è naribus profluxerint,sicco, vt galla & alumine
„ obstruere conuenit. Cuius quidem sententiæ vb-
riorem explicationem ex cōmentariis nostris

tes. Decimumquartũ genus corpus euacuans mẽ- fium exiſtit profluuium, quod ideo ſtatis tempori- bus mulieribus euenit, vt eo ipſo vniuerſum cor- pus expurgetur, atq; adeò ſanitas tueatur. Si itaq; extra conceptionem, & id tempus quo lactatur in- fans (tum enim fœtui fomentum miniſtrant, & la- ctis generationem augent) menſes ſuppreſſi fue- rint, bonam corporis valetudinem planè deſtruũt, perinde atq; vbi plus iuſto promanauerint. Quod Hippoc. etiam in aphor. ſic ſcribens teſtatum reli- quit: Si menſtrua plura fiunt morbi accidunt: & ſi nõ fiant morbi ex vtero cõtingunt. In menſtruis tamen conſtringendis prudentem ſeſe gerat me- dicus, ne ſcilicet citius, aut tardius quàm conue- niat ſupprimat. Sunt enim mulieres quib. natura- liter etiam profluentia diutius durent, quàm cæ- teris. Cuius rei grauiſſimus teſtis eſt Hippocrates, qui in Epid. in hunc ſcribit modum: Menſtrua hu- midis mulieribus diu durant, quando vero non cito promanauerint, tumeſcunt. Plura ad inſti- tutum facientia ex libris noſtris de medendi ra- tione editis, petenda erunt. Decimumquintum va- cuationis genus per hæmorrhoides pficitur, quæ nihil aliud ſunt, niſi venarum quæ ſedem ambiũt explicationes. Per eas vero natura plerunq; ma- gnam atræ bilis copiam educit, ideo'q; promanã- tes à multis iis'q; grauiſſimis morbis tutos ſecu- ros'q; nos faciunt, vt teſtatur Hippoc. qui in Epid. ſic ſcriptũ reliquit: Hæmorrhoides habentes neq; laterum dolore, neq; pulmonis inflãmatione, neq; depaſcenti vlcere, neq; furunculis, neq; termin- this, pariter neq; lepra, neq; vitiliginibus corri- piuntur. Non ſolum autem ea vis eſt hæmorrhoi- dum, profluentiũ vt à morbis præſeruent, imò ab

Menſium profluuium.
5. aph. 57.
6. Epid. par. 1. aph. 6.
Hæmorrhoides.
6. Epid. par. 3. aph. 29.

iis etiam qui iam nos inuaserunt prorsus liberát, quemadmodum testátur ea quæ Hippoc. in Epid.

6. Epid. par. scribit dicens: Hæmorrhoides ab atra bile liberát,

5. aph. 25. „ quia simile profluit. Et in aphor. Atra bile vexa-

6. aph. 11. „ tis, & renum passionibus, hæmorrhoides superue „ nientes bonum. Et iterum: In insanientibus si hæ-

6. aph. 22. „ morrhoides supuenerint, insaniæ solutio fit. Quũ itaq; hæc sic se habeant, diligenter cauebit medicus ne easdem, nisi maxima vrgente causa, supprimat, quod aliàs multorum morborum autor futu- „ rus sit. A diuturnis siquidem hæmorrhoidibus „ sanato, vt ait Hippocrates, nisi vna seruetur, peri-

6. aph. 12. „ culum est vel aquam inter cutem, vel tabem succe

6. Epid. par. „ dere. Et alibi: Quamplurimi intempestiuè sanati,

3. aph. 29. „ mox morbis prædictis correpti sunt, & fuerunt sa „ nè perniciosi. Plura ad hunc locum spectantia ex commentariis nostris in hanc sententiam editis & medendi ratione libris require. Decimumsex-

Venus. tum quo corpus vacuatur Venus est, cuius vsus etiam aliquis erit, si moderata fuerit. Plenitudinẽ,

Veneris cõmoda. „ enim euacuat, Aëtio lib. 3. cap. 8. & Paulo lib. 1. „ cap. 35. testibus corpus auctum, virile, & agile red „ dit, durum etiam corporis habitum emendat, mol „ lit enim instrumenta, meatus dilatat, atq; à pituita „ expurgat. Quod ad animũ pertinet, rationis vim „ impeditam soluit, ingentes iras remittit: idcirco „ delirantibus, melancholicis, tristibus, homines „ odio habentibus, quos μισανθρώπους vocant, & „ iracundis, maximum præsidium est. Iuuat etiã co- „ mitiali morbo laborantes, & qui capitis vel grauitatem, vel dolorem patiuntur. Quod sanè Hippo

6. Epid. par. „ crates iis confirmat verbis: Venus, inquit, morbis

5. aph. 23. „ qui à pituita fiunt, vtilis est. Insuper fastidientib. „ nonnullis, cibi appetentiam excitat: quosdã à cre-

» » bris rei venereæ per somnum imaginationibus li» » berat. Cæterum mediocris veneris vsum iam diximus, immodicæ quæ sint incommoda nunc exponemus. Assiduus & immodicus veneris vsus oculis nocet, & omnibus sensorijs, capiti, neruis, thoraci, renibus, lumbis, & coxendicibus, senectutem quoq; & mortem accelerat: vniuersum siquidem robur deterius reddit. Hinc qui immodicè vtuntur venereæ, obliuiosi sunt, tremuli, articulorũ doloribus, & maxime coxendicum, & renũ uesicæq; vitiis laborant. E temporibus autẽ anni ad venerẽ uer optimũ est, autumnus minime, dein æstas, sed neq; hyems ob frigus admodum conueniẽs. Hora uero coëundi optima, Galeno cap. 87. artis medicinalis autore, est cum in excessuum mediocritate corpus fuerit constitutum, cum scilicet neq; supra modum plenum, neq; uacuum extiterit, aut in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit. Ideoq; in venerem congressurus, uitare debet recentes satietates, uel cruditates, ebrietatem, & famem, fatigationem, uomitum, purgationem, & similia quæ corporis robur dissoluere possunt. Optimum uero est coire à cibo, qui tamen ad satietatem non sit ingestus, & ante somnum id enim robur addit, & frigiditatem fieri prohibet. Quippe subsequens somnus laborẽ remittit, caloremq; ad interiora reuocat, atq; adeo concoctionem iuuat. Accedit quod hoc tempus ad procreandam sobolem aptissimum sit, cũ ob alias causas, tum quod fœmina dormiens genituram melius cõtinet. Decimaseptima inanitionis species est insensibilis perspiratio, quæ si ex naturæ nunquam quiescentis potentia fit, ἄδηλος διαπνοὴ, uel simpliciter διαπνοὴ dicitur Grecis: Si uero à medicamentis, διαφόρησις.

Veneris immodicæ.

Tempus veneri aptum.

Insensilis perspiratio.

διαπνοή.

διαφόρησις.

διαφορεῖν. Διαφορεῖν nanq; Latinis discutere est; quod verbū idem significat quod Græcis τέμνειν καὶ λεπτύνειν καὶ σκεδάζειν, hoc est, incidere, extenuare, & disper- gere. Sic sanè cū humores in aliqua corporis parte collecti citra suppurationem soluuntur & euanescunt, διαφορεῖν, & discuti dicuntur. Diaphoresis itaq;, quam digestionem nonnulli, & euaporationem nominant, nihil aliud est, quàm humorum partem aliquam obsidentium per insensiles meatus euaporatio. Inde διαφορητικὰ medicamenta: id est, discussoria, dissipantia, seu euaporantia, & digerentia sunt quibus discutiendi dispergendi, ac dissipandi per insensiles meatus vis inest: nō quæ aluum subducunt leuigant'q;, vt Cœlius, vir alioqui doctissimus, & de studiis optime meritus lib. 14. antiq. lect. cap. 61. interpretatur. Hactenus euacuationis genera commemorauimus, quæ singula diligens medicus accurata opera obseruabit, vt nimirum sciat quando hoc vel alio genere vtendum sit, aut quando potius constringendum. Interdum enim præstat humores generare, quàm educere adeo'q; tum suppressione magis opus erit, quàm euacuatione. Quare non minus scitè quàm breuiter Hippoc. sic in Epid. scriptum reliquit: Dilatare, constringere oportet hæc quidem, illa vero non. Humores hos sanè expellere, illos siccare alios generare, huic equidem illi vero nō. Et paulo post Alium humorem non exeuntē educere conuenit, exeuntem vero coëffundere, & simile operari. Quid multa? si medico euacuatione vtendū erit, accurata diligentia perpendat, vt euacuandū sit, & vbi, & quale, & quādo, ac quantum. Quod Hippoc. etiā noster iis monuit verbis: Meatus apertos esse cōuenit veluti nares, & alia quæ

[Margin notes: Diaphoretica medicamenta. — 6. Epid. par. 2. aph. 1. — Vbi suprà aph. 3. — Vbi suprà aph. 21.]

" oportet, & vt oportet, & qualia, & vbi, & quando, " & quantum oportet, veluti sudores, ac alia sanè " omnia. Quam quidē non minus vtilē quàm breuem sententiā, in nostris commentariis fusius explicuimus. Eos itaq;, si quid desideras, consulere poteris. Sed vt tandem de vacuatione sermonem finiamus, cum ex Hippocratis sententia, vt statim ab initio ferè methodi huius diximus, medicina non sit aliud nisi adiectio & detractio, posset breuitatis studiosus vniuersam medicinam in hunc abundantiæ & inanitionis ordinem referre. Nos tamen ad alia quæ restant explicanda, orationem nostram vertemus.

De animi perturbationibus. Cap. XXI.

Animi perturbationes (sic enim Cicero turbidos concitatos'q; animorum motus vocat) non esse à medico contemnendas vel hinc colligere licebit, quod magna illarum vis sit, & miras in corpore motiones excitent: id quod præter alias timor potissimum, gaudium, ira, & verecundia euidenter declarant. Timor siquidē & spiritum & sanguinem intro, & ad scatebram suā reducit, contrahit'q; quo fit, vt partes in superficie positæ algeant. Ira vero intendit, fundit, & calefacit. Quinetiam cordis & arteriarum pulsationes, & minimæ, & perquam debiles apparent in timentibus: maximæ & validissimæ in iratis. Per verecundiam, animalis facultatis in primis quidem ad interiora motio fit, sed rursus affatim redit ad exteriora. Quod si non rederit, iam non verecundia, sed timor censeri debet. Quippe verecundia derepentę fit, animali facultate nihil mali sperante. Vnde fit, vt recedat dum

Animi affectuum vis immēs[a].

Timor.

Ira.

Verecundia.

taxat ad interiora, ueluti subterfugiens, idq; citra refrigerationem, excitante impellenteq; ratione patibilem animæ partem. Redit uero ferturq; foras, eo maxime motionis modo, quo calor reuocatur iis qui in frigida se lauerunt. Hinc fit ut uerecundia suffusis, etiamsi maxime palleant, repentè admodum genæ rubescant Quod autem in timore confertim, id in mœstitia paulatim patiūtur homines, magnitudine duntaxat ac uehementia, nō toto genere differentibus perturbationibus. Atqui nonnulli ob timorem & mœrorem subitariū, morte perierunt, quod scilicet debilis suapte natura animula, sub ualido affectu oppressa, cofertim & extincta & suffocata sit. Etenim extinctio, ob perturbationis quæ à refrigeratione oritur, naturam fit. Suffocatio uero, quum uniuersus sanguis ad principium confluit, deferturq;. Sic sanè Plinius libro septimo cap. 53. P. Rutilium, nunciata fratris repulsa in consulatus petitione, ilico expirasse scribit. Idem etiam M. Lepidum uxoris charitate post repudium obiisse tradit. At ex iratis nemo mortuus est, utpote qbus neq; calor refrigeratur, neq; robur dissoluitur. Præ gaudio autem nonnulli supra modum pusillanimes mortui sunt, haud aliter quàm timentes. Non enim perinde atq; in ira cū ualido feruore ad exteriora fertur animata facultas, quin è contrario, si quid antea fuit ei roboris, id nunc exoluitur laxatur'q;. Quum enim nimio gaudio laxata petit exteriora, discutitur atq; dissipatur. Sic cognito repente in perato gaudio, expirasse animam refert Arist. Polycritam nobilem fœminam è Naxo insula. Philippides quoq; comœdiarum poëta haud ignobilis, cum in certamine poëtarum præter spem uicisset, & lætissimè gauderet,

Mortui præ mœstitia.

Præ gaudio mortui.

deret, inter illud gaudium repentè mortuus est. Diagoras etiam, vt refert Gell. lib. 3. cap. 15. qui tres filios adolescentes habuit, vnum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem, eosq; oēs vidit vincere, coronariq; eodem olympiæ die, & cum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suauiaretur, cumq; populus gratulabundus flores vndique in eum iaceret, ibi in stadio inspectante populo, in oculis atq; manibus filiorum animam efflauit. Plinius quoq; lib. 7. cap. 53. Chilonē, Sophoclem, & Dionysium Siciliæ tyrannum, prægaudio obijsse testatur. Valerius deniq; Maximus, lib. 9. cap. 12. de mortibus non vulgaribus, præ gaudio mortuas esse duas mulieres scribit, quarum vna nunciata clade, quæ ad Thrasimenum lacum inciderat, sospiti filio ad ipsam portam facta obuia, complexu eius expirauit. Altera cum mœsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Pudore præterea immenso nonnullos mortuos esse, literis mandatum est. Plinius nanq; loco iam citato, Diodorum sapientiæ dialecticæ professorē, lusoria quæstione non protinus ad interrogationes Stilbonis dissoluta, pudore mortuum esse testatur. Ita Valerius, eodem quo antea loco, Homerum, quia quæstionem à piscatoribus propositam soluere non potuit, pudore absumptum tradit. Quum itaq; tanta sit perturbationum animi vis, non debent temerè à medico negligi, imò huic conandum vnice erit, vt illas pro virili sua corrigat. Quæ quidem hoc etiā nomine sunt cōsiderandæ, quod ex eis futuros morbos prædicere, aut iam præsentes dignoscere liceat. Si enim timor & mœstitia longo tempore habentes perse

Præ pudore mortui.

6. aph. 23.

uerent, Hippocrate autore, ex eo atra bilis significatur. Quapropter rectissime alibi ab Hippocrate sic præceptum est: Animi perturbationes perpendẽdæ, num scilicet ipse sua sponte sine instrumentis & causis tristetur, lætetur, timeat, cõfidat, speret, disperetq;. Hęc de animi perturbationibus dixisse satis sit.

6. Epid. par. 8. aph. 18.

De rerum præter naturam numero.

Cap. XXII.

Secundo iam ordine, qui fuit earum rerum quæ corpus nostrum alterare possunt, absoluto, ad tertium, qui eas res continet quæ ex diametro naturæ nostræ aduersantur progrediemur. Vocant autem medici recentiores eas res præter naturam. Galenus lib. 1. therap. methodi, nominat affectus præter naturam, voce nimirum affectus generatim sumpta, pro rebus quæ corpus nostrum quomodolibet præter naturam afficere possunt, Sic sanè in vniuersum tres sunt affectus præter naturam, videlicet,

Affectus bifariam accipitur. Generatim.

1 Causa, qui morbum præcedit.
2 Morbus, à quo primum vitiatur actio.
3 Syptoma qui morbum sequitur.

Causa. Morbus. Symptoma.

Ea vero medicinæ pars quę causas & symptomata inquirit, vt capite quinto diximus, αἰτιολογικὴ καὶ παθολογικὴ Græcis appellatur. pathos autem est omnis alteratio circa materiam, aut motus qui adhuc fit. Vel breuissime, motus rei quæ afficitur. Proinde pathos non habet suam essentiã nisi dum conuertitur, mutatur, alteratur, mouetur: ideoq; ab affectu speciatim sumpto differt, q nihil aliud est, nisi alteratio in re quæ perpessa est permanens. Affectus itaq; in subiecto corpore & permanet & seruatur. Hoc modo morbus & causa, &

παθολογικὴ. Pathos. Speciatim.

ea duntaxat symptomata quæ affectus sunt nostri corporis, vt vitiosus color, affectus dicuntur. Eadem tamen symptomata, pathe etiam vocantur. Reliqua vero q̃ actionum noxæ sunt vel immodicæ inanitiones, aut retentiores, pathe duntaxat, & non affectus appellantur, quod non sint res cõstantes & permanentes, sed essentiam suam dum adhuc fiunt obtineant, vt copiosius docet Galenus in lib. de sympt. mat. differ. & 2. ther. meth. Erit autem hoc loco animaduertẽdum, bifariam, aliquid pati. Primo, cum per se patitur, vt si intestina ob exulcerationem ab acribus humoribus in ijs excitatam dolent. Græci ἰδιοπάθειαν, hoc est, proprium pathos nominant. Sunt qui etiam πρωτοπάθειαν, id est, primarium pathos, sed minus proprie vocant. Secundo, quum ab altero patitur, vt si vitiosi uapores, vel ipsi quoque humores à ventriculo sursum ad caput feruntur. Græci συμπάθειαν, id est, pathos per consensum appellant, vt fusius Galenus lib. 1. de patientib. locis monstrat.

Proprium pathos.

Pathos per cõsensum.

De causis morborum. Cap. XXIII.

Causa quid.

CAusa morbi est affectus præter naturam morbum præcedens, eumq; excitans. Per hunc verò affectum suapte ratione, per se, & primo, non læditur actio, sed ex accidenti, vel secundo, interueniente nimirum morbo, vt sequenti dicemus capite. Est autem causa morbifica, Galeno in libr. de morborum causis, & libro primo ther. meth. & libr. 2. commentariorum in librum Hippocr. de natura humana teste, duplex: una quidem externa, sic dicta quod extrinsecus adueniat, nec intra corpus animalis consistat, veluti frigus, aut scorpio pungens, Græci προκαταρκτικὴν

Duæ tantũ causæ morbificæ.

Externa.

καὶ προκαταρκτικὰ ἔχοντα nominant, vulgus vero medicorum primitiuam. Altera interna, quæ quidem in ipso animalis corpore consistit, vt sunt humores præter naturam affecti. Hanc Græci προηγουμένην, Latini vero antecedentem & præcedentem vocant. Præter has duas causas, ex Galeni sententia, nulla est alia causa morbifica, vt necesse sit non parũ aberrare nostræ ætatis medicos, qui hunc, perinde atq; Auicennam, ac alios quosdam methodicorum sectantes opinionem, causam coniunctam statuere in morbis arbitrantur. Nã cũ morbus, definitione Galeni, nihil aliud sit nisi affectus præter naturam, à quo vitiatur actio, certe inter hunc & causam antecedentem nulla alia causa interuenire potest, vt diserte Galeni verba quæ habentur cap. 8 8. artis medicæ docent, quæ sunt eiusmodi: Iam factum atq; existentem morbum curare oportet: sed qui nondum quidem est, at futurus est, eum ne fiat ab illo qui est in corpore affectu prohibere conuenit. Prohibebitur aũt sublato affectu, à quo fieri consueuit. Talis vero affectus causa, præcedens siue antecedens nominatur. Hæc ille. Ex quibus sane verbis perspicuum fit omnibus, inter morbum & causam antecedentem nihil interuenire, vt hoc nomine nulla causa coniuncta morborum statui queat. Accedit quod sæpe morbi causa, verbi gratia putredo, quam tamen Auicenna & illum sequentes causam febris coniunctam esse falso dicunt, summoueatur, febre adhuc remanente, quod plane causæ coniunctæ aduersatur naturæ, quandoquidem ex illorum definitione talis sit, vt ea summota, morbus etiam tollatur. Quare hoc etiam nomine in morbis nulla causa cõiuncta esse potest, vt fusius lib. 2. c. 1. no-

Interna.

Galeno nulla in morbis causa coniuncta.

ſtrorum paradoxorum, & in confutatione diale-xeos quartæ lib. 2. Montui, demonſtrauimus. Cur vero nonnulli medicorum cauſam coniunctã in morbis eſſe ſtatuant, hæc haud dubie eſt ratio, quod ipſi non ſecus quàm methodici, morbũ nõ quidem affectũ ipſum à quo primo vitiatur actio, ſed ipſam planè actionem læſam, quam tamen nos cum Galeno inter ſymptomata connumeramus, eſſe dicunt. Quapropter cum actiones, vt teſtatur Galenus libr. 2. ther. meth. in ipſo fieri eſſentiam ſuam poſſideant, neceſſe eſt vt cauſas coniunctas habeant, à quibus ſic pendeat, vt ijs præſentibus, ſint & ipſæ præſentes, & illis amotis, hæ etiã amo ueantur. Galenus vero qui actionem vitiatam paſſim ſymptoma, & affectum à quo hæc procedit morbum eſſe ſtatuit, neceſſario cauſam coniunctã à morbis ſeparat: quod ni faceret, manifeſte ſibi ipſi pugnantia doceret. Et potuiſſet ſanè reprehẽſione carere Auicenna, niſi morbum eodem quo Galenus modo definire voluiſſet. Sed hęc de cauſa coniuncta pro cõpendij ratione ſufficiant: plura qui deſiderat, ex ijs locis q̃ paulo ſuprà citaui, muspetat. Cæterũ apud Hippocratem ſæpe concauſæ fit mentio, quæ talis eſt, vt etſi vi ſua non poſſit generare morbum, alteri tamen cohæret. Alio nomine adiutrix cauſa dicitur, & cum externa vel interna coincidit. Porro medicus in ſcrutandis morborum cauſis diligentia haud vulgari vtatur, et primum quidem, quemadmodum copioſe Galenus in lib. de cauſis morborum docet, cauſas ſimplicium morborum in partibus ſimilaribus euenientium, calidorum, frigidorum, humidorum & ſiccorum inquirat. Dein compoſitorum earundem partium, calidorum & ſiccorum, cali-

Quare nonnulli cauſam coniunctã in morbis ſtatuerint.

Concauſa.

Scrutandæ medico morborũ cauſæ.

dorum & humidorum, frigidorum & siccorum, frigidorum & humidorum, cum affluxu, & citra affluxum materiæ. Post hæc causas etiam simplicium morborum in partibus duntaxat instrumentalibus accidentium conformationis nimirum, numeri, indecētis magnitudinis & cōpositionis perquirat. Neq; causas compositorum morborum in iisdem partibus euenientium negligat. His addat causas morborum eorum qui tam similarium q̄ instrumentalium partium cōmunes sunt id quod facile tabularum nostrarum, quas in hunc de causis morborum edidimus librum, ope & auxilio consequetur studiosus. Ad præsens autem institutum secunda illi proderit tabula. Hic admonendi studiosi nobis erunt, vt morborum causas ex nullo alio quàm Galeno, & qui hunc secuti sunt, Aëtio & Paulo, discant. Galenus tamē, vt qui methodo, sicut alia omnia, eas tradidit, merito his ipsis, & omnib. aliis præferendus erit. Practicarum, vt vocāt, scriptores, vt qui parum accurate ac in re versati sunt, longum valere iubebunt.

Causæ morborum ex Galeno discendæ.

De morbis. Cap. XXIIII.

Morbus quid.

Morbus est affectus præter naturam, à quo primum vitiatur actio. Proinde à causa differt, quod hæc, vt capite præcedenti comprehensum est, etsi affectus præter naturam sit, actionem tamen non primum aut per se, sed interueniente morbo vitiat. In vniuersum vero tria sunt prima morborum genera: vnum quod in similaribus, alterum quod in instrumentariis, tertium quod in vtrisque partibus cōsistit. Quod in similaribus fit, Græcis νοσῶδης δυσκρασία, Latinis vero intemperies dicitur morbosa. Hęc euenit vbi qualitates primæ, seu elementa ipsa, a na-

Morborum prima genera tria

Intemperies morbosa.

turali symmetria commoderatione'ue deflectunt. Non autem ab re adiectum est morbosa, duplex enim existit intemperies, Galen.libr. 1. de temp. teste: alia enim est naturalis seu sanitatis, & alia morbi. Sanitatis siue naturalis, est quæ à media temperie paululũ abest, vel in qua nulla functio animalis adhuc manifeste læditur. Hinc perspicuum fit, sanitatis esse latitudinem quandam. Si enim sanus quispiam imbecillius quàm alius secũda valetudine præditus functiones obeat, nondũ vero læsas obtineat, intemperantior sanè est, sed nondũ ægrotat. Quod si vero ex sanis alios temperatos, alios intemperatos statuere cuipiam non placet, is alterum duorum fateri cogetur, vel oẽs semper ægrotare, vel vnam esse omnium intemperiem, quod vtrunque absurdum ac falsum est. Quapropter non absoluta ipsa tantum, & quæ infectilis est, simul est & dicitur sanitas, sed etiã quæ ab hac deficit, modo tamen vsibus nostris adhuc non sit inepta. Et nisi sic de sanitate statuamus, καχεξίαν, id est, perpetuam inualetudinem inuehemus, quemadmodũ copiose, Gal. lib. 1. de tuenda valetudine, & in lib. de constit. artis medicæ, & cap. 8. artis medicæ, demonstrat. Intemperies morbosa, est quum animal intemperamenti vitio ægrotat. Et hæc quidem duplex est, æqualis scilicet, & inæqualis. Aequalis est, quæ in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter inest. Talis quidem intemperies hectica febris est: omnes enim solidæ corporis particulæ æque excalfactę sunt. Hęc sanè doloris expers est: neq; enim sentitur is calor, omnibus partibus corporis æqualiter percalfactis. Inæqualis est, quæ non in omnibus intemperanter affecti corporis partibus

Duplex Intemperies.

Naturalis.

Sanitas habet latitudinem.

καχεξία

Intemperies morbosa.

Aequalis.

Inæqualis.

æqualiter ineſt. Hæc alias in toto animalis corpore fit, veluti in ea hydropis ſpecie, quàm Græci ἀνασάρκαν vocant, & febribus ijs quas Epialas appellãt, fereq́; reliquis omnibus, exceptis hecticis. Incidit autem & vnaqualibet parte, quum ea tumore aliquo præter naturã laborat, aut ſupra modum vel calefit, vel frigeſit, vel ſiccatur, vel humecta redditur. Hinc conſtat inæqualem intemperiem eſſe duplicem. Vnam quidem in qua alteratio eſt ſolius qualitatis, vt vſtio ſolis. Alteram in qua cum qualitatibus materiæ affluxus exiſtit, vt accidit in phlegmone. Primam noſtri temporis medici intemperiem ſine materia, alteram cũ materia vocant. Prę̨terea intemperierum vna quidem ſimplex, vbi vna ſcilicet qualitas duntaxat à modo naturæ receſſit. Altera compoſita, vbi complures qualitates à naturali habitu & ſymmetria aberrant, vt ſi totum corpus, aut particula aliqua ſimul calefit & refrigeratur. Sed de primo genere morbi ſatis multa: plura tamen qui deſiderat, libellum Galeni de inæquali intemperie conſulat. Alterum morbi genus quod in inſtrumentalibus duntaxat partibus conſiſtit, mala conſtitutio ſeu compoſitio appellatur. Barbari morbum officialem vocant. Sunt autem morbi inſtrumentalium partium duplices. Aliqui enim ſimplices, & hi numero quatuor ſunt. Vnus enim in conformatione indecenti ſpectatur, alter in particularũ numero, tertius in magnitudine ſeu quantitate cuiuſq; obſeruatur, & quartus in compoſitione. Porro conformationis morbus accidit ob indecentem figuram connatam vel aduentitiam, concauitatem immodice patentem, aut obſtructam, item aſperitatem aut leuitatem partium. Numeri,

Intemperies inæqualis nudæ qualitatis.

Intemperies ſimplex.

Compoſita.

Morbi partiũ inſtrumẽtaliũ.

quum partes vel abundant, vel deficiunt. Magnitudinis, propter diminutionem, aut auctionem cõnatam, vel aduentitiam partium. Compositionis, quũ vel positura seu situs partium à naturali euariat, vel earundem cõsensus à natura recedit. Aliqui autem compositi, quum scilicet complures ex iam dictis particulam aliquam corporis simul infestant. Tertium morbi genus quod similaribus & instrumentalibus commune est, solutio vnitatis seu continuitatis dicitur. Quod, vt alia duo, etiam simplex & cõpositum existit. Simplicis quidem quinq; præcipuæ sunt differentiæ. Quæ enim in ligamentis fit, Græcis ἀπόσπασμα, Latinis auulsio vel diuulsio nominatur. Quę vero in carnosa parte, Græcè ἕλκος, Latine vlcus: quæ in osse, κάταγμα Græcis, fractura Latinis: quæ in neruis, σπάσμα, Græce, conuulsio Latine: in carnosis vero partibus vbi accidit, ῥῆγμα Græcis, ruptio Latinis nuncupatur. Præterea iam commemorati morbi aliquando compositi sunt, vbi scilicet alijs copulantur: quorũ omnium exempla ex tabula nostra prima, aut ex lib. Galeni de differentijs morboꝶ petes. Hactenus tria prima morboꝶ genera explicauimus, ex quibus nonnulli sunt peracuti, nõnulli acuti, aliqui vero lõgi. Peracuti morbi. Gal. lib. 1. aph. com. 7. autore, sunt q circa primos quatuor dies, vel paulo vlterius in summo vigore consistunt. Acuti duplices sunt: quidã enim acuti simpliciter, qui scilicet in quatuordecim diebus integre iudicantur: sic nanq; definit Hippocrates in aphor. dicens: Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Alii acuti ἐκ μεταπτώσεως, hoc est, ex degeneratione mutatione'ue à specie ĩ speciẽ, quos interpretes nonnulli ex decidentia vocant.

Solutio vnionis.
ἀπόσπασμα. Diuulsio.
Vlcus.
Fractura.
Conuulsio.
Ruptio.
Morbus peracutus.
Acutus simpliciter.
2. aph. 23.
Ex decidentia.

Hippoc. in prog. morbos acutos qui in quadraginta diebus iudicantur, nominauit: ibidem enim sic scriptum reliquit: Facilis spiratio in acutis morbis quib. febris copulatur, quiq; intra XL. dies finiri solent, magnum habet ad salutem momentum. Longi & diuturni sunt quicunq; acutorum terminum transcendunt. Cæterum vt acuti & breues morbi à calidis humoribus, sanguine nimirū & flaua bile magna ex parte oriuntur: sic diuturni à frigidis, pituita & atra bile. Id quod Hippocrates ijs verbis latenter innuere voluit: In Cranone antiqui dolores frigidi, noui vero calidi. Hæc generatim de morbis dixisse in præsentia satis sit. Reliquum est vt particulatim vniuscuiusq; morbi & passionis nomen explicemus, quo nimirum tyrones medicinæ facilius Galeni, & aliorum Græcorū scripta assequi possint. Solent enim plerique, qui non admodum periti sunt, in iis hærere: quorum certe ignorationi vt consulamus, hoc in loco necessum est. Ordiemur autem à febribus.

Longus

6. Epid. par. 1. aph. 7.

Febrium explicatio. Cap. XXV.

Febris quid.

FEbris est calor prçter naturam, qui à corde initium sumens, per arterias & venas in vniuersum corpus diffunditur atq; actiones eiusdem lædit. Nam quantumuis homo nunc quàm antea calidior sit, nondum tamen febricitat, nisi calor immodice auctus hominem offendat, & actionem lædat. Porro vt tria sunt quæ, Hippocrate autore, corpus nostrum constituunt, continentia scilicet, contenta, & impetum facientia, hoc est, solidæ partes, humores & spiritus: sic etiam tria sunt prima simplicium febrium genera. Si enim in spiritibus immodicus calor accenditur, ἐφήμερα Græcis, Latinis vero diaria vocata febris fieri so-

6. Epid. par. 8. aph. 8.

Tria prima febriū simpliciū genera.

let. Hæc sanè similis est vento calido vtri inclu- ἐφήμερα
so: vt enim ille calefacit utrem cui includitur, sic Diaria.
etiam spiritus plus iusto calefactus uniuersum corpus. Est autem huius primi generis febrium unica accessio, uno plurimum die, ex ipsius saltē natura circunscripta, unde etiam diaria nominata est. Desistunt enim post primam accessionem, si quis eas rectè tractet. Animaduertendum tamen esse etiam diarias febres quæ in tertium usque diē extenduntur, ut sunt quæ ex densatione meatuum oriuntur. Etsi enim de substātia ipsa talium febriū diariæ vocabulum non sit, tamen quia conuenienti nomine carent, clarioris simul breuiorisq; doctrinæ gratia, non obstante quod nomen aduersetur, cum natura his eadē quæ alijs diarijs sit, diariæ rectissime nominantur, quemadmodū copiosius Gal. lib. 9. ther. cap. 1. ostendit. Hinc constat Diaria duplex.
duplicē esse diariam: vnā quę simpliciter & sine Simplex.
adiectione nominatur diaria, quæ scilicet vltra vnius diei naturalis spacium, hoc est vigintiquatuor horas, haud extenditur. Alterā quæ cū adie Pluriū dierū.
ctione diaria plurium dieꝝ nominatur: alio nomine Gal. synochus non putrida dicitur. Febriū ge Putrida.
nus secundū fit dū in humorib. calor immodicus succenditur: & vocatur putrida, non alio sanè nomine, q̄ quod in ea humores putrescūt. Est similis aquę calidæ: vt enim hæc vas frigidū cui infunditur calefacit, ita etiā humores præter naturā calefacti, corpus. Putrescūt aūt humores vel intra vel extra vasa. Si intra vasa tum vel omnes simul, aut vnus dūtaxat putrescit. Quod si in omnibus vasis, ac potissimum maximis, æquabiliter humores putrescunt: fit synocha seu cōtinens putrida. Quod vt rectius assequantur studiosi, sciendū primum

συνεχὴς. σύνεχον Græcos medicos febrem appellare eam, in qua vna accessio ab initio ad finē perpetuo manens, in multos dies porrigitur. Vel est quæ omni mutatione magna vsq; ad iudicationē caret. Hæc Latinis cōtinens dici pot est. Cæterum etsi vna sit idea eiusmodi febrium, à qua synochos eas nominant, natura tamē earundē minime simplex vnaq; est. Quędam nanq; earum manifestam habent putredinis notam: quidem vero prorsus non habēt, quas ex diariarum febrium genere esse paulo ante diximus. Nos dilucidioris doctrinę gratia priores synochos putridas, posteriores non putridas nominauimus. Neque enim imitandi sunt in loco barbari, qui hanc synocham, illam vero synochum appellant, cum Græci. Galenus lib. 9. ther. meth. teste, sub synochi nomine vtrasq; complexi sint. Earum autem febrium quæ synochi nominantur, tres sunt differentiæ. Nam quædam illarum à principio ad finem æquali magnitudine ac vehementia perdurant: has Græci ὁμοτόνους καὶ ἀκμαστικοὺς, hoc est in eodem vigore permanentes, vocant. Quædam autem semper augentur, & exiguū aliquid adijciunt, eas Græci ἀναβατικοὺς καὶ ἐπακμαστικοὺς, id est, incrementum suscipientes aut inualescentes appellant. Aliæ paulatim diminuū tur ac decrescunt: has παρακμαστικοὺς, hoc est, decrescentes Græci nuncupant. Porrò si intra vasa vnus duntaxat humor putrescit, febrem accendit quæ Græcis συνεχὴς, Latinis vero continua nominatur. Ea autem est quæ non desinit ad infebricitationem, remissionem tamen in singulis accessionibus obtinet. Vnde perspicuum fit σύνεχον καὶ συνεχῆ, hoc est, continentem & continuam febrē inter se differre. Siquidē in synocho nulla

Cōtinēs febris.

Synochus duplex. Putrida. Non putrida.

Synochorum tres differētiæ.

συνεχὺς. Continua febris quæ.

σύνεχον & συνεχὺς differunt.

fit remissio feruoris: synechys autem in singulis accessionibus remissionem sensilem obtinet. Item synochus vnicam duntaxat accessionem habet, synechys vero plures. In eo autem conueniunt, quod neutra illarum ad infebricitationem peruenit: id quod copiosius lib. 2. de crisib. cap. 6. explicat Gal. Quapropter vt Græci medici hanc statuerent differentiam, solœcismum cōmittere potius voluerunt, quàm formam ipsarum febriū sine nomine relinquere: grçcè enim dicendum fuisset simpliciter συνεχὺς πυρετὸς, & nequaquam σύνοχος, veluti Gal. etiam lib. 9. ther. meth. iudicauit. Porro febrium quæ συνεχεῖς siue cōtinuæ dicuntur, tres sunt species. Si enim flaua bilis intra vasa putrescit, tertianam continuam, seu ardentem febrē, quæ alio nomine Græcis dicitur καῦσος, efficit. Si vero pituita putrescit intra vasa, quotidiana continua generatur. Sin atra bilis, quartana continua nascitur. Habent autem continuæ febres idem genus cum singulis intermittentibus, de quibus statim dicemus. Tertiana nimirum continua cū tertiana exquisita intermittente, ꝙ perinde atq; illa tertio quoq; die accessionem obtinet. Quotidiana continua cum quotidiana exquisita, ꝙ scilicet singulis dieb. accessionem faciat. Quartana continua cum quartana intermittente, quia quarto quouis die accessionem habeat. Differunt tamen ab inuicem, non obstāte quod eo qui vtrasq; facit humore communicent, duplici ratione. Primo, quod in continuis humor intra venas continetur: in intermittentib. vero per singulas corporis partes dispergitur, quo fit vt delationis impetu ipsæ per seipsas expurgentur. Hinc altera ratione distant, quod scilicet intermittentes ad infebricitationē,

Continuarum tres species.
Tertiana cōtinua vel ardens
Quotidiana continua.
Quartana continua.
Continuæ idē genus obtinēt cum intermittentibus.
Continuarū & intermittentiū differentia.

continuæ vero minime desinant. Hactenus qualia genera febrium excitent humores intra vasa putrescentes commemorauimus, iam quas febres humores extra vasa putrescentes accendant exponemus. Si itaq; extra vasa putrescit humor, intermittens suscitatur febris, quæ quidem sic dicta est, quod eius accessio non perpetuo duret, sed remissionem habeat, & ad infebricitationem desinat. Latinis commodissima voce interpolata dici potest, quod nimirum suo tempore accessiones repetat ac renouet. Alii deficientem nominant.

Febris intermittens.

Interpolata.

Deficiens.

Huius autem tres sunt omnes differentiæ, tertiana, quotidiana & quartana. Tertiana exquisita fit cũ flaua bilis extra vasa putrescit: sic dicta, quod vnum diem intermittat, & tertio redeat. Quotidiana exquisita, quam Græci ἀμφιμέρινον nominant, fit pituita dulci extra vasa putrescente: & sic appellata est, quod singulis diebus reuertatur. Non autem temerè adiecimus dulcis pituita: si enim vitrea modice putrescat, febrem epialon appellatam inducit. Est autem epialos febris, in qua simul febricitant & rigent, atque eodem tempore in omnibus corporis partibus vtrunque, calorem nempe & frigus immodicum sentiunt. Sic autem dicta est Græcis, Paulo, libro secundo, cap. 28. teste, παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν, ὅπερ ἐστὶ θερμαίνειν, hoc est, quod blande & leniter calefaciat. De hac febre plura Galenus libro secundo de differ. feb. cap. 6. & Paulus loco iam citato scribunt. Ex prædictæ numero est ea febris quæ lipyria vocatur. In ea siquidem intus & in ipsis visceribus calor sentitur: in externis partibus vero vniuersis frigus. Quartana intermittens ab atra bile extra vasa putrescẽte oritur. Sic nominata est, quod duos

Tertiana intermittens exquisita.

Quotidiana exquisita.

ἀμφιμέρινος.

Epialos.

ἠπίαλος cur dicta.

λειπυρία.

Quartana intermittens.

intermittat dies,& quarto reuertatur. Genus febrium tertium fit quando calor in solidis corporis humani partibus accenditur,& vocatur hectica Græcis & Latinis. Hæc quidem assimilis est vasi calido: quemadmodum enim hoc aquam quæ infunditur calefacit,ita etiam hectica quæ in solidis partibus hæret,illisq; infixa est, omnes corporis humores calefacere valet. Quod si febris illa sic increuerit vt vniuersum corpus, omnesq; solidas eiusdem partes colliquet atq; consumat,tum hectica marasmodes,& simpliciter marasmus nũcupatur: & hæc sanè omnem curationem, Galeno etiam lib. 10 ther.meth.teste respuit. Nam etsi calorem quispiam extinxerit, attamen siccitas quæ relinquitur senectutis ritu hominem conficiet. Præter iam recitatas à nobis febres, est etiam alia quæ pestilentialis dicta est,quod scilicet ab inspiratione pestilentis aëris fiat. Verum cum hęc,teste Galeno lib. 1. de differ.febr.cap.5.ex putredine ortum habeat, circunstans enim aër à putrescibili euaporatione vitiatus, humores etiã corporis putrescere facit, sub putrida complecti potest. Porro non prętereundum erit hoc loco,quod febriũ aliquę fiunt citra alicuius partis corporis passionem,aliquę vero ab inflammationem cuiuspiã partis accenduntur. Quapropter vt priores sua sortiũtur nomina, vt ex ijs quę diximus patuit, sic etiam posteriores suas ac proprias appellationes accipiunt. Ea enim quæ ex membranæ succingentis costas inflammatione oritur, pleuritica: quæ ex pulmonis, peripneumonica: quæ ex pulmonis, vẽtriculi, aut iecoris erysipelatibus accidit, τυφώδης hoc est, succendens nominatur, Aëtio lib. 5. cap. 81. autore Galeno lib. 2. de crisib. cap. 7. καυσώ-

Hectica febris.

Marasmus.

Pestilentialis febris.

Febris ex inflammatione partis notæ.

Typhodes.

θης κοινὸς, appellatur. Eadem ratione omnes aliæ febres quæ ex inflammatione partium nascuntur, iuxta partis diuersitatem, diuersas etiam appellationes obtinent. Quare diligẽter in singulis ægrotantibus febres quæ sine partium sunt passione, ab ijs quæ ex earundem inflammatione oriũtur, discernendę sunt, veluti loco iam citato fusius docet Galenus. Ex prædictis quoq; febribus aliquæ sunt typicæ, aliquæ vero errabundæ seu inordinatę. Typicę sunt in quibus accessio & remissio statis vicibus accidunt. Erraticæ iam dictis planè contrarię sunt, neq; enim statum tempus, neq; vllum ordinem accessionum & remissionum seruant, sicut sunt hæ quę ex atra bile, quę in quibusdam partibus mouetur, in quibusdã immota manet, in alijs putrescit, aut feruere incipit, Galeno lib. 3. prog. cóm. 19. teste, oriuntur. Hactenus simplicium febrium genera connumerauimus, restat igitur vt compositas & mixtas breuiter explicemus. Compositæ itaq; febres bifariam fiunt. Primum, quia hæ febres quas diximus, nempe tertiana, quotidiana, & quartana, citra alicuius partis passionem inuicem miscentur. Secundo, quia hæ febres quę ob partium inflammationem accendũtur, mixtionem accipiunt. Quæ citra alicuius partis inflammationem consistunt febres, aliquando complicantur, aliquando vero in totum confunduntur. Complicationem Gręci ἐπιπλοκὴν, confusionem autem κρᾶσιν nominãt. Est autem ἐπιπλοκὴ, Galeno lib. 1. de differ. feb. cap. 8. autore, quando horis diuersis inuadunt. κρᾶσις vero seu cõfusio, quando eodem incipiunt tempore. Cæterum febris tertianę & quotidianę quatuor sunt complicationes, eodẽ Galeno lib. 2. de differ. feb. cap. 7. & lib. 1.

Typicæ febres.

Erraticæ.

Compositarum febriũ genera.

Complicatio. ἐπιπλοκή.

κρᾶσις. Confusio.

Tertianæ & quotidianæ cõplicationes.

& lib. 2. de crisib. ca. 9. teste. Vna quidē, quando ter
tiana & quotidiana cōmiscentur. Altera, quū ter
tiana intermittens quotidianæ cōtinuæ cōiungi-
tur. Hæc peculiari nomine Græcis ἡμιτριταῖος vo Hemitritæus.
cat, quod scilicet tota eius natura, dimidia parte
alterutram prædictarum febrium habeat. Tertia,
quādo quotidiana intermittens tertianę cōtinuę
miscetur. Quarta, vbi quotidiana, cōtinua, tertia-
næ cōtinuę cōiungitur. Quid multa? febres eius
dē generis, cum alijs eiusdē generis cōplicantur,
vt cōtinuę cū continuis, intermittentes cum inter
mittentibus. Item eiusdem speciei febres, cū aliis
eiusdē speciei, vt tertiana cum alia tertiana, quar
tana vna cū alia quartana. Accidit vero vt nōnū
quam etiā differentes specie copulentur, vt quo-
tidiana tertianę, & huic quartana. Quādoq; autē
vt differētes genere, sicuti accidit vbi intermittēs
cū continua miscetur. Eadē præterea ratione fe-
bres quæ ex partiū inflāmatione oriuntur, inter-
dū miscentur, vt si partes diuersæ propriā singu-
læ febrē accēdant, aut affectus vnde oriunt mixti
fuerint, veluti in inflammatione erysipelatode, vt
copiosissime locis antea citatis Galenus monstrat.
Quū itaq; multifariā cōponantur febres, accurata
diligentia medicinę studiosis primum simplicium
species perdiscēdę erunt, quod nisi illas exquisite te
neant, fieri haud possit vt vnquam cōpositas pro
bè assequant. Quare cum earundē notio difficili
ma admodū sit, sic vt nō raro in ijs dijudicādis
periti etiā medici fallant, notæ quibus ille depre
hēdunt summo studio ex Galeno, quo nemo vn-
quā hanc rē exactius docuit, petenda erunt. Nos
vt studiosorum memoriā iuuaremus, febrium simpli
ciū genera sequenti schemate cōplecti voluimus.

Febrium ſim/pliciũ tria ſunt prima genera. Vel enim calor præter natur.i accenditur in

- Spiritibus,& fit ephemera ſeu diaria, quæ quidem duplex eſt, ſcilicet
  - Simpliciter ephemera, ſeu diaria dicta.
  - Diaria plurium dierũ. Alio nomine ſy/nochus non putrida vocatur.
- Humoribus, fit putrida. Putreſcunt autem bifariam, vel
  - Intra vaſa, idq; bifariam, vel enim
    - Omnes æquabiliter putreſcunt, & fit ſynochus putrida.
    - Vnus tantum, & ſic erit cõti/nua. Sic enim putreſcit,
      - Bilis flaua, fit tertia/na continua; vel ardens dicta fe/bris.
      - Pituita, quotidiana continua.
      - Atra bilis, quartana continua.
  - Extra vaſa, & fit intermit/tens. Si enim putreſcit
    - Flaua bilis, fit tertiana intermittens. } exquiſita.
    - Pituita
      - Dulcis, quoti/diana inter/mittens. } exquiſita.
      - Vitrea, oritur epialos.
    - Atra bilis, quartana intermittens.
- Solidis, fit qui/dem vel
  - Hectica.
  - Maraſmos.

Passionum capitis explicatio.

Cap. XXVI.

Alopecia. Ἀλωπεκία passio fit, vbi in capite areas deciduus capillus efficit. Hanc Latini etiam, destituti propria voce, alopeciam appellant. Sic autem nominatam ferunt, quod vulpi, quæ ἀλώπηξ Græcis dicitur, frequenter accidat. Solet enim huic animali non raro pilus corrũpi. Ophiasis. ὀφίασις passio est quæ partem capitis læsam, serpentis modo, quæ Græcis ὄφις dicitur, glabram ostendit. In hoc enim malo tortuosis & obliquis spaciis partes capitis glabrescunt. Latini haud aliter quàm Græci ophiasin vocant. Arabicam & Barbarã sectantes medicinã, tyriam nominãt. Tyria. Tyri enim voce, cẽs serpentes & potissimũ viperas intelligunt. πιτυρίασις est tenuium ac furfuracearum squamularum ex capitis superficie, citra vlceratione͂, resolutio: πιτυρίασις. Latinis porrigo, barbaris vero medicis furfur dicitur. Porrigo. ψυδράκια exiles sunt eminentiæ & excrescentiæ, pustulis similes, in summa capitis cutis superficie erũpentes. ψυδράκια. Latini perinde atque Græci psydracia nominant. Psydracia. ἐξανθήματα capitis cutis sunt exulcerationes subrubicundę & asperæ. Exanthemata capitis. ἀχὼρ malum est tenuibus admodũ foraminib. capitis cutẽ perforans, è quibus glutinosa sanies excernitur. ἀχώρ. Hoc mali genus, qđ in pueris plerunq; fit, nostra ætas à tineæ in vestibus similitudine, tineã capitis appellat: vt enim ille multo, eoq; tenui morsu & erosione vestes pforant, sic capitis cutẽ vlcera hęc. Interpretes Latini passim ἀχῶρας, manãtia capitis vlcera cõuertunt. Manantia capitis ulcera. Auicenna Saphatũ vocat. Simile huic figura & aspectu malũ est quod Græcis κηρίον, Latinis vero fauus nuncupatur: κηρίον. maiora tantũ foramina habens, in quibus humor melli si- Fauus.

milis continetur, haud secus quàm in fauis apũ, vnde nomen etiam sortitum est. συκα καὶ συκωσεις tubercula sunt vlcerosa, rotunda, subdura, rubicunda, quæ dolor etiam comitatur. Fit hoc malum magna ex parte in capite, sed & reliquo etiã corpore. Latini ficum appellant. φθειρίασις pediculorum est generatio, Latinis morbus pedicularis dicitur. σειρίασις, Paulo libro secundo cap. decimotertio autore, inflammatio est partium quæ circa cerebrum & eius membranas sunt, infantibusq; accidit. κεφαλαλγία Latinis dolorem capitis sonat, eum potissimum qui non inueteratus est, non curando an per se accidat, aut alterius affectus symptoma sit. Barbaram sectantes medicinã, sodam nominant. κεφαλαία, diuturnus & ægrè cedens capitis dolor Græcis medicis appellatur. ἔγκαυσις est calor circa caput perseuerans, ex solæ æstiuo factus. Latini ardorem & vstionem vocant. ἡμικρανία est dolorifica passio quæ in altera dunta at capitis parte, aliquando dextra, aliquãdo sinistra consistens, iuxta suturam secundum longitudinem eius extensam, terminatur σκότωμα malum est in quo obtenebrationes hebetudinesq; oculis obuersantur, & omnia circumagi & rotari videntur. Latinis vertigo dicitur. φρένιτις est cerebri, aut membranarum eius inflammatio. παραφροσύνη desipientiæ est quæ ob consensum cerebri accidit. Latinis delirium nominatur. λήθαργος passio est phrenitidi contraria, siquidem in ea marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas. Sic dicta, quod ea correptis omnium rerum obliuio accidat. κάρος malũ est quod sensuum vniuersarumq; motionum priuatio, spirandi facultate illæsa menente, consequitur.

Σῦκα. Ficus. φθειρίασις. Siriasis. κεφαλαλγία. Soda. κεφαλαία. ἔγκαυσις. Ardor. Hemicrania. σκότωμα. Vertigo. Phrenitis. παραφροσύνη. Delirium. Lethargus. Caros.

Arabibus & barbaris subet appellatur. κάτοχος, κατοχὴ καὶ κατάληψις est subita detentio & occupatio tum mentis, tum corporis sensu ad motu priuati, ægro in ea corporis forma & figura permanente in qua fuit correptus. Hinc est quod eo laborantes interdum dormire, interdum apertis palpebris persistere, atque vel nutare, vel intente oculis veluti congelatis & immobilibus spectare videntur. Latini detentionem & deprehensionem passionem hanc vocant. Iuniores vero, quia in ea sensuum in anima priuatio est, cum totius corporis, eorum quæ gelantur modo, concretione, congelationem nominant. ἐφιάλτης malum est vbi aliquis noctu grandi mole opprimi, inuadiq; ab alio se credit. A Themisone πνιγαλίων, à suffocando nimirum, nuncupatur, siquidem præfocari in ea ægrotantes videntnr. Latini incubum & incubonem nominant. ἐπιληψία conuulsio est totius corporis, non quidem perpetua, sed qui ex temporum interuallis accidit, cum mentis ac sensuum oblæsione. Latinis passio comitialis dicitur, quod hac correpti in comitijs maxime infestabantur, comitiaq; quo die aliquis concidisset, interrumpebantur, Alio nomine sacer morbus vocatur, propter grauitatem, quoniã homo eo correptus subito concidit. Græci enim sacrũ pro magno vsurpant, vt dum sacrum os & piscem pro magno dicunt. Vocatur etiam Herculeus quod Herculi nimirũ familiaris fuerit, vel quod vt Hercules immensus & magnus sit. Lunaticus quoque appellatur, quod eum qui interlunio natus est, hoc malum ferè pati compertum sit. Puerorum denique nominant morbum, quod illi quousque ad pubertatem accedant peculiaris

κατοχή. κατάληψις. Detentio. Congelatio. ἐφιάλτης. πνιγαλίων. Incubus. ἐπιληψία. Comitialis morbus. Sacer. Herculeus. Lunaticus. Puerorum.

ἀποπληξία. ἀποπληξία est passio in qua communi omnium neruorum principio patiente, omnes corporis particulæ motum & sensum simul amittunt. Vel est priuatio sensus & motus in vniuerso corpore, cum functionum à voluntatis imperio prodeuntium læsione, subito superueniens. Latini attonitum morbum vocant. παράλυσις est, vbi alterum latus aut dextrum aut sinistrum, sensum & motum perdit. Latini resolutionem nominant. παραπληγία autem, Galen. libro quarto vict. acut. comment. 23. teste, proprie ea dicitur resolutio, quæ sequitur apoplexiam. Proinde paralysis nomen generalius est quàm paraplegia, quod hæc solam eam quæ ex apoplexia fit, illa verò omnem resolutionem ex quacunque occasione factam, significet.

Attonitus morbus.

παράλυσις. Resolutio.

Paraplegia.

Melancholia. Mania. Insania. μελαγχολία desipientia est sine febre. μανία fit vbi flaua bilis supra modum exusta in nigram mutatur. Latinis insania dicitur. Hac correpti ferarum modo redduntur effrenes, vt etiam eos qui imprudentius illis occurrunt male tractent. Differt à phrenitide, quod in ea fit febris, mania enim citra febrem accidit.

λυκανθρωπία. λυκανθρωπία passio est qua correpti sese in lupos conuersos esse imaginantur. Proinde noctu domo egressi, lupos per omnia imitantur, & donec dies illucescat circa monumenta defunctorum vagantur, adeo vt minime fabulosum existat, veluti Plinius putat mutari in lupos homines.

Lib. 8. cap. 22.

ἐρωτικός. ἐρωτικὸς furor qui ex amore fit, perinde atque is qui ex Musis προτρεπτικὸς dicitur.

προτρεπτικός.

σπασμός. σπασμὸς est vbi nerui & musculi præter voluntatem conuelluntur, in eumq; affectum veniunt, quem in motibus secundum arbitrium factis assumpserunt. Latini conuulsionem vocant. Huius quidē tres sunt species. Vna quæ Græcis τέτανος dici-

Conuulsio.

τέτανος.

tur. & Latinis distensio. Cornel. tamen Celsus ri- *Distentio.*
gorem appellat. Fit quando ceruix vnà cum reli- *Rigor.*
quo corpore immobilis manet, & in neutram par-
tem inflectitur, sed iuxta in vtranq; recta inten-
ditur. Altera ἐμπροσθότονος nominatur, & fit cum ἐμπροσθότονος.
caput, ceruix, reliquum'que corpus in pectus cõ-
trahitur. Latinis tensio ad anteriora dici po-
test. Tertia ὀπισθότονος appellatur. Accidit quan- ὀπισθότονος.
do caput in scapulas conuellitur. Latine tensio ad
posteriora non inepte nuncupabitur. τρόμος est τρόμος.
passio quæ duobus perficitur motibus: vno, dum
cogitur pars ob morbum atque grauitatem ad in-
feriora repere: altero, dum sursum à facultate fer-
tur. κατάρροος καὶ κατάρρους est humoris ex ca- κατάρρους.
pite ad os fauces, Galeno libr. 3. de symptomat.
causis teste, delatio. Latini destillationem vocat.
κόρυζα dicitur dum ad nares humor decumbit. La- κόρυζα.
tini grauedinem nominant. βράγχος est vbi ad *Grauedo.*
guttur & asperam arteriam humor destillat. Lati- βράγχος.
nis raucedo nuncupatur. *Raucedo.*

Passionum oculi explicatio.

Cap. XXVII.

IN explicandis oculorum passionibus eum ob-
seruabimus ordinem, quem in tabella nostra
de *hisiphis* ædita, nos seruasse cernis. Pri-
mum siquidem eas quæ ad totum oculum, dein-
de autem quæ ad partes eius spectant, expone- *Oculi totius*
mus. Quæ itaque ad totum pertinent oculum hę *passiones.*
sunt. ἀτροφία est quæ totum oculum minorem de- ἀτροφία.
pressioremq. reddit. Celsus imminutum oculum
vocat lib. 6. Auicenna vero Fen. 3. cap. 3. profun-
ditatem oculi. ἐκπιεσμός contraria priori passio est: ἐκπιεσμός.
in ea enim sic exprimuntur oculi, vt exerti perse-
uerent. Latinis expressio oculi nominatur. Auic.

σκαρδαμυγμός. exitum oculi appellauit. σκαρδαμυγμὸς conuulsorius est musculorum oculi bulbum mouentium affectus, per quē aut sursum, aut deorsum, aut in obliquum torquentur oculi. Latinis distortio oculi, & obliquus aspectus, Auicennæ autem strabositas appellatur. Qui hoc malo laborant, Latinis quoque

Strabones. strabones nuncupantur. μυωπίασις ἢ μυωπία vitium

μυωπίασις. est per quod accidit, vt ab ineunte ætate pusilla

Lusciosi. quidem propè videantur, remota vero, etiamsi

νυκτάλωπία. magna fuerint, non item. Hoc correpti Latinis lusciosi dicuntur. νυκτάλωπα est malum quo quis interdiu quidem videt, sole subinde occidente obscurius, noctu vero penitus nihil. Latinis nocturna cæcitudo vocatur. Eo autem correpti nuscitiosi nominantur. ἀμβλυωπία est visus obscuritas, quæ Latinis hebetudo oculorum dicitur. ἐπιφορὰ proprie loquendo est omnium humorum ad oculos impetuosior influxus. Celsus pituitæ cursum seu impetum, vulgus autem medicorum lachrimam nominat. ῥῆξις est ruptura ab ictu, vel alia quapiā causa, in alto integras membranas secans, vt humores etiam quibus videndi facultas administratur, effundat. παράλυσις est vbi obliquæ motiones, & quæ sursum ac deorsum fiūt, expediri non possunt. Latinis oculi resolutio vocatur. Iam adnatæ nominatæ mēbranæ passiones explicabimus, quæ sunt eiusmodi. τάραξις est humiditas oculi cum rubore & calore præter naturam, non ex corpore, sed forinsecus adueniente causa aliqua, verbi gratia fumo, sole, puluere, aut oleo, oborta. Latinè perturbatio oculi, ab Auicenna conturbatio & vacillatio, item ophthalmia leuis, vel non vero nominatur. ὀφθαλμία est membranæ adnatæ inflāmatio, quæ Latinis lippitudo, Auicennæ vero vera vo-

Marginal notes: Nuscitiosi. — ἀμβλυωπία. — ἐπιφορά. — ῥῆξις. — παράλυσις. — Adnatæ membranæ passiōes. — τάραξις. — Perturbatio oculi. — ὀφθαλμία. — Lippitudo.

catur ophthalmia. χήμωσις est cũ vtraq; palpebra ex vehementi inflammatione distorquetur, vt vix oculos operiant, & albũ oculi nigro sublimius fit, & rubrum ac multam nigri partes occupat. Auic. alguardenegi appellat. πτερύγιον neruosa est adnatæ mẽbranæ eminẽtia, quæ ab angulo maiori quidem orta, ad coronam vsq;, seu irim oculi progreditur. Quando vero augetur, pupillam etiã obtegit. Celsus vnguem, barbari vero vngulam nominant. Quæ sequũtur corneæ passiones sunt. φλυκταίναι pustulæ sunt exiguæ, veluti quędam bullæ supra corneam eminentes, quales iis potissimum accidunt qui exanthematis affliguntur: sic dictæ ἀπὸ τοῦ φλύειν, hoc est, ab ebullitione & feruore. Celsus pustulas. Auicẽnæ interpres vesicas appellat. βόθριον cauum, angustum purumq; vlcus in cornea natum existit. Latini fossulam, Auic. vero annulum vocat. κοίλωμα vlcus est latius bothrio, sed minus altum, cauitas Latinis dici potest. Auicennę Lilimie. ἄργεμον vlcus est quod in iridis circulo nascitur, vndiquaq; occupans, sic vt circa exteriorem iridis partem rubicundum, circa vero internam album appareat. ἐπίκαυμα vlcus est sordidũ, impurum, & crustosum. Latinis non inepte inustio dicetur. Auicẽ. interpres vlcus adustiuum vocat. ἀχλὺς vlcus superficiarium est, quod in nigro oculi apparet cæruleum, caliginoso aëri simile, nigri maximã partem occupans. Latine caligo dicitur. νεφέλιον eiusdẽ generis vlcus est, sed caligine profundius & angustius, colore candicans, Latinis nubecula nuncupatur. πύωσις καὶ ὑπόπυος fit, quãdo pus sub cornea nunc altius, nunc in summa superficie colligitur, humani vnguis specie. Hinc est quod idem malum Græcis ὄνυξ etiam nominetur.

Marginal notes: χήμωσις. πτερύγιον. Vnguis. Corneæ passiones. φλυκταίναι. βόθριον. Fossula. κοίλωμα. ἄργεμον. ἐπίκαυμα. ἀχλὺς. Caligo. νεφέλιον. Nubecula. πύωσις καὶ ὑπόπυος. ὄνυξ.

κεράτωμα. Auic. interpres saniem in siphac vocat. κεράτωμα passio est corneæ, immensum dolorem excitans & ruborem tunicarum, cruciatumq; punctorum vsq; ad tempora, potissimum si quatiantur, protensum. Latini cancrum appellant.

Vueæ membranæ passiones. Vuæ membranæ passiones sunt.

πρόπτωσις. πρόπτωσις est vueæ membranæ procidentia, ab erosione ruptione've corneæ contingens.

μυιοκέφαλον. Quæ si exigua adhuc fuerit, vt muscæ capitis formã præ se ferat, μυιοκέφαλον vocatur. Auic. formicalem rupturam appellat. Quum amplius & eousq; succreuerit, vt acinum vuæ repræsentet,

σταφύλωμα. σταφύλωμα dicitur. Latinis haud inepte vuatio nominaretur. Si sic augetur, vt extra palpebras emineat,

μῆλον. μῆλον nominatur. Auic. vesicalem ruptionem vocat. Vbi vero obducta cicatrice obduruerit & occaluerit,

ἧλος. ἧλος nuncupatur, Latinis clauus, Auicennæ claualis.

Pupilla. In foramine vueæ, quod pupillam nominant, hæ passiones fiunt.

μυδρίασις. μυδρίασις est quando pupilla colore quidem nihil euariat, sed multo quàm consueuit latior fit, vt interdum iridis circulo appropinquet. Latinis pupillæ dilatatio & effusio, Auicennæ vero Alintisar dicitur.

φθίσις. φθίσις cõtrarium planè malum est, in eo enim pupilla angustior, obscurior, rugosiorq; fit. Latinis diminutio & tabes pupillę, Auicennæ autem constrictio pupillæ nominatur.

ὑπόχυμα. ὑπόχυσις καὶ ὑπόχυμα est vbi humor lentus & glaciei modo inter corneam & crystalloiden concretus circa pupillam subit.

Suffusio. Latini suffusionem, Auicenna aquam, vulgus medicorum cataractam vocat.

γλαύκωμα. γλαύκωμα crystallini humoris est passio, vbi scilicet ille ex humiditate in glaucum colorem mutatur.

Angulorũ oculi passiones. Angulorum oculi passiones sunt:

αἰγίλωψ. αἰγίλωψ est abscessus qui inter maiorem oculi angulum & nasum fit, qui ruptus si negliga-

tur, in fistulam abit vsq; ad os ipsum progrediẽte. Nostri fistulam angulorum lachrymalium vocant. Idem abscessus priusquam disruptus in vlcus abit, ἀγχίλωψ dicitur, Auicenna garab nominat. ἐγκανθὶς est naturalis circa maiorem oculi angulum carunculæ supra iustum modum excrescentia. Auicennæ interpres additionem carnis lachrymaliũ appellat. ῥυὰς eiusdem carunculæ imminutio & decrementum est. Auicenna diminutionẽ carnis lachrymaliũ vocat. Epinyctis Plin. lib. 20. cap. 6. autore, vlcus est aciem hebetans, & in angulo oculi perpetuo humor emanans. Palpebrarum passiones sunt quę sequuntur. ἐμφύσημα palpebræ tumor est œdematodes, hoc est, laxus & dolore vacans. Latini inflationem vocant: quo etiam nomine Auicennæ interpres vsus est. ψωροφθαλμία pruriginosa palpebrarum scabies est. Interpres Auicennæ scabiẽ & pruritũ appellat. σκληροφθαλμία durities est, & difficilis cum dolore & rubore citra humiditatem oculi motio. Auicenna gesse nominat. ξηροφθαλμία est pruriginosus sine fluore palpebrarum affectus. Latinis arida lippitudo, ariditas & siccitas oculi nuncupatur. ἐκτρόπιον palpebræ est inuersio propter cicatricem, aut carnis excrescẽtiam facta. Auic. interpres inuersationẽ palpebræ nominat. τράχωμα interna est palpebrarũ scabrities & asperitas. Celsus asperitudinem vocat. Huius autem duæ sunt species. Nam quando sic augetur ac intendit, vt veluti incisuras habeat, σύκωσις dicit, quod scilicet ficus granorũ referat similitudinem. Ficosam palpebram Latini appellant. Quũ vero iam inueterata fuerit, & in callum abierit, τύλωσις nuncupatur. πίλλωσις crassities est palpebrarum callosa, rubicunda, quibus sæpe

ἀγχίλωψ.
ἐγκανθίς.
ῥύας.
Epinyctis.
Palpebrarum passiones.
ἐμφύσημα.
ψωροφθαλμία.
σκληροφθαλμία.
ξηροφθαλμία.
ἐκτρόπιον.
τράχωμα.
σύκωσις.
τύλωσις.
πίλλωσις.

ἀγκυλοβλέ- φαρος accidit pilorum defluuium. Auic. silac nominat.
ἀγκυλοβλέφαρος καὶ ἀγκύλωσις est vbi palpebræ cum
albo, vel nigro, vel sibi inuicem ita coalescunt &
conglutinantur, vt aperiri oculus non possit. La-
tinis agglutinatio palpebrarum dici potest. Auicē-
næ interpres inuiscationem palpebrarum appel-
λαγωφθαλμοί. lauit. λαγωφθαλμοὶ dicuntur Græcis, qui sursum re-
tracta superiore palpebra, oculis apertis perinde
atq; lepores dormiunt. Auicennę interpres lepo-
χαλάζιον. rinos oculos vocauit. χαλάζιον rotundum & trans-
lucidum, mobileq́; huc atq; illuc in palpebris tu-
κριθή. berculum est. Latinis grando dicitur. κριθὴ abscces-
Hordeolum. sus exiguus est & oblongus, iuxta palpebræ cilium
marginem'ue ortus. Latini hordeolum appellant,
ποσθία. quod figura grano hordei similis sit. Græcis alio
ὑδατίς. nomine ποσθία dicitur, q́ præputio, quod iisdem
πόσθη nominatur, similis sit. ὑδατὶς est pinguis quæ-
dam superioris palpebræ substantia, pondere suo
sic grauans, vt vix attollere oculum sinat, eoq́; assi-
duas fluxiones excitat. Palpebræ ī hoc malo aquā
inter cutem repræsentant: hinc est quod nonnulli
aquositatem palpebrarum nominent. Auic. alsar-
φθειρίασις. nac vocauit. φθειρίασις est vbi palpebrarum pilos
exigui pediculi infestant. Pediculationem nonnul-
μαδάρωσις. li appellant. μαδάρωσις καὶ μίλφωσις pilorum palpe-
μίλφωσις. bræ defluuium est. Latini glabriciem palpebrarū,
τριχίασις. Auicennæ autem interpres casum capillorum no-
minat. τριχίασις est vbi pili inutiles, & oculos pun-
gentes, in palpebris nascuntur. Auic. interpres in-
uersos pilos vocat. διστιχίασις est quum sub na-
διστιχίασις. turali ordine pilorum palpebræ, alius ordo suc-
crescit. Latinis ordinis prauitas dici potest. Inter-
φαλάγγωσις. pres Auicennæ additos pilos appellat. φαλάγγωσις
est passio in qua pilorum subnascentium duplex

triplex'q; acies, vel in superiore, vel in inferiore palpebra prouenit. Hoc fit cum cilium intro spe-ctat, pilorum acie simul cum eo inuersa. Phalan-gosis etiam interdum dicitur in palpebris relaxa-tis, vbi naturales pili bulbum oculi compungunt. λιθίασις est quum in palpebris gignuntur candi-cantia quædam & aspera lapidis instar oculũ pre-mentia. ἵππος est passio ab ortu ipso nascens, ob quam instabiles semper sunt palpebræ. Nerui viso-rii passiones sunt quæ sequuntur. ἀμαύρωσις nerui iam dicti obstructio est, in qua omnimoda vel ma-xima ex parte visus interceptio, absq; vlla manife-sta causa circa oculum apparente, accidit. Pura enim & incolumis vndiq; pupilla conspicitur. La-tinis obfuscatio, aut obscuritas visus appellari po-test, ἀπόῤῥηξις est quando meatus à cerebro in ocu-lum descendens, ex ictu capitis, vel casu ex alto disruptus est. παρέμπτωσις est ubi in meatũ, q in ocu-lũ vidẽdi facultatem defert, humor aliqs aperto, rupto vase incidit, eundem'q; obturat. Latinè coin-cidentia dici posset. σύμπτωσις, quum meatus ille ex tabe, vel imbecillitate fit arctior, concidit'q;. La-tinè non inepte concidentia nominabitur. Adna-tam & corneam simul hæ infestant passiones. ὑπό-σφαγμα καὶ ὑπόπυον dicitur, quando propter ictum aliquem fractis aut contusis vasis, intra tunicas oculorum sanguis colligitur, & in extima parte ve-luti sanguinis puncta apparent. Recentiores medi-ci maculam oculi, Latini suggillationem & suggil-lata, Auic. vero altarfati vocat. οὐλαὶ, hoc est, cica-trices sunt duplices. Nam quæ in summa oculi cõ-sistunt superficie, Græcis νεφέλια, Latinis albugines tenues appellari possunt Auic. interpres nebulas dixit. Vbi altius radices egerint λευκώματα Græcis,

λιθίασις.
ἵππος.
Nerui visorii passiones.
ἀμαύρωσις.
ἀπόῤῥηξις.
παρέμπτωσις.
σύμπτωσις.
ὑπόσφαγμα.
ὑπόπυον.
νεφέλια.
λευκώματα.

crassæ albugines Latinis nuncupantur. Interpres Auicennæ simpliciter albugines nominauit.

Passionum aurium explicatio.

Cap. XXVIII.

ὠταλγία. ΩΤαλγία aurium in vniuersum dolor est, qui vel ex inflammatione, vel vlcere, vel abscessu, vel
δυσηκοΐα. alia quadam occasione fit. δυσηκοΐα difficilis est au-
κώφωσις. ditus. κώφωσις surditas est quæ vel à primo statim ortu, aut post accidit. Cæterum fit in auribus tam tetrum mali genus, vt haud secus quàm ex corrupto cadauere, illic prodeuntes vermes videre li-
σκωληκιῶντα ceat. Græci hoc modo laborantes aures, σκωληκιῶν-
ὦτα. τα ὦτα, quasi dicas vermiculantes aures, appel-
παρωτίς. lant. παρωτὶς inflammatio est quæ in glandulis au-
φήρεα. ribus adiacentibus fit. φήρεα sunt prominentes &
Par.3.côm.10 oblongæ in glandulis quæ circa aures sunt emi-
nentię, vt fusius in commentariis nostris in sextũ librum Epidemiωn Hippocratis editis demõstra-
κυψελίς. uimus. κυψελὶς καὶ κυψέλη sordes aurium, quę gra-
κυψέλη. uiorem auditum reddunt. Has Latini aurium mar-
θλάσις. morata vocant, iuniores cerumina. θλάσις cõtusio & cõpressio foraminũ quæ sunt in auribus dicit.

Passionum narium explicatio.

Cap. XXIX.

ὄζαινα. ΟΖαινα vlcus narium est profundum & putridum, ex quo ingratus & fœtidus exhalatur odor: à graueolentia & fœtore sic appellatũ. πολύπους tumor est præter naturam in narib. na-
πολύπους. tus, polypodis carni iuxta substantiæ proprietatẽ assimilis. σάρκωμα est carnis præter naturã in na-
σάρκωμα. rib. incrementum. μύξα humor ex naribus fluẽs.
μύξα. Latinis mucus & pituita narium dicitur. αἱμορρα-
αἱμορραγία. γία simpliciter & sine adiectione alicuius partis posita, sanguinis ex narib. pro fluuium significat.

Aliàs enim ſemper cum partiũ vnde ſanguis pro-manat appellationibus cohæret. κόρυζα vide ſupr à cap. 26. κόρυζα.

Paſſionum faciei explicatio.

Cap. XXIX.

Ἐφηλὶς eſt aſpredo & nigrities in facie exardore ſolis prognata. φακὸς faciei macula eſt nigra, lentis ſimilitudinem obtinens, Latini lentiginem & lenticulam vocant. ἰόνθοι tumores in facie ſunt exigui & duri, ſic dicti quod inſtar ὄνθου, id eſt, fimi, faciem, conſpurcent, ac maculis fœdent. Latinis vari nominantur. ἐφηλίς. φακός. Lentigo. ἰόνθοι. Vari.

Paſſionum dentium explicatio.

Cap. XXXI.

Ὀδονταλγία dolor omnis dentiũ dicitur. ὀδαξισμὸς eſt pruritus is qui conceptis iam intra gingiuas dentib. & erũpere feſtinantib. ſentitur, quo ſolent infantes relatis ad os digitis identidẽ eos mordere, & ipſi gingiuas ſuas cõfricare. ὀδοντοφυΐα puerorũ eſt dentitio, vbi ſcilicet è gingiuis iam prorumpunt dentes. αἱμωδία ſtupor eſt dentium, paſſio ſanè quotidiana, in qua acerbitate aut aciditate cibi alicuius, præſertim nondum maturi pomi, ſtupent dentes, nec alios cibos ſine dolore comman ducare & conficere poſſunt. παρουλὶς eſt inflãmatio circa partem aliquam gingiuarũ, quæ non ſoluta putreſcit. ἐπουλὶς carnis eſt eminentia iuxta dentium aliquem in gingiuis facta. ὀδονταλγία. ὀδαξισμός. ὀδοντοφυΐα. αἱμωδία. παρουλίς. ἐπουλίς.

Paſſionũ oris explicatio. Cap. XXXII.

Βάτραχος tumor eſt phlegmonodes ſub lingua conſiſtens, potiſſimum in pueris. Ranulã hodie vocant. παρίσθμια non ſolum faucium partem denotant, vt diximus cap. 11. ſed eiuſdem etiam inflammationem. Sic autem hanc appellauerunt βάτραχος. παρίσθμια.

Gręci, quod locus ille cui adiacêt, qui ueluti isth-
musquispiam angustus est, quum inflammatione
Tonsillæ. tumêt multo quàm antea angustior fiat. Latini tõ
sillas diminutiua uoce à tolles, hoc est, tumore
appellant. Alio nomine Grecis etiam ἀντιάδες uo
σταφυλή. cãtur. σταφυλὴ Gal. lib. 6. de cõpos. med. secundum
locos, cap. 3. teste, non significat columellam, neq;
etiam eiusdem inflãmationem, ut nõnulli putant,
sed quandam illius passionem in qua tota columel
la laxata, extrema sui parte maior est & liuida, su
perna uero tenuis, ut similitudinẽ fructus uuæ, un
Vua. de nomen accepit, præseferat. Latini uuam nomi
κυνικὸς σπα- nant. κυνικὸς σπασμὸς nihil aliud est nisi oris reso
σμός. lutio, quam in utramlibet partem faciei deprauа
Tortura oris. tio sequitur. Nostræ tempestatis medici, torturam
ἀγκυλόγλωσσον oris appellant, quod in ea passione os cum motu
quodã peruertatur. ἀγκυλόγλωσσον passio est quæ
interdum naturaliter accidit, membranis linguã
cõtinentibus durioribus & breuioribus statim à pri
ma origine factis. Interdum ex acquisito, ob cica
tricem quampiã duriorem sub ipsa ex vlcere con
tractam. Qui hoc malo laborant tarde sermonem
Ligatio linguæ. explicare incipiunt. Latinis hoc vitii genus liga-
τραυλότης. tio linguæ dici potest. τραυλότης Latinis blæsitas
Blæsi. nominatur. Qui hac passione correpti sunt, τραυ-
λοὶ Græcis blæsi vero Latinis dicuntur: & sunt
qui aliquam certam literam exprimere haud va-
ψέλλοι. lent. ψέλλοι sunt qui pronunciando literam vel
Balbi. syllabam prætermittunt. Latinis balbi appellãtur.
ἄφθαι. ἄφθαι vlcera sunt quæ in ore fiunt non adeo pro
funda, sed quę in superficie oris accidunt, igneæ
caliditatis quippiã habentiam. Barbari alcolam
συνάγχη. appellant. καταῤῥοῦς vide cap. 26. συνάγχη καὶ κυ
Angina. νάγχη passio est quę Latinis angina dicit: & pro-

prie loquendo

prie loquendo Græcis nihil aliud est, quam inflãmatio quæ in gutture uel faucibus fit. Sic nominata ἀπὸ τοῦ συνάγχειν ἢ κυνάγχειν, hoc est, à suffocãdo, quod acutissimum malum sit, & strangulatu præsentaneum uitæ discrimen inferat. Hippocrates uero & alij ueteres, omnes passiões in ijs locis euenientes quas spirandi difficultas comitatur, angínæ nomine uocant. Suntq; eiusdem exquisite loquẽdo quatuor differentiæ. Vna, ubi fauces inflãmantur. Altera, ubi neque fauces, neq; reliquæ oris partes, neq; etiam externarum partium ulla inflammata uidetur, æger tamẽ suffocatiónis periculũ in gutture sentit. Tertia, quãdo gutturis partes tum externæ tũ internæ, similiter inflammãtur. Quarta, ubi ad anteriorem regionem ceruicis uertebræ luxantur, & inde cauus apparet locus, doloremq; quãdo tãgitur æger sentit. Recẽtiores Græci quidã, ut est Paulus lib. 3. cap. 27. & nostræ ætatis medici haud pauci, inter cynanchen & synãchen item paracynanchen & parasynanchen discrimen faciunt, quod tamen Galen. lib. 4. de locis patiẽtib. cap. 5. & tertio prog. cõm. 20. reprehendit. Inflammationẽ itaq; quæ in interioribus faucium musculis oritur, συνάγχην nominant. Eam uero quę in exteriorib. eorũdem fit musculis, παρασυνάγχην. Inflãmationẽ item q̃ in interiorib. musculis gutturis accidit κυνάγχην appellãt. Eã aũt quæ in exteriorib. eiusdẽ musculis orit̃ παρακυνάγχην.

Anginæ quatuor differentiæ.

συνάγχη.

παρασυνάγχη.

κυνάγχη.

παρακυνάγχη.

Passionũ thoracis explicatio. Ca. XXXIII.

Ἀσθματικοὶ dicuntur qui citra febrẽ frequẽter respirant, quemadmodum solent qui ueloci ter cucurrerũt. Latinis anhelosi & suspiriosi appellantur. Malum ipsum ἆσθμα uocatur. Idem etiam propterea quod thoracis figuram penitus rectam

Anhelosi.

ἆσθμα.

ὀρθοπνοικοί. seruare cogũtur ob suffocationis metũ ὀρθοπνοικοὶ
ὀρθόπνοια. nominantur. Passio vero ipsa ὀρθόπνοια dicitur
δύσπνοια. δύσπνοια õis spirãdi difficultas est. Proprie tñ, Gal
lib.7. de cõpos. med. scđm locos, cap. vlt. teste, ast
ea difficultas spirandi, quæ ꝓpter crassos & visco/
πλευρῖτις. sos humores brõchia pulmõis obstruẽtes accidit
πλευρῖτις mẽbranæ intrinsecus costas succingẽtis
περιπνευμονία. inflãmatio est. Latini morbũ laterale nuncupant.
αἱμοπτόης. περιπνευμονία est inflãmatio pulmonis. αἱμοπτόης; aut
ἔμπυημα. rectius αἱμοπτύσις, sanguinis est expuitio aut ex/
Suppuratio. creatio. Sanguinis sputũ, aut cruentum sputum La
tini nominant. ἔμπυημα purulẽta excreatio ac sup
puratio Latinis dicitur. In hoc siquidem malo in
vacuo inter thoracem & pulmonem spatio pus cõ
Purulenti. sistit. Hoc vitio correpti Græcis ἐμπυοικοὶ, Latinis
φθίσις. purulenti & suppurati vocanter. φθίσις etsi omnẽ
corporis maciem & diminutionem Græcis deno/
tet, tamen Hippocrati & aliis medicis eam extenua
tionem significat quæ pulmonis insanabilia cõse/
quitur vlcera, & quam proprie Græci, præsertim
φθόη. Tabes. Athenienses, Gal. lib.7. aph. comm. 16. autore,
παλμός. φθόην nominant. Latinis tabes dicitur. παλμὸς id
Palpitatio. malum est quod Latini palpitationem cordis no/
stri uero seculi medici tremorẽ cordis appellant.
Differt ab ea passione quã Grœci καρδιακὴν nomi
nant, ut paulo post dicemus. Proinde hallucinã
tur omnes practicarum, ut uocant, scriptores, qui
συγκοπὴ καρ/ καρδιακὴν pro cordis tremore interpretantur.
διακή. συγκοπὴ καρδιακὴ est præceps, seu affatim factus
σπαργάνωσις. uitio cordis uirium lapsus. σπαργάνωσις est dũ ob
θρόμβωσις. lactis redundantiam mammillæ tumefactæ sic di
Grumescentia stenduntur, ut copiam hanc uix ferre queant.
lactis. θρόμβωσις est dum lac grumescit in mammis et in
casei ferẽ formam transit. Grumescentiam lactis

Interpretes nonnulli uocant.

Passionum uentriculi explicatio.

Cap. XXXIIII.

Καρδιακὴ, ἢ καρδιαλγία, non cordis, sed oris ventriculi dolor, morsus aut punctura est. Prisci si quidem, vt testatur Gal. 4. aph. comm. 17. & 65. lib. 5. de patientib. locis, cap. 5. & lib. 2. de placitis Hippoc. & Platonis, os ventriculi καρδίαν, id est, cor nominabãt. Hippocrati alio nomine passio hęc καρδιωγμὸς, hoc est morsus cordis dicitur. Proinde errant, vt antea etiam monuimus medici recentiores, quod hanc vocem pro cordis tremore, qui παλμὸς Græcis appellatur, vsurpant. συγκοπὴ στομαχικὴ est animi deliquium, aut virium lapsus, vitio oris ventriculi male affecti eueniens. ἀνορεξία ciborum est omnimoda auersio. Latinis inappetentia, aut abolita appetentia nominatur Hippocrates ἀποσιτίην appellauit. κυνώδης ὄρεξις contraria est abolitæ appetentiæ passio: esuritionem enim magnam excitat, sed vt ea laborantes quum appetentiam cohibere nequeant, in cibis ingerendis modum excedant, & grauati eorum multitudine paulò post euomant, atque sic se leuent, rursúsq; expleant, ac iterum ad vomitum perinde atque canes reuertantur, vnde etiam appellationem malum hoc accepit. Latinis enim haud secus atque Græcis, canina appetentia vocatur. βούλιμος Græcis ingens vehemensq; fames dicitur. βοῦ enim particula aliis vocibus adiecta, significationem earundem auget. κίττα malũ est quod mulieres vitiosis refertas humoribus infestare consueuit, grauidas præsertim. Appetunt autem maxime per hoc acida & acerba, nonnunquã acria quoq;. Interdum vel cimo-

καρδιακή.
καρδιαλγία.
καρδία.
καρδιωγμός.
συγκοπὴ στομαχική.
ἀνορεξία.
ἀποσιτίη.
κυνώδης.
ὄρεξις.
Canina appetentia.
βούλιμος.
κίττα.

liam terram, vel testas, vel extinctos carbones, aut alios huiusmodi cibos absurdos. Latini Picã hanc passionem nominant, à varietate pulmarum eius auis, vel quod hæc ipsa sæpenumero hoc vitio laboret. ἀπεψία dicitur quando nulla penitus ciborum fit alteratio, sed secundum omnes qualitates tales permanent, quales assumpti sunt. Latini cruditatem vocant. δυσπεψία fit quando in alienam qualitatem cibi permutantur. Deprauata alteratio & concoctio Latinis dicitur. βραδυπεψία est quando cibi in qualitatem animanti familiarem, sed longiori tempore & vix permutantur. Latini tardam concoctionem appellant. Ναυτία irritus ad vomitiones conatus existit. Latinis nausea nuncupatur. λυγμὸς est ventriculi motus qui veluti eius conuulsio existit, ab expultrice facultate noxia extrudere volentis factus. Latinis singultus dicitur. χολέρα est immodica ventris perturbatio supra infra'q; erumpens. Latini hoc malum etiam choleram vocant. Hinc cholerici apud Plinium non sunt biliosi, vt nonnulli arbitrantur, sed ii potius qui multa bilis per inferna & superna deiectione laborant. κοιλιακὴ non omnis ventris fluxus proprie Græcis appellatur. Neq; enim si cibi crudi & incocti infernè prodeunt, neq; si corrupti ac in peregrinum habitum mutati sunt cœliaca passio vocatur: verum tunc solum, quum leuia cruda, liquida'q; egeruntur, ventre præ imbecillitate cibos concoquere & digerere nequeunte. Corn. Celsus lib. 4. cap. 12. aliter quàm Græci hanc vocem vsurpare videtur. In cœliaca enim passione ventrem indurari, doloribusq; premi tradit, aluumq; ipsam adeo nihil reddere, vt ne spiritum quidem transmittat.

Pica. ἀπεψία. Cruditas. δυσπεψία. Deprauata concoctio. βραδυπεψία. Tarda cõcoctio. ναυτία. Nausea. λυγμός. Singultus. χολέρα. Cholerici. κοιλιακή.

Passionum intestinorum explicatio. Cap. XXXV.

Διάῤῥοια copiosus est sine exulceratione & inflammatione fluor. Latini alui profluuium vocant. λειεντερία passio est, per quam cibi donec cõcoquantur non retinentur, sed celerrime priusq̃ permutationem accipiant dilabuntur. Latinè intestinorum leuor dicitur. δυσεντερία proprie intestinorum est exulceratio, Latinis difficultas intestinorum, & tormen, quod in hoc malo intestina vehementissimo torqueantur dolore, appellatur. Gal. lib. 3. de sympt. causis alia tria genera dysenteriæ cruentæ commemorat, quorum primũ est in quo sanguis per quosdam circuitus excernitur, ob mẽbrum nimirum aliquod præcisum, aut exercitationem prioris vitæ derelictam. Secundũ, in quo sanguis aquosus, hoc est, qui aquæ in qua carnes cruentæ & nuper mactatæ, sunt ablutæ, similis est, deiicitur. Tertium, in quo sanguis & nigrior & splendidior eo qui naturalis est excernitur. τεινεσμὸς est assidua, & quæ differri ac deuitari non potest egerendi cupiditas. Sic dicta Grçcis ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι, quod Latinis conari significat. Dolorem colicum vocant qui in laxiore intestino, quod Grçcis κῶλον dicitur, accidere solet. εἰλεὸς est intestinorum tenuium passio, grauissimos & letales dolores inferens. Sic appellata à doloris circumactione, εἰλεῖσθαι enim Græcis circumagi & cõuolui est. Hinc est quod hoc malũ Latini cõuoluulũ & voluulũ nominẽt. Græcis medicis alio nomine χορδαψὸς vocat, quod ad chordç similitudinẽ in ea passione cõuolui intestina videant. Lũbricorũ, quos ἕλμινθας Græci vocãt, tria sunt genera. Primi ge-

διάῤῥοια. Profluuiũ alui.
λειεντερία.
Leuor intestinorum.
δυσεντερία.
Tormen.
Quatuor cruente dysenteriæ genera.
τεινεσμὸς.
κωλικὴ ὀδύνη.
εἰλεός.
Conuoluulus.
χορδαψὸς.
Lumbricorum tria genera.

Rotundi. neris sunt qui rotundi seu teretes à figura dicuntur, secundum enim crassitudinem rotundi sunt, longitudine vero palmares, & nonnunquam longiores. In gracilibus plerunq; intestinis consistũt, & superiorem ventriculum subeunt, id eoq; sæpenumero per os reiiciuntur, quibusdã & è naribus redduntur. Atq; hoc genus infantibus & pueris, atq; his qui ad pubertatem accedũt peculiare est. Alterius generis sunt qui lati vocantur, Græcis vero κειρίαι, hoc est, institæ, à similitudine quam cum institis obtinent, instar enim harũ lati sunt & longi. Eadem etiam ratione ταινίαι ab iisdem appellantur, & à Latinis fascię, quod fasciarum latitudine sua ac longitudine effigiem præ se ferant. Plinius lib. 11. cap. 33. tradit tricenum pedũ tænias ventris aliquando visas, aliquãdo etiam plurium. Tertii generis lumbrici sunt qui Græcis ἀσκαρίδες nuncupantur. Breues autem sunt ac tenues, vermibusq; similes. Horum magna interdũ copia in hominibus ac iumentis cibum parũ recte concoquentibus apparet, qui in extremo longanone potissimum reperiuntur. αἱμοῤῥοΐδες venarum in sede sunt explicationes dilatationes'ue, à sanguinis fluxu sic appellatæ. Harum aliæ sunt cæcæ, quæ scilicet intumescunt, & nihil, aut parum admodum sanguinis excernũt. Aliæ apertæ, quæ nimirum certis quibusdam temporibus panduntur, & sanguinem emittunt. ῥαγάδες sunt scissuræ quæ in musculo anum claudente, quem sphinctiрem nominant, aut in circulo, & extrema ani corona fiunt, similes iis quæ in labiis ob Boreæ flatum asperiorem accidunt. Latinis rimæ sedis dicuntur. κονδυλώματα sunt eminentiæ seu excrescentiæ in sede in callum coactæ. Vel sunt rugæ cir-

Lati. κειρίαι.

ταινίαι.
Fasciæ.

ἀσκαρίδες.

αἱμοῤῥοΐδες.

ῥαγάδες.

Rimæ sedis

κονδυλώματα.

ca anum intumescentes. Reduplicatis enim ani corpusculis, ruga quædam præter naturam insurgit & intumescit. Cum enim sinuosus sit anus, rugas annexas habet. σῦκον tuberculum in ano est vlcerosum, rotundum, subdurum, rubicundum, & quod dolor comitatur. Latinis ficus & marisca dicitur. σῦκον. Ficus, Marisca.

Passionum iecoris & lienis explicatio.
Cap. XXXVI.

Ἡπατικοὶ dicuntur, Galeno lib. 5. de patientibus locis cap. 7. teste, quibus iecoris facultates imbecillę sunt. Latinis iecinorosi dici possunt. Hepatici itaque sunt, quibuscunque iecur amissa aut languente facultate sua irritas proprias functiones obtinet, etiamsi nullus dolor aut tumor affuerit. καχεξία Latinis nihil aliud sonat quàm malus corporis habitus in quo alimentum corporis corrumpitur. Hinc Paulus καχεξίαν, principium subeuntium cutem aquarum esse tradit. ἴκτερος bilis modo flauæ, modo atræ, per vniuersum corpus effusio. Sic dictum hoc malum vel ab auæ, quæ Græcis ἴκτερος, Latinis vero galbula dicitur: hæc enim si spectetur, sanari malum tradũt, & auem mori. Vel ab aue quæ ἴκτινος Græcis, miluus Latinis appellatur. Oculi siquidem hoc vitio laborantiũ, miluinis oculis similes, hoc est, auricolores videntur. Vel à mustela syluestri, quæ auricolores oculos habet, & Gręcis ἴκτις, Latinis viuerra nominatur. Verum parum refert vnde icteri appellatio deducta sit, quũ de re ipsa & malo cõstet, quod Latini bilis suffusionem vocant. Dicitur etiam regius morbus, quoniam mulso, quod genus potionis in regũ delitiis erat, curabatur: vel quod eo malo affectos, ἡπατικοί. Iecinorosi. καχεξία. ἴκτερος. Regius morbus

& lecto & conclaui cultiore, ludis & lasciuia vti perutile sit, per quæ ægrotantis mens exhilaretur. Aurigo quoque nominatur à Cornelio Celso, ab auri colore, quem bilis per vniuersum diffusa corpus refert. Arquatus denique nũcupatur, quod cœlestis arcus similitudinem, si colorem eius respicias, habeat. ὕδρωψ Latinis aqua inter cutẽ nuncupatur. Eius tres sunt species. Prima ἀσκίτης vocatur Græcis, & fit quum inter membranam peritonæum, & intestina plurimus aquosus humor coaceruatur. Sic dicta quod ἀσκοῦ, hoc est, vtri modo locus qui est intra peritonæum & intestina, aquoso humore impletus videatur. Latini vtricularem nominare possent. Barbari corrupta vnius literæ adiectione voce, asclitem appellant. Altera τυμπανία καὶ τυμπανίτης dicitur. Fit vbi flatus ac spiritus copiosus in iisdem ventris locis congregatur. Hoc nomine à tympano omnibus notissimo instrumẽto appellata est. Si enim pulsetur venter inferior, instar tympani sonum edit. Tertia ἀνασάρκα, καὶ ὑποσάρκα, καὶ λευκοφλεγματία dicitur. Fit quoties per totum corpus humor pituitosus disseminatur, vt instar spongiarum, aut papyri, vniuersa caro permadida appareat. Ideoque in ea totum corpus intumescit, ac mortuo simile euadit. σπληνικοὶ proprie nominantur Græcis, quibus lien obstruso obseptoque in eo atræ bilis excremento, aut ab inflammatione induruit. Vel breuius, qui induratam lienis passionem obtinent.

Aurigo. Arquatus. ὕδρωψ. ἀσκίτης. τυμπανία. ἀνασάρκα. λευκοφλεγματία. σπληνικοί.

Passionum renum & vesicæ explicatio. Cap. XXXVII.

Νεφρῖτις renũ est vitiũ ferè quoduis, vt nephritici sint q ex renibus quomodolibet laborant.

νεφρῖτις.

διαβήτης diuturna est circa renes cõsistens passio, in qua supra modum sitiunt infirmi, atq; subinde bibunt, exuberanter quoq; reddunt idquod biberunt, eo à sua qualitate non mutato. Hoc malũ ab aliis ὕδερωψ, καὶ ὕδερος εἰς ἀμίδα, hoc est, aqua inter cutem ad matellam: ab aliis διάρροια εἰς οὖρα, id est, vrinæ fluor profluuium'ue: ab aliis διψακός, ab inexhausta siti, vocatur. Latini, vt Græci, diabeten appellant. λιθίασις renum aut vesicæ calculus dicitur. στραγγουρία est quum per interualla & guttatim vrina destillat, ac assiduam ad mingendum irritationem efficit. Latinis stillicidium vrinæ nuncupatur, δυσουρία malum est in quo vrina ægrè & difficulter admodum redditur. Latini difficultatem vrinæ vocant. ἰσχουρία passio est, in qua vrina in totum supprimitur ac retinetur. Latine suppressionem vrinæ dixeris.

διαβήτης. ὕδερωψ εἰς ἀμίδα. διάρροια εἰς οὖρα. διψακός. λιθίασις. στραγγουρία. δυσουρία. ἰσχουρία.

Passionum genitalium explicatio.

Cap. XXXVIII.

ΦΙμος καὶ φίμωσις vitium quoddam in masculis est, Celso libro 7. cap. 25. autore, in quo colis glans ita cutis tegmine contecta est, vt nudari nõ possit. Huic contrariũ malum, in quo propter cutem curtam, aut retro abactam, glans tegi non potest, περιφίμωσις, aut forte rectius παραφίμωσις dicitur. σατυρίασις καὶ σατυριασμὸς pudendorum palpitatio est, phlegmonosum quendam seminalium vasorum affectum sequens, arrigente & intendente se interim homines genitali. Nomen huic malo fecit prona in venerem Satyrorum iuuentus. πριαπισμὸς est quũ genitale mẽbrum & in lõgitudine & in latitudine totũ augetur, nullo stimulante ad libidinem aut desiderio, aut acquisito calore. Deducta est denominatio à Priapo. Nam hunc, vt cui

φίμος καὶ φίμωσις. περιφίμωσις. σατυρίασις. πριαπισμός.

γονοῤῥοία. suapte natura huiusmodi coles esset, finxerunt, atque pictura descripserunt homines. γονοῤῥοία, nimia est præter uoluntatem semineis excretio citra pudendi tentiginem. Vulgus medicorum deprauata uoce Gomorrhæam appellat.

ὀνειρωγμός. Insomnia ueneris. ὀνειρωγμός, Paulo teste, libidinis in somno imaginatio, ac seminis per somnum profusio dicitur. Latini insomnia ueneris uocant.

κήλη. Hernia. ramex. κήλη Latinis ramex & hernia dicitur, barbaram autem sectantibus medicinam ruptura. Hæc variis fit modis, perq; adiectiones rerum opplentium, varias etiam appellationes accipit. Si enim peritonæo rupto intestina in scrotum

ἐντεροκήλη. Ramex intestinorum. descendunt, ἐντεροκήλη Græcis ramex intestinorum Latinis appellatur. Vbi vero intestina suprà in

βουβωνοκήλη. inguibus hærent, βουβωνοκήλη, hoc est, ramex inguinalis vocatur.

ὑδροκήλη. Si humor aliquis lentus in scroti parte colligitur, ὑδροκήλη, id est, ramex aquosus nuncupatur.

σαρκοκήλη. Quum autem caro dura intra testiũ tunicas increscit, σαρκοκήλη, hoc est, ramex carnosus dicitur. In summa, nomen semper à rebus opplentibus, vt diximus, accipiunt. Proinde si omẽ-

ἐπιπλοκήλη. tum in scrotum deuoluatur, ἐπιπλοκήλη, hoc est, ramex omenti nominatur. Sic vbi venæ vltra mo-

κιρσοκήλη. dum repletæ ac dilatatæ glomerantur, κιρσοκήλη, id est, varicosus ramex vocatur.

Passionum vteri explicatio. Cap. XXXIX.

πνὶξ ὑστερική. Præfocatio uteri. ΠΝὶξ ὑστερική, vteri ad superiora recursus est, in consensum agens principalissimas partes, veluti carotidas arterias, cor, & cerebri membranas. Latini strangulatum & præfocationem vteri nominant.

μύλη. μύλη est induratus tumor, interim in vuluæ ostiolo, interim in toto vtero ipso prominens. Vel, vt Galenus lib. 14. ther. meth. tradit caro in-

μύσις ὑστέρας. formis in vtero consistens. μύσις ὑστέρας vteri præ-

clusio Latinis est,translatione facta ab oculis,μύειν enim conniuere, & concidentes oculos claudere Græcis significat. Quia igitur in hoc malo margines ostii muliebris coëunt, inuicemq́; conniuēt, ideo μύσις Græcis,præclusio autē Latinis hoc vitium dictum est. φίμος καὶ φίμωσις osculi aut ceruicis vteri obturatio, & coarctatio seu cōpactio est, ab vlceratione præcedente eueniens, qua ea loca tam angusta redduntur, vt non amplius semē admittant, vel si admiserint, non retineant. Præter iam commemoratas, multæ aliæ sunt vteri passiones, vt condylomata, rhagades, scirrhi, thymi, procidentia,inflammatio, & cancer,de quibus in capite de tumoribus præter naturam dicemus. φίμος.

Passiouum articulorum explicatio.

Cap. XL.

ARθρίτις est vbi imbecillitas in omnibus corporis articulis consistit, humorq́; à natura alienus ad eosdem confluit. ποδάγρα vero appellatur, vbi hæc vtraq; pedes occupauerint. ἰσχιὰς grauissimus est dolor,qui circa iuncturam, quam Græci ἰσχίον, Latini vero coxam nominãt,accidit. Qui malo hoc infestantur Ischiadici nuncupantur,Latini vna coxendicis appellatione,interdum & locum & dolorem dixerunt. κόνδυλοι nodi & callosæ concretiones in digitis manuum & pedū euenientes dicuntur. ἀρθρίτις. ποδάγρα. ἰσχιάς. Coxendix. Ischiadici. κόνδυλοι.

Tumorum præter naturam & vlcerum explicatio. Cap. XLI.

ΠΑρωνυχία est abscessus circa radices vnguiū cōsistēs. Barbari corrupta voce, vt alia ferè oīa, panariciū vocant,Latini vero redduuias. ἧλος rotūdum est tuberculum clauoq; capiti simile, quod plerūq; in calcaneis & pedū plātis nascitur in gra παρωνυχία. Reduuiæ. ἧλος.

Clauus. diendo afferens dolorem,& impedimentum La-
πτερύγιον. tinis clauus appellatur. πτερύγιον carnis incremen
καρκῖνος. tum circa vngues, tum manuum, tum pedum est, partem eorundem operiens. καρκῖνος καὶ καρκίνωμα est inæqualis,liuescens,aspectu teter,& cũ dolore tumor,qui in omnibus corporis humani partibus fieri solet. Siquidem in oculis, vtero, verum præcipue ac sæpius in fœminarum mammis accidit,quod raræ & laxæ sint,ac,crassissimam atræ bilis materiam promptè excipiant. Fit enim hoc malum ab atra bile feruescente, quæ si acrior existat,
Cancer. vlcerationem etiam efficit: Latinis id vitii cancer dicitur. Nomen accepit à fluuiatili cãcro, quoniã
ἐλέφας. in eo venæ oppletę,& in ambitu tensæ,cancri animalis pedibus similes sunt. ἐλέφας καὶ ἐλεφαντίασις vniuersi corporis cancer est, id nominis nactum est hoc malum, quod in eo cutis corio elephanti persimilis videatur. Nam maculis quibusdam ad atrum colorem vergentibus inficitur, inæqualiterq; aspera, crassa, ac veluti squamis fœda,liuens, ferinaq; redditur. Nec elephas quicquã à lepra Arabum differt, quod ostẽdimus lib.
λέπρα καὶ ψώρα. parad.2,cap.16. λέπρα καὶ ψώρα passio vtraq; summæ cutis aspritudo est,cum pruritu & absumptione corporis. Lepra tamẽ altius circularibusq; erosionibus cutem depascit,& piscium modo squamulas ex se remittit. Psora vero summã corporis cutem exedit,& varias figuras habet,& furfurea ma
Scabies. gis ex se corpuscula ædit. Latinis scabies dicitur.
λειχῆνες. λειχῆνες, Latinis impetigines nominantur,cutis vi
Impetigines. tium est quod, Paulo autore, celeriter in psorã & lepram transit. Non est is morbus qui Gallicus hodie & Neapolitanus,& ab aliis Hispana scabies nominatur, vt copiose libro secundo Paradoxorum,

cap. 17. demonstrauimus. Porro aliud cutis vitiũ
nascitur quod Latinis vitiligo nuncupatur. Cuius Vitiligo.
quidem duæ sunt species. Vna enim Græcis λεύκη λεύκη.
dicitur, quæ nihil aliud est nisi coloris cutis ad cã
didius mutatio, quæ quidem à viscosa glutinosaq́;
pituita contrahitur. Hæc nonnunquam tam alte
in corpus penetrando radices agit, vt & pili in ea
cani, & lanugini similes enascantur. Latini vitiligi
nem albam & leucen, & Arabes vero alboras vo-
cant. Altera vitiliginis species ἀλφὸς Græcis ap- ἀλφός.
pellatur, cuius generatio eiusdem cum leuce mo-
di est, non tamen omnino in profundo caro in ea
patitur, sed summa tantum cutis, & veluti squamu
læ quædam vitiligines ipsæ infixæ adhærẽt, quæ
quidem duplices sunt, albæ & nigræ. Albæ ex pi
uita, atræ vero ex melancholico humore oriun- Alphos duplex
tur. Vnde etiam perspicuum fit alphum esse du-
plicem, vnum album, alterum nigrum. Sic dictus
Græcis, quod colorem cutis immutet. Immutare ἀλφαίνειν.
enim apud veteres ἀλφαίνειν dicebatur. Testis Aë-
tius. Phauorinus etiam annotauit ἀλφὸν πάθος, πα
ρὰ τὸ ἐναλλάσσειν τὴν χροιὰν, dici. Auicenna mor-
phæam nominauit hoc malũ. στίγματα Græcis in- στίγματα.
ter cutis vitia annumerantur, & dicuntur nõ pun
cta, sed maculæ punctorum quantitate & forma
hominis cutem & superficiem decolorantes ac va
riantes. Vermicatã vulgo nominant. ἐξανθήματα ἐξανθήματα.
sunt tumores sponte in cute florentes, à crassis &
cuti impactis humoribus nati. Quoniam vero tur
gentium ad florem gemmarum in plantis modo
tument, ideo nomẽ hoc apud Græcos inuenerũt.
Hippocrates ἐκθύματα etiã appellauit. Plinius pa-
pulas, & pituitæ eruptiones. Sunt vero duplices ἐκθύματα.
papulæ, quædam enim sublimes, quædam vero Papulæ.

latæ. Sublimiores à calidiore & tenuiore hu-
Morbilli. more fiunt, pruritumq; excitant: à nostris mor-
billi vocantur. Latæ & humiliores à frigidiore
ac crassiore humore oriuntur, neque pruritum
concitant. Barbaram sectantibus medicinam, va
riolæ dicuntur. μυρμηκία καὶ ἀκροχορδών. vtrunq;
Variolæ. malum cutis exigua est excrescentia, callosa, &
μυρμηκία. magna ex parte rotunda. Sed μυρμηκία latiore ba-
ἀκροχορδών. si, & sessilis est, ac in scalpendo & attritu mor-
dentis formicæ sensum efficit, ideoq; Latinis for-
Formica. mica nuncupatur. ἀκροχορδὼν autem angustio-
rem basin obtinet, vt cordæ nexu suspensa esse
Verruca. videatur. Latini verrucam vocant simpliciter,
γάγγλιον. aut cum adiectione pensilem. γάγγλιον tumor est
neruorum, ex ictu vel lassitudine proueniens in
plerisque quidem corporis partibus, præsertim
vero in ijs quæ mouentur, puta manibus extre-
φλεγμονή. mis, & pedibus. φλεγμονὴ vox Græcis bifariam
sumitur. Communiter pro omnibus calidis &
dolorificis cum feruore tumoribus: qua in signi
φλόγωσις ficatione idem quod φλόγωσις denotat. Sic sanè
erysipelata, herpetes, & carbunculi phlegmones
dicuntur. Hoc in significatu ab Hippocrate, &
aliis veteribus vox vsurpata est. Proprie autem
plegmone supra feruorem & efferuescentiam, tu-
morem rubentem, dolentem, durum & tactui re-
nitentem significat. Latini inflammationem vo-
cant. ἀπόστημα καὶ ἀπόστασις est affectus in quo ab
ἀπόστημα καὶ ἀπόστασις. inuicem distant quæ prius se contingebant cor-
pora. Spacium igitur vacuum in medio fieri opor
tet, quod aliquam flatuosam vel humidam sub-
stantiam, aut ex vtrisq; compositam comprehen-
dat. Excoriat enim hęc circumposita corpora spa
cium videlicet sibi moliens, vel inter duas tuni-

cas, vel sub certis membranis. Excoriat autem omnino ipsa copia distendens. Hoc malũ Latini abscessum vocant. Inueniuntur autem in huiusmodi abscessibus, vbi aliquandiu perdurauerint, quum scalpello diuiduntur, proprietas quędã non paucæ, nec humorũ modo, sed etiam solidorũ quorundam corporum. Siquidẽ vnguibus, pilis, ossibus, testis, lapidibus, carbonibus, arenis, lignis, pororũ fragmẽtis, limo & sorditiei balnei, fæci ac amurcę similia inuenta in ijs corpora sunt. Quod pleriq; ignorantes, incantationis cuiusdam ui ac potẽtia fieri arbitrantur. Abscessus aũt duplex genus est. Vnum, cũ phlegmone in pus cõuersa, pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectũ. Alterum, quũ nulla præcedente phlegmone humor aliquis statim ab initio in parte aliqua colligitur. ἀπόσκημμα est quando humores qui prius vnã partem infestantes, ea relicta ad alteram transferuntnr. Latini decubitum, aut illapsum humorũ ab vno loco in aliũ appellant. στέατωμα est abscessus in quo veluti pingue quiddã seu adeps subest. ἀθέρωμα itidem abscessus est in quo pulti similis humor cõtinetur. Neq; enim ἀθήρα vox aliud Græcis q̃ pultem farinamue triticeam significat. μελικηρὶς ex abscessuũ est genere, qui mellis modo ac similitudine humorem in se habet. γάγγραινα est quando pars aliqua corporis ob magnitudinẽ inflãmationis emoritur. Neq; tamen iam confirmatã mortificationẽ sic nominant, sed quæ etiamnum fit. Vbi vero pars perfecte & in totum emortua, ac sensu vitaq; destituta fuerit, malum non gangræna, sed σφακιλος Græcis, Latinis autem syderatio vocatur. ἕρπης passio fit quoties flaua bilis pura, nulloq; alio humore admixto, excreta in aliqua parte

Abscessus.

Abscessus duplex.

ἀπόσκημμα.

Decubitus

στέατωμα.

ἀθέρωμα.

μελικηρίς.

γάγγραινα.

σφακιλός.

Syderatio.

ἕρπης.

Herpes.

consistit. Quæ si substātia crassior fuerit, & acrior, totam cutem ad subiectā vsq; carnem exulcerat, appellaturq́; ἕρπης ἐσθιόμενος, hoc est, herpes exedens. Si vero tenuis, & minus acris calidaq́; fuerit, exiguas pustulas milio similes per summam cutē excitat ob eamq́; similitudinem Græcis κεγχρίας ἕρπης id est, miliaris herpes dicitur. ἐρυσίπελας proprie, Galeno autore, tumor est ex feruente tenuiq́; sanguine conflatus. Vel ex sanguine & flaua bile calidioribus quàm oporteat mixta fluxio. Erysipelas autem vel absque exulceratione, vel vnà cum hac incidit. Latinis ignis sacer nominatur. Quum igitur nec planè biliosa, nec sanguinea fluxio est, sed ex ambabus mixta, vtique ab eo quod in mixtura exuperat, nomen ipsi inditur. Si enim sanguis excesserit, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, hoc est, inflammatio erysipelacea vocatur. Flaua vero bile exuperante, ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες, id est, erysipelas inflammatum. βουβὼν tumor est in glandulis, qui propter vlcus quod in collo, capite, manus ac pedis digito vel aliqua vicina parte natū, oritur. Per pestilentiam etiam præsenti periculo in fœmoribus, alis, & collo bubones ingruere solēt.

Herpes exedens. Miliaris herpes. ἐρυσίπελας. Ignis sacer. φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης. ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες. βουβών.

φῦμα, Galeno teste, glandium inflammatio quæ cito augetur, & ad suppurationem festinat. Aliorū vero quorundam sententia, communiter omnes præter naturā è quacunq; corporis particula erūpentes tumidi abscessus seu tumores, phymata nuncupātur. Latini tubercula vocant. φύγεθλον, Celso autore, glandulæ tumor non altus, sed latus est, in quo quiddam pustulæ simile est, panis similitudinem habens. Hinc Latini panum etiam appellāt. δοθιὴν tumor est abscessum prę se ferens, ex crassis humoribus, in carnosis plerunq; partibus consistens.

φῦμα. Tubercula. φύγεθλον. panum. δοθιήν.

stens. Mitis quidem, quum in sola cute coierit: malignus autem ubi ex alto in superficiem, & summã cutem emergit. Latinis furũculus dicitur τέρμινθος tumor præter naturam, seu enascentia nigri coloris in tibijs maxime consistens nominatur. Sic dictus, quod similitudinem in figura, colore atq; magnitudine cum terebinthi fructibus habeat. Paulus ex Oribasij autoritate terminthum tuberculi speciẽ esse asserit, cui pustula nigra supra infraq; adiaceat, qua rupta id quod subiacet desquamato simile apparet, quo quidem dissecto, pus deprehenditur. Dioscorides autem Alexandreus ait, terminthũ esse eminentiam in cute consistẽtẽ, rotũdam, nigrouiridem, terebinthi fructum referentẽ. οἴδημα laxus mollis'ue ac dolore uocans tumor est. Latinis pariter cum Græcis œdema dicitur. Barbari, ut solent, corupta uoce undimiam nominant. Hac quidẽ in significatione usurpatur à Galeno, ac alijs hũc secutis Græcis medicis. Hippocrates tamen, ut multis in locis suorum cõmentariorum testatur Galenus, omnes præter naturã tumores, οἰδήματα appellat. ἐμφύσημα est quum spiritus flatuosus nunc sub cute, nunc sub membranis quæ ossibus circunfunduntur aut musculos ambientibus coaceruatur. Porro colligitur is aliquando in ventre & intestinis, itemq; in medio horum spacio & peritonæi. Latini inflationem, barbaram sectantes medicinam apostema uentosum nominant. σκίῤῥος tumor est præter naturã, sensus expers, & durus. χοιράδες glandulæ sunt in duratæ, vnde in collo, alis, & inguinibus ferè generantur, vbi glandulæ vasis substratæ collocantur. Latini strumas vocant. Nostri scrophulas, à suibus multiparis animalibus, & eo malo frequenter

Furunculus, τέρμινθος.

οἴδημα.

ἐμφύσημα.

Inflatio.

σκίῤῥος.

χοιράδες.

Strumæ.

θύμΘ. laborātibus mutuato nomine appellant. θύμΘ carnosa est excrescentia, nunc in glande, nunc in præputio, nunc in ipsa sede cōsistens. Sic dictus, quod corymbis thymi similis sit. Thymorum autem alii mites, alii maligni. Mites sunt exigui, scabri, candidi dolore carentes: fieri autem ampliores, scabriores, liuidi, & dolorifici.

κιρσός. κιρσὸς καὶ ἰξία tumor seu dilatatio est venæ aliquando in temporibus, aliquādo in ima ventris parte sub vmblico, nonnunquā etiam circa testes, sed maxime crura consistens.

Varix. Latinis varix dicitur.

θλάσμα. θλάσμα fit quum caro vel ossiū aliquod molle, sub irruēte extrinsecus aliquo violento, valido, & duro corpore ita colliditur, vt partis læsæ externa facies integra permaneat, &

Contusio. in profundo sint multæ ac paruæ diuisiones. Latini contusionem & collisionem vocant. Quod si vero concauitas aliqua à collidentis corporis ictu

ἔνθλασις. inducta appareat, ἔνθλασις, id est,

Illisio. illisio nominatur.

ἐκχύμωσις. ἐκχύμωσις καὶ ἐκχύμωμα est vbi sanguis ex contusione aut ruptione cutem subit atque liuescit. Latinis effusio dici potest.

ἀνεύρυσμα. ἀνεύρυσμα tumor blandus tactu est, digitisq; cedens, sanguine & spiritu contractus. Vel, vt Galenus ait tumor est ex vulnere arteriæ tumoriens, quum incumbens ipsi arteriæ cutis ad cicatricem peruenerit, verum arteriæ vlcus neque concreuit, neque cicatricem recepit, neq; carne obturatum est. Barbaris corrupta voce emborisma, & mater sanguinis nūcupatur. Apud Græcos à dilatatione ipsius

ἄνθραξ. arteriæ nomen habet. ἄνθραξ fit quū sanguis crassus, & feruescens in aliquam corporis particulam

Carbunculus decumbens, cutim exusserit Latini carbunculū vocant. Incipit plerunq; à pustula ambustis cōsimili, interim vero & sine hac. Qui hoc malo corripiun

tur, particulam omnino scabunt, vnde pustula orta rumpitur, atque adeo vlcus cum crusta gignitur. ἐπινυκτίδες vlcuscula sunt sponte sua erumpentia, pustularum figura, subrubra, quibus disruptis sanies cruenta defluit. Nomen hinc acceperunt, quod interdiu quidem non multum infestent, noctu vero grauiore dolore torqueant. ἐπινυκτίδες.

φλύκταιναι καὶ φλυκτίδες paruæ sunt pustulæ veluti bullæ, similes iis quæ in corpore à feruida aqua torrefacto contingunt. Hippocrati φλύσεις dicuntur. Singulæ vero appellationes ἀπὸ τοῦ φλύειν, hoc est, ab ebullitione & feruore sunt factæ. φλύκταιναι.

χείμετλα vlcera sunt quæ hyberno tempore in manuum pedumque digitis, nec minus in posteriore calcaneo oriuntur, Latini perniones nuncupant. χείμετλα. Perniones.

κηρίον tumor est qui in cute foramina habet, per quæ humor mellis crassitudinem habens excernitur. Latini fauum nominant. κηρίον.

ἀπόσυρμα dicitur quando casu, aut quopiam violento offensu cutis auellitur. νομὴ vlcus est putridum, quod ad sanas partes pascendo serpit. νομή.

φαγέδαινα vlcus est quod serpendo propinquas adiacentesque sanas partes exedit. φαγέδαινα.

χειρώνια vlcera dicuntur inueterata, & quæ vix curam recipiunt, cicatricemque difficillime contrahunt. Sic dicta, quod Chirone medicinæ peritissimo ad sanationem indigeant. χειρώνια.

τηλέφιον vlcus est tantæ malignitatis, vt salutarem Achillis manū requirat. Telephus enim Mysiorum rex huiuscemodi vlcere consenuit, nec nisi noua medicinæ ratione, ab autore mali Achille sanari poterat, id quod Ouidius iis carminibus innuit: τηλέφιον.

Vulnus Achilleo quę quondam fecerat hosti
Vulneris auxilium, Pelias hasta tulit.

κακοήθη Græcis in vniuersum antiqua & inuete- κακοήθη.

rata, maligna, ægerrimæq; cicatricem ducentia vlcera dicuntur. θηριώδη iijſdem vocantur vlcera quæ aſperius ſæuiunt. Latinis ferina, à feritate nominantur. κόλπος eſt quando cutis quæ vlceribus adiacet, multo ſpacio ſubiectis corporibus ſeparata eſt, vt agglutinari ei non poſſit. Latinis ſinus vocatur. σύριγξ ſinus eſt calloſus, magna ex parte ab abſceſſibus conſiſtens. Latinis fiſtula dicitur. Sic vero per tranſlationem à fiſtulis ex arundine, aut alia quapiam materia confectis appellatur. Siquidem in ea cauitas quædam deprahenditur, arundinum cauitatibus ſimilis. ὑπόνομα ἕλκη, vlcera ſunt quæ pluribus tranſuerſiſq; itineribus quaſi canalibus per latitudinem putreſcunt. Latini cuniculoſa appellant. παρατρίμματα fiunt atterentibus & vrentibus in itinere pedes anguſtis calceis, confricatiſq; longa equi vectione feminibus, & in ſumma ex mutuo partium inter ſe affrictu nata Latini intertrigines. Plinius vero attrita vocat. Hæc de tumoribus præter naturam, & vlceribus dixiſſe ſatis ſit.

θηριώδη. κόλπος. Sinus. σύριγξ. Fiſtula. ὑπόνομα. παρατρίμματα. Intertrigines. Attrita.

De ſymptomatis Cap. XLII.

Symptomatis vox, Galeno in libro de ſympt. differen. autore, bifariam ſumitur, generatim & ſpeciatim. Generatim ſumptum, quicquid præter naturam animanti accidit, ſignificat. Hoc modo & morbi, & eorum cauſæ internæ, ſymptomata dici poſſunt. Speciatim vero acceptum quicquid præter naturam ſe habet, exceptis morbis & cauſis, denotat. Sic ſumptum ſymptoma nihil aliud eſt quàm affectus præter naturam, qui velut vmbra morbum ſequitur. Hinc eſt quod à nonnullis medicorum alio nomine ἐπιγέννημα, hoc eſt, ſuccedens, appelletur. De ſymptumatis itaq; ſpe-

Symptoma bifariã capitur. Generatim. Speciatim. ἐπιγέννημα.

ciatim acceptis, in præsentia differemus, quæ trifariam distinguuntur. Alia enim actionum noxæ sunt, alia corporis nostri affectus, alia quæ vtraq; per immodicas excretiones & retentiones sequuntur. Porro noxæ actionum duæ sunt primæ d f feretiæ: uel enim sunt animalium, uel naturalium. Rursus animalium actionum noxæ trifariam secantur: uel enim sunt sensilium, ut est uisus, auditus, gustus, odoratus, & tactus amissus prorsus, hebes, uel deprauatus. Vel sunt motricum actionum, ut est immobilitas partis, & difficilis motus. Vel principum actionum, uerbi gratia imaginationis, cogitationis, & memoriæ abolitæ, deficientis uel deprauatę. Naturalium actionum noxæ sunt, appetentia, concoctio, digestio, pulsatio, attractio, alteratio, retetio, expulsio abolita, imbecilla, vel deprauata. Affectus nostri corporis sunt quadruplices, visiles nimirum, vt sunt colores præter naturam, totum corpus, partem vnam, vel plures occupātes. Olfactiles, vt fœtores aurium, narium, axillarum, & aliarum partium putrescentium, ructus fumosi, & fœtidi. Gustatiles, sapores præter naturam. Tactiles, vt durities, tonsio, ariditas, flacciditas, & rugositas cutis. Cæterum ea quæ præter naturā vel excernuntur à corpore, vel detinentur, per tres differentias prima sectione diuiduntur: vel enim tota substantia præter naturam sunt, vt hæmorrhagia: vel qualitate à naturali habitu aberrant, vt mensium profluuium: vel quantitate à naturali habitu recedunt, vrinæ & sudoris excretio vel detentio: quæ singula Galenus copiosissime in libro de symptomatum causis prosequitur, quē nos in tabulam, quæ tertia ordine est, redegimus.

Triplicia symptomata.

Noxæ actionū

Affectus nostri corporis.

Quæ præter naturam excernuntur, uel retinentur.

De ea parte medicinæ quæ σημαωτικὴ Græcis dicitur. Cap. XLIII.

HActenus pro compendij ratione eam medicinæ partem, quæ res præter naturam inquirit, & à Græcis αἰτιολογικὴ nuncupatur, expediuimus: nunc reliquum est vt eam quę ab iisdem σημαωτικὴ nominatur, breuiter attingamus. Hæc vero est, vt suprà cõmemorauimus, quæ præteritorum cognitionem, præsentium inspectionem, & futurorum prædictiones continet. Quæ sanè medicinæ pars eo ex actius perdiscẽda erit, quo plures sunt eius commoditates. Primum enim hæc ipsa morborum ac passionum corporis cognitionem suggerit, quæ certe tam est necessaria cognitu res, vt hac destitutus medicus, nullum à corpore malum profligare queat. Proinde vt eam cognitionem medicinæ studiosi felicius consequantur, hortor vt Galeni de patientib. locis libros sex, in quibus ex professo hãc rem agit, diligentissime excutiãt, ac planè deuorent. Hac enim lege fiet, vt cuiusq; partis, potissimum vero eius quę sensum effugit, atq; adeò cuius passiones difficilime deprehenduntur, morbos ac mala promptissime dignoscant. Altera cõmoditas prædicendorum, præteritorum, præsentium & futurorũ, est ea quod ægrotantes huic qui præsentia, præterita & futura coram illis præsentit, libentius pareant, eiq; audientius sese committant, atq; adeò strenue hunc in oppugnando morbo iuuent. Proinde cum subinde ægrotantes vnà cum medico morbis reluctentur, fieri haud potest quin salutaris consequatur curatio, atq; è corpore prorsus morbus propulsetur. Tertia quę prædictiones consequitur vtilitas est, quod is qui victuros moriturosq; prædixerit, mor

σημαωτικὴ.

Cõmoditates σημαωτικῆς.

tis crimine prorsus vacabit. Quod vtiq; crimē eo maiori studio euitabimus, quo hodie plures sunt qui hoc nomine passim male audiunt. Quare sapientissime in lib. de constitutione artis medicæ Galenus dixit, præsagia medicum à mortis crimine vindicare, ægrosq; reddere obtemperantes. Iam dictis hæc quoq; accedit commoditas, quod ad consequendam laudem atq; admirationem eorum qui nostra vtuntur opera, nihil æque ac ipsa prouidentia præsagiendiq; scientia conducat, quēadmodum Galenus lib. 5. de patientib. locis, cap. 7. ex Glauci historia copiose monstrat. Prudenter itaq; ab Hippocrate nostro dictum est, optimū esse vt medicus prouidentiam, ac prædicendi sententiam studiose sectetur. Cæterum cum eam medicinæ partem post Hippocratem nemo Galeno nostro diligentius, felicius, ac copiosius tradiderit, erit & hæc, vt oēs aliæ medicinę partes, ab eodem petenda & discenda. Tametsi vero in plerisq; suorum monumentorum hanc attigerit, nusquā tamē copiosius, melioreq; ordine, quàm ĩ iis libris quos de crisibus, seu iudiciis inscripsit. In iis enim quicquid ad vniuersam ferè prædicendi artem spectare videtur cumulatissime perscripsit, id quod meipse lib. 3. prog. comm. 1, iis testatus est verbis: Cuilibet, inquiens, exquisita ratione præsentire futura, huic commentarii de iudicibus inscripti, reuoluēdi sunt. Quæ cum ita se habeant, operæpretium me facturum arbitratus sum, si hoc in loco quæ ille in iis libris diffuse docuit, compendiose percenserem. Principio itaq; tenendum erit quid sit crisis. κρίσις autē Latini nihil aliud quàm iudicium significat, & in pręsentia nō est nisi subita & præceps in morbo mutatio. Sic enim crisim defi-

1. prognost. 1.

κρίσις quid.

nit Galenus lib. 3. præsag. cõm. 1. & lib. 2. aphor. cõm. 13. &. 23. & lib. 1. Epid. cõm. 3. Tráslata vero hæc vox est de iudiciali foro, in quo sanè vt inter eum qui accusat, & alterum qui accusatur, atrocissima pugna existit, vnusq; vincit, alter vero superatur, sic etiam in iudicatione morbus & natura acerrime inter se pugnant, vt subinde æger nihil aliud quàm illi qui in iudicio de morte aut vita audiunt sententiam, expectet. Porrò mutatio hæc repentina quadrifariam fieri solet: aut enim confestim liberãtur à morbis ægri, aut magnam in melius mutationem obtinent, aut statim moriuntur, aut multo deteriores euadunt. Quod Hippocr. libr. 1. Epid. sect. 3. ijs innuere verbis voluit dicens, δεῖ προσέχειν τὸν νοῦν καὶ εἰδέναι ἐν τοῖσι χρόνοισι τούτοις κρισίας ἐσομένας ἤδη σωτηρίην, ἢ ὄλεθρον, ἢ ῥοπὰς ἤδη τὸ ἄμεινον, ἢ χεῖρον. Prima harum mutationum quæ in morbo nihil reliqui facit, & subito ad sanitatem peruenit, crisis simpliciter appellatur. Altera quæ non integrè à morbo vindicat, sed tamen effatu dignam in melius permutationem efficit, crisis ἐλλιπὴς, id est, deficiens nominatur. Tertia mutatio, crisis mala dicitur. Quarta quę insigniter ad deteriora declinat, ἀτελὴς, hoc est, imperfecta & mala nuncupatur. Ex ijs omnibus perspicuum fit, mutationes eas q̃ paulatim fiunt, vel scilicet virtute debilitata, vel morbo non crises, sed simpliciter λύσεις hoc est, solutiones nuncupari. Neq; aliquem perturbet, quod Galenus lib. 1. de diebus decretorijs crisim aliter definit, nempe esse subitam in morbo turbationẽ: ipse enim in nullo discrimine ponit siue quis crisim subitam in morbo mutationem, siue turbationẽ quæ hãc pręcedit vocet, ut ex principio libri

Mutatio repentina seu crisis quadrifariã fit.

Crisis simpliciter.

Crisis deficiens

Mala crisis.

Crisis iperfecta

Solutio morbi.

primi de crisibus satis manifestũ fit, modo is, quo hæc tempore accidant prædicere queat. In lib. etiam secundo de diebus decretoriis diserte scribit crisis significationem exquisitam non perpetuo seruari, sed à nonnullis dici perturbationem quæ in subitam mutationẽ morbi finitur. Ad crisium vero seu iudiciorum prædictionem in primis necessaria est quatuor morborum temporum, vigoris potissimum, cognitio. Tempus autem morborum appellamus eorundem ætatem, quæ successionis vicissitudine mutatur, metaphora ab animalibus sumpta. Vt enim hæc postquam genita sunt ad vigorem vsq; augentur, subinde vero tabescentia ad extremam vsq; corruptionem perueniunt: sic etiam morbi iuxta primam eorundẽ generationis constitutionem, via quadam ad vigorẽ vsq; progrediũtur atq; increscunt, donec pro incrementi prioris portione decrescentes in totum dissoluantur. Vt autem non omnia animantia ad extremam ac constitutã vsq; senectutẽ perueniũt, atq; adeo omnes ætates pertranseunt: ita nec oẽs morbi, ob eorum malitiam ac ægrotantium imbecillitatem, singula tempora attingere possunt. Sũt autem tempora morborum numero quatuor, principiũ, incrementum, vigor, & declinatio. Hæc autem vniuersi morbi tempora à quibusdam vniuersalia vocantur, vt quæ à particularibus differãt, in quæ singulæ accessiones diuiduntur. Principium itaq; trifariam dicitur. Primũ propriè primus exquisite insultus, seu prima morbi inuasio, quę simplex est, & omni latitudine caret appellatur. Secũdo principium est quod latitudinem obtinet, & ad tertium vsq; diem extenditur. Tertio principium quod maxime à medicis intelligitur, est to-

Quæ ad crisiũ prædictionem necessaria

Tempus morborum.

Quatuor numero morborũ tẽpora.

Vniuersalia.

Particularia.

Principiũ trifariam dicitur.

tius morbi pars, quæ coctionis signis definitur. Tunc enim primũ finitur morbi principium, quũ coctionis signa manifesta apparuerint. Alterũ morbi tempus, quod Græcis αὔξησις, ἐπίδοσις, καὶ ἀνάβασις, Latinis vero augmentum, incrementum, & ascensus dicitur, est id quod statim post principiũ incipit, & ad vigorem vsq; durat. Tertium quod Græcis ἀκμὴ, Latinis vigor, & status nominatur, est uehementissimum totius morbi tempus. Quartum tempus quod vigorem sequitur, Græcis παρακμὴ, Latinis autem declinatio appellatur. Iam vniuersalia morbi tempora definiuimus, reliquum igitur est vt particularia quoq;, in quę singulæ accessiones, παροξυσμοὺς Græci vocant, diuiduntur, breuiter, febrilis accessionis exemplo, explicemus. Huius siquidem principiũ est, quod extremis partibus refrigerationis sensum præbet. Incremẽtum, vbi frigus desinit, corpus vero incalescit, non tamen exquisito calore. Vigor, vbi calor æqualiter in totum diffunditur corpus, minimasq; eius particulas obsidet. Declinatio est vbi calor imminuitur. Cæterum quum quatuor temporum vniuersalium morbi cognitio, ad crisiũ prædictionem vnicè conferat, vt dictũ est, danda opera ut illorũ notitiam, quoad fieri potest exquisitam, cõsequamur. Principij igitur morbi finis adhuc futurus, quinq; rationibus deprehenditur. Primũ ex morbi ipsius natura, & differentia: febres siquidem ardentes, pleuritis, inflammationes viscerum, & similes passiones, breuis temporis principium habẽt: contrà epilepsia, coxendicum & renum dolores, longi tẽporis. Sic quidem à morbis ipsis futurus principij finis deprehenditur. Secundo à temporibus anni. Morbi enim ęstate euenientes breuius,

Incrementum. ἐπίδωσις. Augmentum. αὔξησις. Ascensus. ἀνάβασις. Vigor seu status. ἀκμή. Declinatio. παρακμή. παροξυσμός. Quatuor tẽpora febrilis accessionis.

Principiũ morbi ut dignoscẽdum.

hyeme vero inuadentes longius principium habent. Id quod Hippoc. ijs etiam verbis innuere voluit: Aestiuæ quartanæ magna ex parte breues: autumnales longæ, & maxime quæ hyemem attingunt. Tertio ex ætate & natura laborantis, quæ si ad calidum declinauerit, modicum tempus erit necessarium ad manifesti signi coctionis generationem. Contrà si frigida fuerit, longius tempus principii morbo erit. Quarto ex regione in qua ægrotans decumbit, hæc enim perinde atq; ætas vel breuius, vel longius principij tempus efficiet. Quinto ex victus ratione quæ antecessit, is enim si calidior & siccior fuerit, biliosius atq; adeo calidius & siccius corpus reddet. Sin cõtrà frigidior ac humidior, pituitosum reddet corpus. Calidos vero morbos abundare in biliosis, vt in pituitosis corporib. frigidos, nemo est qui nesciat. frigidos autem morbos calidioribus, vt ex ijs quę commemorata sunt, esse diuturniores, atq; adeo longius habere principium, omnib. perspicuum est. Perfecti autem & iam completi principij manifestum & firmum signum est coctio manifesta. Augmentũ morbi ex tribus, nempe hora in qua fit accessio, lõgitudine eiusdem & magnitudine deprehēditur. Nihil aũt differt si vehemētiam dixeris: duo siquidem hæc nomina apud medicos vsitata sunt, & sępius de vna eademq; repronunciantur. Quũ enim accessio similem anticipauerit proportionem, atq; ita anticipando ad longius extenditur tempus, atq; insuper vehementius afflixerit, tunc manifestũ est morbi augmentum. Quantum vero augeatur, vnumquodq; dictorum monstrabit. Siquidem accessio plurimo tempore anticipans, id est, multo celerius inuadens, & longius, ac multo

2. aph. 15.

Augmenti cognitio.

Magnitudo & vehemētia idē significant.

etiam vehementius affligens, effatu dignum indicabit augmentum. Vigorem vero indicant, si in eisdem permanserint, & sibiipsis perquàm simillima fuerint. Est enim vigor, vt dictum est, totius morbi vehementissima pars, præsertim si laudabiles crises futuræ sint. Declinatio contrariis incremento signis deprehenditur, videlicet si tardius quàm consueuerunt accessiones fiant, si breuiori tempore durent, minusq; affligent, ac præcedentib. mitiores sint. Hactenus vt morbi tempora vniuersalia sint dignoscenda, & quod illorum cognitio ad futuram crisim prænoscendam necessaria sit, ostendimus. Tametsi vero omnium partium morbi cognitio ad prænoscẽdas crises necessaria sit, tamen præ omnib. hanc quæ vigor seu status dicitur, præcognoscere medico est necessariũ, idq; tribus de causis. Primũ, quod sciri non queat vtrũ crisis futura sit nec ne, & quum sit, qualis sit, nisi eius præcognitio habeatur. Quũ enim futura crisis bona, non nisi ex præcedẽtib. exquisitis coctionib. præcognoscatur, & hæ non nisi tẽpore status appareant, consequitur hunc veluti regulã quandã esse crisium, atq; adeo vt præcognoscatur medico summè esse necessarium. Dein hoc etiam nomine vigor morbi præcognoscendus, quia si hoc tẽpore morbi crisim habuerint, fieri non potest vt in declinatione habeant. Quicunq; enim morbi vigoris tempus semel præterierint, hi sine crisi perseuerant, & paulatim soluuntur. Nullum deniq; est mortis periculum vigoris tempore elapso, quandoquidem experientia & ratio testetur, nullũ vnquam in declinatione, vi morbi, periisse. Tertio hac etiam causa vigoris tempus medico præcognoscendum, quod si moriturus est æger aut nõ

Vigoris dignotio.

Declinationis cognitio.

Vigor morbi tribus de causis in crisib. prædicẽdis cognoscẽd.

nemo sciet, nisi vigoris tẽpus præcognouerit. Tũc enim primum mori ægrotantem est necessarium, quando vires præ morbi violentia succubuerint. Et quidem vtrum prius superabitur sciri haud potest, si vigoris tempus futurum incertũ fuerit. Nã si crisis intra vnum diem esse debeat, seruabitur æger antequam vires à morbo prosternantur. Si vero ante viginti dies, si sic accidat, nõ possit aduenire crisis, fieri potest vt interim natura fatigetur, adeò vt eisdem ægrotantibus apparentibus, alter quidem seruetur, alter moriatur ob futuri vigoris tempus. Quare cum ex vigoris tempore medicus sciat nunquid ægri vires sufficiant necne, non potest etiam conueniens victus ratio adhiberi, si hoc non præcognoscatur. Ratio itaq; cogit in nullo sic medico esse exercitandum, atq; in futuri vigoris præcognitione. Porrò antequam doceamus vt futura crisis sit præcognoscenda, signorum nobis differentia tradẽda erit. Triplex itaq; signorum omniũ differentia & natura. Primi enim generis sunt coctionis & cruditatis signa, vt alui excrementa, vrinę, & sputa. Egestiones quidem inferioris ventris, vel coctionem vel cruditatem significant. Vrinæ vero, venosi generis, quemadmodum sputa & excreationes instrumentorum respirationi seruientium. Hæc nimirum signa semp stabilem propriam habent potestatem, quocunq; morbi tẽpore apparuerint. Coctionis enim signa, semper salutem cruditatis autem vel omnino nullum futurum iudicium, aut prauum, aut dolores, aut diuturnitatẽ, aut mortem aut recidiuã, Hippocrate primo Epid sect. 2. constit. tertia teste, portendunt Alterius generis sunt salutis & mortis signa, quæ nimirum cũ vrina, alui excrementis, sputisq;

Signorũ triplex differentia & natura.

Coctionis & cruditatis.

Salutis & mortis signa.

excernuntur, facilis spiratio, leuis tolerantia, bonitas pulsuum, facilis somnus, facies simillima sanis, decens decubitus, sudor, & ijs cōtraria quæ singula in præsagijs Hippocrates commemorat. Tertij generis signa iudicatoria dicuntur, & horum quidem natura duplex est: aliqua enim tanquam causæ & signa sunt, ut vomitus, excrementa alui, vrinarum multitudo, sudores, sanguinis è naribus profluuium, parotides, decubitus seu illapsus humorum ex vno loco in alium, ἀποσκήμματα Græci vocant. Aliqua vero tanquam signa solum habentur, vt delirium, vigiliæ, commata seu sopores, inquietudines, difficilis spiratio, obtenebrationes, difficilis sensus, dolor capitis, colli, & stomachi, aurium sonitus, splendores, lachrymæ inuoluntariæ, nox absq; ratione molesta, labrum inferius agitatum, obliuio, astantium ignorantia, uehemens rigor, accessio anticipans, facies unà cum oculis & naso rubescens, hypochondriorum retractio, nausea sufficiens, æstus, & suis vehemens. Omnia itaq; iam à nobis commemorata quatenus subitam mutationem ostendunt, signa κρίσιμα, id est, iudicatoria appellantur. Secundum vero propriam eorum substantiam considerata, quatenus scilicet morbos sequuntur, symptomata iudicatoria nominantur. Habent autem hæc eadem non semper stabilem, ut coctionis & cruditatis, potestatem, quocunq; tempore morbi apparuerint: veris bona quidem sunt cum post coctionem, hoc est, in statu apparuerint: quum vero in principio: & ante coctionem fiunt mala. Hæc de signorum natura in præsentia sufficiant, reliquum est vt quibus signis crisis futura possit præcognosci dicamus, exorsi ab indicijs bonæ crisis iam instantis, quæ præ

Signa iudicatoria.

Indicia proximae futurae iudicationis.

Symptomata decretoria.

Crisis bonæ iã instantis notæ.

cipua quidem tria sunt. Primum enim & maximum instantis ac præsentis bonæ crisis iudicium sunt coctiones. Nam vt Galenus etiam testatur, nemo vnquam mortuus est qui præcedentibus coctionibus crisim habuit. Coctiones autem ex vrinis, egestionib. & sputis, de quibus suis agemus locis, consideran dæ sunt. Non est tamen omnibus signis coctionis eadẽ dignitas. Sed in morbis quidem thoracis atq; pulmonis sputa præcipue, vt antea etiam dictum est, animaduertenda sunt, non tamen vrinarum contemplatio negligenda, sed & egestiones inspiciendæ. Si vero tantum febricitẽt sine alicuius visceris affectu, aut inflammatione iecoris, vel renum, vel vesicę, vel lienis, maxime vrinis animum adhibere oportet: sicut si circa ventriculum sit, primum excrementis alui, sed non possunt subinde negligendæ vrinæ. Semper enim quum febris affuerit. vel ex sola putredine humorum accensa vel ex parte inflammationem patiente, præcipue vrinæ inspiciendę sunt, atq; ex ijs coctiones agnoscendæ. Secundum bonæ crisis indicium est, vt ab aliqua die indice prius indicetur, cui sanè annexa est diei iudicatoriæ potentia. Hæc sanè vt rectius assequantur à medicinæ studiosis, animaduertendum erit dierum decretoriũ seu iudicatoriorum, in quibus firmæ pariter ac plurimæ fiunt mutationes naturam non solum Galenum, verumetiam Hippocratem cognouisse, ac in quosdam circuitus, quos quaternarios ac septenarios vocarunt, diuisisse. Septenarium vero circuitum validiorem esse, potestate autem secundum quaternarium affirmarunt, & ab eodem futuram in septenarijs circuitibus iudicationem indicari dicebant. Hinc est quod quater-

Primum.

Non omnibus signis coctionis eadẽ dignitas

Secundum.

Dies decretorij & indices qui.

Quaternarij Septenarij

ἐπίδηλοι. narii Hippocrati & aliis medicis Græcis, ἐπίδηλοι καὶ θεωρητοὶ, hoc eſt, indices & contemplabiles nominentur, quod in iis ſcilicet quales futuri ſint dies proximi iudicatorii, contemplari liceat, atque adeo quod ſequentes dies decretorios indicent.

Lib. 2. aph. 24. Quartus enim dies, Hippocrate etiam teſte, ſeptimi, vndecimus decimiquarti, decimusſeptimus vigeſimi, vigeſimusquartus vigeſimiſeptimi, trigeſimusprimus, trigeſimiquarti, trigeſimusſeptimus quadrageſimi index eſt, & ſic deinceps vſque ad centeſimum. Cęterum voluit etiam Hippocrates,

Hebdomadæ ut numerandæ. vt hebdomadæ hoc modo numerarentur. Duæ quidem primæ à ſe inuicem diducuntur ac ſeparantur: alterius enim ſeptimanæ initium octauum eſſe diem dixit: tertia vero ſecundæ ſeptimanę copulatur, vltima ſiquidem ſecundæ hebdomades dies, tertiæ etiam principium exiſtit. Vnde omnibus perſpicuum fit, Hippocratem vigeſimum diē tertii ſeptenarii nouiſſimū eſſe, perinde atque ſexti ſeptenarii quadrageſimum diem, perhibuiſſe, & minimè decimumquintum & vigeſimumprimū, quemadmodum nonnulli poſt ipſum falſò exiſtimauerunt: quæ ſingula ſtudioſi ex ſequenti ſchemate, luce meridiana clarius, cernent.

Dierum

DIERVM DECRETORIORVM PARTITIO.

	Indices.	Decretorii.	Indices.	Decretorii.	Indices.	Decretorii.
Dies.	84	87	91	94	97	100
	64	67	71	74	77	80
	44	47	51	54	57	60
	24	27	31	34	37	40
	4	7	11	14	17	20
Quaternarii.	13	14	15	16	17	18
	7	8	9	10	11	12
	1	2	3	4	5	6
Septimanæ tres.	IIII,	III.	IIII,	III.	III,	III.
	Prima.		Secunda.		Tertia.	
Septenarii.	1		2		3	
	4		5		6	
	7		8		9	
	10		11		12	

Cæterum quum duplex sit tum vsus, tum natura decretoriorum dierum, factum est vt etiam Hippocrates duplicem eorundem doctrinam instituerit. In aphorismis siquidem & prognosticis, eorum qui secundum quaterniones & hebdomadas septenarios'ue inuicem connexi sunt mentionem fecit. In primo autem Epid. sect. tertia, non horum modo, verumetiam omnium aliorum coinciden- tium meminit. Vocantur vero intercidentes, quod scilicet inter indices & decretorios dies intercidant. Differunt autem inter se mutuo duplices ii decretorii dies, natura, & vsu. Natura siquidem, quod naturæ suæ ratione priores perfecti sint, & quod omnibus recte factis, solius naturę motu, ac nullo alio impellente in iis crises fiant. Maximam itaq; vim habent dies decretorii qui secundū quaternarios ac septenarios diuiduntur. Intercidentes autem minus perfecti sunt, & in eos non nisi erratis quibusdam interuenientibus, crises transferuntur. Multo igitur minorem quàm priores vim obtinent: neq; enim naturæ motu, sed morbi malitia, aut extraneo aliquo impellente, in his crisis accidit. Atq; hinc est quod à nonnullis prouocatorii, quod nimirum in iis natura prouocetur in pugnam, nominentur. Vsu etiam differunt, quia ad futuri vigoris & iudicii cognitionem quaternionum circuitus sufficiunt. Ad crisim vero iam factam discernendam, num scilicet fida aut infida sit, intercidentium cognitio conducit. Scire autem fidā aut īfidā esse crisim, ad uictus rōnem iis q iam iudicati sunt recte præscribendam, confert. Sed ad institutum reuertentes, quod sit tertium bonæ iudicationis indicium exponemus. Est autem vt excretionis modus seu forma, morbo conueniat &

Intercidentes dies.

Prouocatorij

respondeat. Verbi gratia, si sit febris ardens, vel sanguis è naribus profluat, vel post vehementem rigorem sudor multus & calidus per vniuersum emanet corpus, aut per vomitum, aut per aluum aliquid biliosum excernat æger, necesse est. Sic etiã tertiana vomitibus, & egestionibus biliosis, ac sudorib. toto corpore fluentibus finiri debet. Plurimum vero pituitæ in quotidianis febribus excernatur, & multi in corpore sudores fiãt oportet. Iudicat autem & phrenitidem sudor multus, & præcipue si ex capite multus & calidus promanauerit, sudante simul reliquo corpore. Contingit vero interdum, quod etiam per sanguinem è naribus profluentem phrenitis firmiter iudicetur. Neq; tamen lethargus, neq; peripneumonia, fluxum sanguinis amant. Inter has autem passiones pleuritis mediũ obtinet locum: minus enim quàm febris ardens, & phrenitis, magis vero quàm peripneumonia & lethargus profluuio sanguinis è naribus soluitur. Soluit autem satis lienis & iecoris inflammationes sanguis è naribus profluens, quum hæc viscera vnà cum acutis febribus inflammatione laborauerint. Omnes deniq; quæ iuxta hypochondria fiunt calidæ & acutæ inflammationes, fluxu sanguinis iudicantur. Oportet autẽ è directo fluere sanguinem, ex dextra quidem nare, iecore patiente, vel locis sub dextris hypochõdriis positis. Iuuat autẽ & bonus sudor omnes quæ sunt iuxta hypochondria inflammationes calidas & acutas. Iecoris vero gibbæ quidem partes patiẽtes tribus præcipue modis excretionis obediunt, profluuiis sanguinis è nare dextra, sudoribus bonis, & vrinis copiosis. Cauæ autem eiusdem partes, excrementis, atq; sudoribus, nonnunquã vero & vomitibus.

Tertium signũ bonæ crisis.
Quibus excretionib. morbi iudicentur.

Magis vero expetunt per vrinas expurgari quàm gibbæ iecoris partes, omnia ea quæ vel in partibus rerum vel vesicæ existunt. Sicuti loca quæ ad thoracem pertinent, sputis ex pulmone. Sudores autem omnibus febribus proprii, & præcipuè ardentibus. Iudicant autem & quotidianas febres, simul vomitibus atq; excrementis pituitosis adiunctis. Et quartanas etiam, si atra simul & varia excernuntur. Semitertianas vero, si biliosa simul & pituitosa. Iudicant autem parotides lethargum, & reliquas capitis passiones. Aliiq; decubitus, ἀποστήματα Græci vocant, omnes febres diuturnas securè finire consueuerunt. Vt vero rectius intelligamus crisis modum conuenire morbo, præter hæc quæ dicta sunt, ægrotantis etiam ætas, atq; natura, necnon victus ratio precedens, locusq; in quo ægrotat, anni tempus, & presens temporis cõstitutio, consideranda erunt. Si enim quemadmodum morbus est biliosus, hæc etiam singula biliosa sint, oportet in iudicationibus bilem expurgari: sicut si pituita redundauerit, pituitam oportet euacuari. Variis autem humoribus abundantibus, variam etiam euacuationem esse oportet. Cæterum quum hæc vniuersa medico fuerint explorata, tunc ex euentu reliqua sunt assequenda.

Quæ indicent morbum fideliter exacteq; iudicatum.

Si enim ægrotans qui crisim passus est à febre liberetur, aliisq; symptomatibus, & meliusculè pro ratione vacuationis fuerit coloratus, cum melioribus pulsibus, & ad surgendum robore, haud dubie optima crisis fuit. Si vero ex iam dictis aliquid defuerit, tantum ab optima deficiet, quanta est eius quod deest vis ac potentia. Porrò ad futuram crisim præcognoscendam primum necesse est vt morbi naturam consideremus, an scilicet sit

Futura crisis ut præcognoscẽda

biliosa, vel pituitosa aut melancholica, aut mixta. Secundo tempus anni, ægrotantis ætatem, temperaturam, & alia quæ sunt huius ordinis & cognationis, de quibus antea dictum est. Tertio accessionum circuitus sunt considerandi, si uel per tertiū, uel per quartum, uel per singulos eueniant dies vel nullo modo eueniant, sicuti accidit in his febribus quæ proprie synochi nominantur. Si enim properauerint, ac semper consuetam anticipauerint horam, aut multo vehementius infestauerint, & per tertium occursauerint, cito crisim subsecuturam denunciant. Si vero lentè moueātur, atq; eadem inuaserint hora, & singulis diebus fiant, post longius tempus crisim futuram denunciant. Quarto, quod præcipuum est, concoctiones intueri conuenit, & harum potissimum effatu dignis transmutationibus mentem adhibere. Si enim in diebus indicibus fiant, significant quod sequentes iudicatorii dies ægrotum morbo liberabunt. Optimā vero crisim, quæ etiam sola simpliciter crisis, vt diximus, appellatur, non coniecturis, vt reliquas, sed certa firmaq́, cognitione assequimur. In huiusmodi enim morbis omnia statim à principio signa secura apparent. Quum itaque talia perfectè fuerint, in primo quaternario crisim futuram denunciant. Quod Hippocrates in prognost. iis verbis innuere voluit: „Mitissimæ febres, & q̄ cū securissimus signis fiūt, quarto die finiunt, vel prius. Si vero hęc eadem non nisi in quarto appareant, crisis septimum non transcendet.” Malarum vero crisium præcognitiones minus firmæ ac stabiles sunt, plurimumq́; incertitudinis & coniecturæ obtinent. Vt enim vbi valida fuerit natura, & materiæ dominatur, eius determinati atq; ordina-

Optima crisis ut firma quadā cognitione sit prænoscenda.

3. prog. 2.

Crisis malæ præcognitio incerta & instabilis.

ti sunt motus propriasq; actiones perficit:sic quã do succumbit, indeterminati atq; inordinati naturæ motus sunt, atq; adeo incogniti. ideo q; prudẽte artifice, & exercitato medico indigent, qui quidem primum sciat nunquid futurę sint, secundo num in hoc die, deinde an statim hominem interficient, vel duntaxat nocebunt. Prius igitur exercitari oportet in optimarum crisium prçcognitione, dein in earum quæ bonæ sunt, ac subinde ad malas descendere. Fiunt autem optimę crises in vigore, in augmento vero, si salus sit subsecutura, vel imperfectæ, vel non securæ Neq; temere adiectum est, si salus sit subsecutura: in exitialibus enim morbis, magna ex parte in augmento moriuntur ægrotantes, vel in principiis. Et si iam aliqua dies index futuram crisim præostenderit, simul & malam futuram ostendit. Agè enim quarto die visa sit primum nebula in vrinis nigra, vel sublime nigrũ, vel tale aliquod huiusmodi: sint vero & omnino alia signa & symptomata perniciosa, morietur quidẽ omnino hic ægrotus. Sed si quidem in imparibus diebus accessio facta fuerit, septimo die crisis accidit: si vero in paribus, sexto. Certiorem vero expectationem faciet tibi morbi motus. Si enim celeriter moueatur, crisim accelerantem cõtestabitur, hoc est in sexto venturam sin tarde, ad septimum differetur. Quum vero dies index nullum de mala crisi futura signum ostenderit, neq; eius præcognitio facilis erit. Quid multa? nunqd æger morietur aut seruetur, ad quatuor hæc, speciem morbi, magnitudinem, morem, & motũ eiusdem respiciens, inuenies. Speciem vero morbi ex iis symptomatibus, quæ propriam ipsius naturam complet cognosces: verbi gratia, pleuritim ex do-

Species morbi vt cognoscẽda

lore laterum pungente, spirandi difficultate, febri, tussi, pulsúq; duro & serratili deprehendes. Magnitudinem vero ex eorundem symptomatũ quãtitate ac vehementia. Morem autem ex superuenientibus ei symptomatibus, si multa, si diuturna, valida & maligna extiterint: aut contrà, si pauca, breuis temporis, modica, & mitia fuerint. Motum ex tempore partium accessionis. Prędictis quatuor adiungenda quoque temporis anni, regionis ætatis, naturæ & similium consideratio erit, vt antea dictum est, & fusius lib. 3. de crisibus, cap. 4. explicat Galenus. Cæterum quum quòd crisis aderit ex iis quæ diximus præcognoueris, deinceps qualis futura sit hoc modo dignoscendum erit. Primum quidem si acutus & calidus sit morbus, & si crisis fiat in primis circuitibus, tunc necesse est in talibus crisibus non abscessum, sed excretionem subsequi. Si vero diuturnus ac tardus, tunc per abscessus quiescere consueuit, præsertim cum vrinę tenues & crudæ longo tempore exierint. Si enim multæ fuerint, & plurimam subsidẽtiam habuerint, rationabile est morbum potius paulatim debere coqui, non per abscessum terminari. Id quod Hippocrates iis verbis innuere voluit: Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa, crassa & alba facta. Porrò si per excretionem debet terminari morbus, considerandum subinde nunquid profluuium sanguinis narium, vel vomitus, vel sudor, vel alui deiectio sequatur. Si vero per abscessum, quæ particula, & quis articulus abscessum suscipiet. Profluuii itaq; sanguinis narium signa, splendores ante oculum ob humorẽ flauum apparẽtes, hebetudines, quod multus & totus simul elatus

Magnitudo. Mos. Motus. Qualis crisis futura sit. 4. aph. 74. Profluuij sanguinis nariũ notæ.

ad superiora spiritus, meatus obturat. Oculi etiã lachrimantur, ob fluxus multitudinem, quod etiam accidit in lipitudine. Eodẽ modo & rubri apparẽti cum malis nonnunquam & naribus. Sanguinis etiã è naribus profluuij indicium, hypochõdriorũ sine dolore tensio, sanguinis enim ad superiora tendentis signũ: difficultas item spirãdi, ob sanguinis per thoracẽ transitũ, capitis dolores quodãmodo graues, extendentes, pulsantes, & calidi. Quod si si ad hæc pruriant nares, iamiam proximè erumpet sanguis, præsertim vbi vehementior circa faciem & tempora dolor institerit. Et si sano quoq; fluere consueuerit, iam spem propè certam concipies.

Vomitus ĩdicia Vomitus notæ sunt cordis morsus simul cum capitis dolore, vertigines, atq; oculorum obtenebrationes, inferioris labri agitatio, plurimæ ac tenuis saliuæ defluxus, & nausea. Hæc vero omnia accidunt, quum biliosus & mordax humor in ventre & stomacho fuerit collectus.

Sudoris notæ. Sudore cum potissimum febres ardentes, vt antea dictum est, soluantur, animaduertendum quod si crisi iam immi nente prętet rationem aluus, vel vrina supprimatur, rigorem expectare oporteat iuxta id Hippocraticum: Ante rigorem vrinæ retentio, si à bonis processerit indiciis. Si vero ambob. suppressis rigor factus est, plurimus sudor necessariò consequetur. Si vero sola vrina, considerare oportet nũ quid alui excrementa plura priorib. aut pauciora ante crisim exierint. Si enim plura, manifestius naturę motus ad hunc locum est agnoscendus. Sin pauciora, ad sudores. Si vero & vomitus notæ affuerint, per has ambas excretiones finietur. Si vero indicia vomitus non affuerint, solos sudores expectare conuenit, præsertim vbi ægrotantes in-

6. Epid. par. 1. aph. 9.

crescente accessione delirauerint, exterioresq; partes calidiores ac rubidiores extiterint, vaporq; quidam calidus qui antea non aderat è corpore redda. Quod si pulsus vndosus sit, & insigniter mollis, adhuc magis sudores expectandi sunt. Si vero per excrementa alui crisis sit subsequutura, neque manifestum est, neq; propriis dignoscitur signis: sed ex eo quod adsunt quidem crisis indicia, desunt autem vomitus, & fluxus sanguinis narium, & sudorum, colligere licebit. Obseruādum præterea an plura egerantur quàm ante iudicationem consueuerint, sic enim significatur illac potius impetum fore, detenta præsertim vrina. Quanquā etiā si nullum prædictorum signorum ad sit, non per deiectionem solum alui, verumetiam per hæmorrhoidas, & in mulieribus per menstrua crises fieri possunt. Non tamen est difficile distinguere. Grauitas enim lumborum effatu digna, & tensio, & dolor, menstrua antecedunt. Hæmorrhoides quidē non omnibus consuetæ sunt: quibus vero consuetæ sunt, in iis solis distinguere est difficile. Aliis autem omnibus quando affuerint signa concoctionis & crisis, vomitus vero, vel fluxus sanguinis narium, vel sudoris non affuerint, omnino vēter perturbabitur. Si vero ad abscessus vertatur morbus, communia quidem omnia iudicia, salubriter se habente ægro, quod neq; morbus soluitur, neq; vrina multa, copiosamq; habens subsidentiam, sed cruda ac tenuis mingitur. Propria vero morbi nō admodū diuturni, si spirādi difficultas subito sup ueniens, mox quiescat, quā grauitas capitis ac dolor subsequitur, & coma ac surditas: huic enim in glandulis quę sunt post aures abscessum fore necesse est. Si vero morbus diu durauit, neq; vllum

Alui deiectionis signa.

Abscessuū notæ

Mortis. citra crisim notæ.

ex his signis affuerit, sed in locis inferioribus corporis vel grauitas, vel tensio, vel inflammatio, vel dolor apparuerit, huic abscessus in inferioribus partibus est expectandus. Hæc de crisi pro compendij ratione sufficiant. Reliquum est vt mortis, quæ citra crisim fit signa, exponamus. Primum autem & maximum in morbis mortalibus, quod si ne crisi mors sit subsequutura, signum est, virium imbecillitas. Neq; enim natura ita prostrata & uiribus suis destituta, ad pugnam contra morbum excitatur. Secundum vero, si nullum vel minimũ ad sit signum coctionis. Tertiũ, si magnus sit morbus atq; malignus, atq; etiam celeriter moueatur. Tres autem sunt omnes mortis modi ijs qui sine crisi moriuntur. Primus quidem in inuasionibus accessionum, qui in magnis inflammationibus plurimum contingit, quæ partes occupant principes, vel ob humorum multitudinem, crassitiem ac tenacitatem, qui subito ad interiora confluunt, ac per secte spiritus meatus obturant. Natura itaq; tum haud aliter quàm si lignorum viridium aceruum super flãmas conijcias, suffocatur atq; extinguitur. Alter vero tempore vigoris accidit, natura ipsa à vi morbi superata. Omnino enim quando à vehementia morbi natura superatur, ratione vigoris moriuntur. Tertius in declinationibus non quidẽ morbi, sed accessionum accidit. Nam experientia ipsa testatur, vt antea quoq; cõmemoratum est, neminem vnquam vi morbi, in declinationibus vniuersalibus interiisse. Hic vero modus rarissime accidit, robore nimirum vitali soluto. Naturæ siquidem vis imbecilla in principio quidem accessionis, & augmento, & vigore potest perdurare, quum scilicet adhuc habitus ipse in vnum com-

Mortis citra crisin notæ.

Tres modi mortis eorum qui sine crisi moriũtur.

pressus aut veluti cōstrictus cōtinetur. Tēpore vero declinationis à medio ad extrema calore moto, naturæ habitus discutitur dissipatur atq; dissoluitur. Mortis autem dies præcognoscitur, quanto superat naturam morbus considerando & grauiores accessiones inspiciendo. Si enim effatu dignus fuerit excessus, & parum adhuc resistere vis naturæ videatur, mors cito subsequetur: si vero contraria affuerint, tardius. Verbi gratia sit multus quidem morbi excessus, tamen manifestum sit nunqd vnum diem, vel duos prorogari poterit, hoc quidem accessionum circuitibus distinguetur. Quo enim die accessio fiet, eo morietur. Hora vero mortis præcognoscetur, si accessionis tempora obseruentur, qua nam scilicet diei noctis'ue hora accessio molestior fieri soleat, & qua eiusdem accessionis hora æger seipso grauior sit. Eadem enim hora qua ignauior languidiorq; fuerit, & grauissima atq; exitialia symptomata superuenerint, morietur.

Mortis dies ut præcognoscendus.

Mortis hora ut præcognoscēda

De vrina. Cap. XLIIII.

QVum ad præsagiendum non parum conducat vrinæ inspectio: de ijs enim quæ in iecore, & intra uenas sunt nullum planè, nec manifestum, nec euidens signum habemus præter solam vrinam: atq; adeo ad crisium dignotionem ac prædictionem quandoquidem coctionem aut cruditatem eorū quæ in vasis continentur ostēdat, summè cōferat, non præpostere hoc in loco de ea sermonē instituemus. Nota vero duntaxat est vrina eorum, vt diximus, quæ in iecore & venis continentur: quod ideo repetendum esse duximus, vt plerique nostræ ætatis medici intelligerent quanto in errore versentur, quod temerè nihil

Inspectionis urinæ genuinus usus.

Quorum urina nota sit.

non morborum ac malorum ex urina prædicere conentur. quod non minus absurdū atque impossibile est, ac si ex sputo de ijs malis quæ renes aut uesicam infestant, pronūciare uelint. Quapropter quum lotij inspectione tam perditè, præter Hippocratis & Galeni sententiā, abutantur, ac miseræ plebeculæ tā callide imponant, digni certe erunt ut non solū σκατοφάγοι, quo quidem epitheto auaros & indoctos medicos dignatus est Aristophães uermetiam nouo quodam, apto tamen admodum, οὐρεσπότα nominētur. Sed ualeant illi asini, quibus cum ut rixētur boni uiri indignum extimo, quum pluris quæstum urinarium, quàm ueritatem ipsam faciant. Ad institutum itaq; redeuntes, quid vrina primum, dein quæ in eius inspectione sint considerāda, breuiter exponemus. Vrina itaq; est excrementū sanguinis in caua uena p renes & vrinarios meatus in uesicam delatum. In cuius quidem inspectione quatuor potissimum consideranda ueniunt, consistentia scilicet, color, quantitas, & contenta. De iis autem nemo recte iudicabit, nisi primum omnium vrina saluberrimam & optimam, ueluti scopum quendam in quem perpetuo intentus sit, & ad quam omnes reliquas exigat, sibi ob oculos ponat. Optima vero vrina, & quæ est hominis secundum omnia temperati, est quæ in substantia mediocris est, ac quantitate potioni quæ assumpta est respondet, colore subrufa & subflaua, sedimento albo, leui & ęquali. Proinde quemadmodum regula & amussis quum adhibentur, vt ligna curua, obliqua & distorta sint ostendunt: ita vrina quæ omni ex parte mediocris est, demōstrat eam quæ vel magis vel minus à mediocritate ipsa declinauerit. Sæpius igitur vrina hęc opti-

σκατοφάγυς quos appellauit medicos Aristophanes.

οὐρεσπόται medici.

Vrina quid.

In urinæ inspectione quatuor consideranda.

ma, & secundum omnia mediocris, & sanorum vrinæ simillima, nouitio medico inspicienda erit, vt quum aliquam ab hac ipsa declinasse viderit, statim ab optima & exacta sanitate hominem hũc cecidisse intelligat. Quę itaq; optima sit vrina nũc explicauimus, restat vt quatuor quæ in vrinæ inspectione consideranda sunt, ordine expendamus. Consistentia vrinæ aut tenuis, aut crassa, aut mediocris existit. Mediocris vrina consistentiæ, vt iam commemorauimus, optima est: quę autem hac ipsa tenuior, aut crassior est, imperfectam concoctionem significat. Siquidem tenuis nondum in humorem constitit, crassior vero adhuc perturbata est. Tenuis vrinæ duæ sunt differentiæ. Quædam enim tenuis ac pura excernitur, ac posthac talis semper remanet. Altera vero tenuis quidem mingitur, at paulo' post conturbatur. Vtraq; vero cruda est, & coctione caret. Differunt autem, quod prior naturam nondum cœpisse coctionem, atq; adeo' extremam cruditatem significat: altera vero iam primum incepisse: conturbatur enim eo quod flatuosi cuiusdam spiritus copia seroso liquori permiscetur, veluti nouis vinis adhuc ferueſcentibus: quapropter praua etiam existit, quoniam longiori tempore, & virtute forti ad coctionem indiget. Crassæ vero ac perturbatæ vrinæ itidem duplex differentia. Quædam enim quum crassa mingitur, paulo' post residet ac tenuatur. Hæc quidem parum aliquid inæqualis turbulentię superesse demonstrat. Aliqua vero contrà vt micta est crassa, ita subinde talis permanet. Et hæc quidem vigere adhuc eam quæ est in sanguine agitationem ostendit. Prima harum bona est, nam mor-

Consistentia urinæ.

Mediocris.

Tenuis urinæ duæ differẽtiæ.

Turbidarũ & crassarũ urinarũ duplex differentia.

bum haud ita multo post concoquendum significat. In medio autem eius quæ crassa micta paulo post residet, secunda existit. Nam quum ex vigente fit conturbatione, quantum malitia abest ab ea quæ adhuc futuram perturbationem significat, tantum malitia superat eam quæ iam quiescentem agitationem obtinet. Hactenus de vrinæ consistentia diximus, nunc colorum eiusdem differentias explicabimus, qui præcipui quidem sed existunt, albus, pallidus, rufus, flauus, ruber, & niger. Reliqui enim omnes sub iam dictis comprehenduntur. Alba enim vrina complectitur sub se varias species, nempe crystallinam, niueam, & eam quæ vt aqua est, pura, & ob id aquosa dicitur. Hæ quidem intensæ albedinis habentur, atq; adeo summæ cruditatis indices sunt. A summa albedine parum recedunt lactea, glauca, & charopa vocatæ urinæ. Lactea vero dicitur, quæ lacti similis est, meliorq; aquosa & crystallina existit. Glauca nominatur, quæ velut cornu pellucida est. Charopa vocatur, quæ similis est subalbidis cameli pilis, Actuario autore. Post albam subsequitur subpallida, quæ quia tincturam aliquam accipit à summè cruda nonnihil discedit. Proxima huic est pallida, quæ quidem fit vbi modicum bilis serosæ humiditati miscetur. Quum autem concoctio processerit, tum plus tincturæ accedit, & fit subrufa vrina, quam mediocrem ac temperatam esse iam antea monstrauimus. Post hanc vrina est rufa, quam Actuarius & alii nonnulli auream appellant, auro enim puro similis est, Græci πυῤῥὸν nuncupant. Subflaua vrina rufam sequitur, quæ colore similis est floribus cartami. Post eam flaua est, quam Græci ξανθὸν

Colores urinæ. Alba urina. Lactea. Glauca. Charopa. Subpallida. Pallida. Subrufa. Rufa. πυῤῥὸν ὑπόξανθον Subflaua. ξανθὸν.

Actuarius autem croceam nominat, quod nimirum Corycio croco similis sit. Oportet vero animum intendas in illorum colores tum, quum flores eorum fuerint aqua dissoluti. Sequitur hanc vrina subrubea: quæ nimirum colorem similem bolo armenio obtinet. Dein rubea, quam ἐρυθρὸν Græci appellant, quod pomis quæ rubeum præ se ferunt colorem, cerasis scilicet, malis, & id genus alijs, similis sit. Memoratis succedat vrina vinea nominata, quæ nomen id accepit à vino nigriore quàm rubrum est, velutiq; color existit iecoris. Passea, quę maxime similis est passo, quod ex vua nigra decocta fit. Vel vt clarior notio fiat, quæ similis est cerasi fructus colori, qui ad nigredinem inclinat. Veneta, est cuius color ex puro albo atq; nigro æqua ratione confusis, natus est. Quod si vero hunc ipsum etiam sensu nosse velis, cerussam, vel lectissimam calcem, vel aliud simile atramẽto, vel pici, vel bitumini, æquis ponderibus si miscueris, venetum colorem productum videbis. Viridis vrina est, quæ colorem brassicæ, aut graminis, aut Smaragdi lapidis repræsentat. Oleacea vero vrina, quæ colore oleo similis est. Liuida, quæ plumbi colorem refert. Nigra, quę extincti carbonis colorem obtinet. Hactenus vrinarum colores exposuimus, in quibus diiudicandis medicum prouidentia vti oportet, quod non raro leuissima ex causa etiam in sanis vrinę color mutetur. Mutationis vero eiusdem tres pręcipuæ sunt causæ. Prima est cibus corpori oblatus, qui non probè transmutatur ac conficitur, nec in sanguinem vertitur, atq; adeo similem sibi vrinæ colorem reddit: id quod iis euenire solet, qui præter naturam affecti sunt.

Flaua.
Subrubea.
Rubea.
ἐρυθρὸν.
Vinea.
Passea.
Veneta.
Viridis.
Oleacea.
Liuida.
Nigra.
Vrinæ color in sanis cur mutetur.

Nonnunquam etiam in iis qui secundum naturã se habent, cibi aliquo adscititio colore infecti, similem sibi colorem vrina efficiunt. Idem etiam ob medicamenta quædam assumpta, accidit. Altera causa cur color vrinæ mutetur, potio est: retinet enim magna ex parte vrina colorem eorum quę in potione hausimus. Si enim aquam, aut vinum album, & tenue biberimus affatim, alba & tenuis vrina erit: sin crassum & nigrum fuerit vinum, nigrior & crassior vrina erit. Tertia causa mutationis coloris qui in vrina apparet, colliquatio est eorum quę in corpore sunt. Vrina siquidem nunquam non earum partium quæ in corpore colliquescunt, pinguedinis præsertim, adipis, & similium, colorem monstrat. Quod succinctè admodũ

6. Epid. par. 5. aphor. 15

» Hippocrates iis innuere verbis voluit: Vrina eiusdem cum cibo & potu coloris est, & veluti colliquatio est ab humore qui in corpore existit. Præter has sunt etiam aliæ causæ quæ vrinarum colores immutare solent, veluti est exercitium, inedia, somnus, vigilia, & id genus alia multa, quæ singula medico diligenter circa vrinę inspectionem cõsideranda erunt. Nunc quid vrinæ consistentia & color portendant, breuiter exponemus.

Tenuis urina quid portendat

Tenuis quidem vrina innati caloris imbecillitatem & frigiditatem dominantem, cruditatem, iecoris renumq; obstructionem significat.

Crassa.

Crassa vero excessum materiæ, & humorum implentium ventrem, intestina, & iecoris partes cauas. Quæ si in febre spectetur, vbi tenuis præcesserit, statim declinationem futuram monstrabit, nanq; hoc casu videtur natura superasse materiam. Si vero cum iam accessit febris vrina crassa apparuerit, nec tenuari pro cessu temporis cœperit, humorum copiam ostendit. Quod

dit. Quod ad colorum rationem attinet, quid alba, pallida, rufa, flaua, & rubea significet, partim ex iis quæ paulo ante dicta sunt, partim vero ex iis quæ deinceps commemorabuntur colligere licebit. Vinea autem vrina sanguineum humorem assari, atq; vel in rufam, vel in nigram bilem transmutari, denotat. Interdum etiam in sanis hominibus qui multum elaborarunt, aut longum iter fecerunt, talis vrina, eo quod sanguis subassetur, spectari solet. Passea vrina biliosum humorem aduri exassari'ue ostendit. Hæc etiam si talis aliquãdiu permanserit, arquatum morbum adesse monstrat. Viridis excessum prauissimæ bilis, exauctæ quantitate & qualitate, portendit. Hæc si diu eiusmodi pseuerauerit, sitisq; assidua, & æstus affuerint, metus haud exiguus est, ne conuulsio à siccitate ægrũ corripiat. Oleacea vrina colliquationis totius corporis, aut renum tãtum signum est. Hinc est quod Hippocrates sic scriptum reliquerit: Pinguedo telis aranearum similis innatans damnanda est, colliquationis enim signum. Verum non te fallat, si ipsa vesica ægrotans aliquam huiusmodi vrinã reddiderit: non enim totius corporis, sed ipsius per se indicium est. Totius autem corporis colliquationem significat, si paulatim processerit, multoq; tempore durauerit. Sin vero cumulatim, breuiq; temporis spacio apparuerit, renum duntaxat passionem monstrat. Veneta vrina per superficiẽ fusum melancholicum humorem significat, idq; si tenuis simul fuerit. Versus vero crassitudinem tendens, multam frigiditatem. Mortificationem autem hæc vrina monstrat, quum à prauis coloribus ad peiores transmutata est. Liuida vrina interdum plagas, & verbera incussa homini indicat:

Vinea.

Passea.

Oleacea.

2. prog. 35.

Veneta.

Liuida.

aliàs semper frigiditatem, atq; adeo coloris natiui mortificationem, portendit. Nigra interdum caloris ad extremum profecti indicium est, & hoc quidem si viridis præcesserit. Interdum etiam extremam frigiditatem significat, idq; vbi veneta aut liuida antecesserit. Vtraque vero mortalis existit. Salutaris vero nunquam est, nisi cũ passiones quæ originem ab atra bile traxerunt præcesserint. Hæc de consistentia & colore vrinæ seorsim dicta sufficiant: reliquum est vt colori substantiam copulemus, quidq; ex iis sit præsagiendum monstremus.

Tenuis & alba. Vrina itaque tenuis & alba, vt aqua, extremã cruditatem, & alia multa significat. Aut enim imbecillitatem virtutis sicut in senibus, & in morbis diuturnis fit: aut obstructionem renum, aut iecoris, vt in iis qui quartanis affliguntur febribus, denotat: melancholici siquidem humores obstruẽtes crassitie sua meatus, huiusmodi vrinas efficere solent. Indicant etiam tales vrinæ in ardentibus febribus phrenitim. Ardens enim febris ob biliosi humoris copiam fit, cuius colore si vrina non inficitur, constat bilem in vasis nõ retineri, sed ad cerebrũ sua leuitate ascendere. Hinc rectissime ab Hippo-

4. aph. 72. crate dictum est: Quibus vrinæ albæ & perspicuæ, malæ: præsertim si in delirantibus appareant. Significat etiam interdum hæc vrina abscessum in iis partibus quæ sunt infra septum transuersum. Cuius quidem rei testis est Hippocr. qui sic scriptum reliquit: Qui vrinam tenuem, crudãq; diu-

2. prog. 34. „ tius mingunt si reliqua vt in conualituris indicia „ fuerint, in iis abscessum ad partes quæ infra septũ

Tenuis & pallida. „ trãsuersum sunt, expectare oportet. Porro tenuis „ & pallida vrina, quo ad colorem, modicam concoctionem: quo ad substantiam vero, crudita-

tem, minorem tamen quàm quæ antea est me morata, significat. Tenuis & rufa priore qui/ dem melior est quo ad colorem, cruda tamen si substantiam spectes. Tenuis & flaua non so/ lum malam coctionem indicat, sed etiam ali/ menti defectum, id quod in iuuene ieiuno repe/ ritur. Interdum ostendit calorem multum in pro/ fundo biliosum succum gignere, id quod fit in febre tertiana. Monstrat & mœrorem, curam, vigi/ lias, solis æstum, atque laborem. Reliqui vrinarum colores cum crassa consistentia copulantur, vt ex iis quę mox dicentur palàm fiet. Crassa itaq; vri/ na & alba maximam esse crudorum humorum in corpore copiam indicat. Hæc aliquando in labo riosis febrib. apparens ab abscessu liberat, quemad modum in Epid. testatum reliquit Hippoc in eum scribens modum: Vrina crassa & alba, qualis famu lo Amphigenis erat, in laboriosis febribus quādo quarto die mingitur, ab abscessu liberat. Et in aphorismis, vbi iis verbis nunc citatam repetit sen tentiam: Quibus spes est in articulis futurum ab/ scessum, liberat ab abscessu vrina multa crassa & alba facta, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam fieri incipit. Crassa & lactea in fine ve niens, calculos in vesica vel renibus significat. Crassa charopos, & vt iumentorum turbida, do/ lorem capitis portendit: testis Hippocrates, ita scribens: Quibus vrinę perturbatæ, quales sunt iumentorum, iis dolor capitis aut adest, aut aderit. Crassa & subrubea, maxime si talem subsidentiam habuerit, longos portendit morbos, & à periculo immunes. Id quod iterum testatur Hippoc. qui in prog. sic scriptū reliquit: Si vrina subrubea fue rit, ac sedimentū subrubeū & leue, diuturnior hic

[Margin notes: Tenuis & rufa. — Tenuis & flaua — Crassa & alba. — 6. lib. 4. par. aphor. 2. — 4. aph. 74. — Crassa et lactea — Crassa & tur/ bida. — 4. aph. 70. — Crassa & sub/ rubea.]

Crassa & rubea morbus quàm primus, sed tamen salubrior. Crassa & rubea, sanguinis copiam ostendit, quemadmodum in synochis febribus. Crassa & nigra melancholici humoris euacuationem significat, maxime vbi in declinatione quartanæ, & melancholiæ apparuerit. Significat etiam interdum adustionem, aut frigiditatem, vt antea est dictum. Duobus iam quæ in vrinæ inspectione consideranda sunt expeditis, ad tertium, eius nempe quantitatem, venimus, quæ in iis quidem qui sani sunt, proportione respondere debet iis quæ bibuntur. Plurima vero vrina sex ob causas profluit. Prima est, quia homo ille multis cibis, iisq; humidioribus, atq; largiore potu, vino præsertim aquoso, vsus est. Altera, quia medicamenta quę vrinam ciunt, hausit. Tertia, quod intemperies quædam exauctæ caliditatis circa renes existit, vt in diabete passione, in qua propter vehementem caliditatem renes serosam substantiam à iecore omniq; venarum genere celerrime attrahunt. Quarta, quod aluus natura sicca sit. Excrementa siquidem quæ excerni debent, vbi aluus præ malo quod ei accidit copiã vacuare non poterit ad vrinæ meatus, impetu facto, feruntur. Quinta hydrops, præsertim anasarca. Sexta, quia reliquarum euacuationum corporis, deiectio potissimum ventris, nulla processit. Id quod Hippoc. quoq; iis innuere verbis voluit dicens: Mictio noctu plurima facta modicam deiectionem significat. Cæterum pauca vrina contrarias ob causas prouenit. Primum quidem à siccitate ciborum, paucitate potus, exercitio vehementi, iisq; similibus quę corpus quomodolibet exiccare consueuerunt. Secundo propter cibos & medicamenta lentore quodam participantia, atq; adeo

Crassa & rubea
Crassa & nigra
Quãtitas urinæ
Multæ urinæ causæ.
4. aph. 83.
Paucæ urinæ causæ.

vrinæ meatus obstruentia. Tertio ob humorum crassitiem & tenacitatem. Quarto propter copiosam ventris deiectionem. Quinto ob vehementiã febris, quæ omnem corporis humiditatem consumit. Sexto propter excretricis facultatis quæ renibus, ac reliquis vrinæ excretioni deseruientibus vasis inest, imbecillitatem. Quartum quod in vrina considerandum venit, sunt ea quæ Græcis τὰ ἐναιωρούμενα, Latinis vero cõtenta, eo quod in quali-bet altitudinis corporis vrinæ parte consistant & contineantur, dicuntur. Vt vero altitudo corporis vrinæ trifariam diuiditur, in fundum scilicet matulæ, superficiem supremam'ue regionem, & vtrarunque harum extremitatum medium: ita etiã tria contentorum genera existunt. Primum, quod in fundum matulæ descendit, Græcis ὑπόστασις, ἀπὸ τοῦ ὑφίστασθαι, hoc est, subiici, Latinis vero subiectũ, subsidentia & sedimentum appellatur. Secundũ, quod æquis spaciis ab vtrisque extremis secedit, & in medio altitudinis consistit, Græcis ἐναιώρημα, Latinis sublatio, suspensio, sublime, seu sublimamentum nominatur. Tertium, quod in summa vrinæ superficie natat, Græcis νεφέλη, Latinis nubes & nebula vocatur metaphora à terra sumpta, à qua nubes & nebulæ summè secedunt. Porro in contentis haud aliter quàm in liquore vrinæ tria sunt consideranda, substantia nimirum, color, ac quantitas. Substantia quidem, quod aliqua sint mediocria, aliqua tenuia, aliqua crassa. Vrinarum quę secundum naturam sunt contenta, mediocri sunt cõsistentia, alba, leuia, & æquabilia. Sunt autem leuia, quæ continua sibi sunt, & tanquam vnum veluti continuum & coactum corpus, neque aliquo modo rugosum, aut huc & illuc compulsum, neque disso-

Contenta. περιφερόμενα.
ὑπόστασις. Subiectum. Subsidentia. Sedimentum.
ἐναιώρημα. Sublime. Sublatio.
Nubes. Nebula
Tria in cõtentis contemplãda. Substantia. Contenta. salubria.
Leuia cõtenta.

A ſpera cōtenta lutum aliqua in parte. Quæ illi contraria ſunt,
Contenta craſſa aſpera dicuntur. Craſſa contenta, craſſorum atq;
crudorum humorum in uenis copiam ſignificāt.
Interdum etiam robur excretricis facultatis ſuper
Tenuia. uacua in iudicatione expellentis. Tenuia magnā
quandam naturæ in ſecunda concoctione adeſſe
Contentorum color. imbecillitatem, crudos etiam humores, ſed exte-
nuatos monſtrant. Quod ad colorem attinet con-
tentorum quæ à mediocritate decedunt, alia ſunt
vehementer alba, alia ſubpallida, alia pallida, alia
Alba. flaua, ſubrubea, cruenta, veneta, liuida, & nigra.
Quæ vehementer alba ſunt, hæc aut pituitoſi hu-
moris ramenta ſunt, aut pus ſummè coctum, quod
Pallida. ab aliqua interna parte patiente ſecretum eſt. Sub
pallida & pallida minus bona ſunt, veluti ea quæ
à colore qui ſecundum naturam eſt declinant.
Flaua. Flaua etiam mala ſunt, vtpote quę exauctam eſſe
flauam bilem in ſecunda concoctione ſignificant.
Rubea. Subrubea & rubea cruditatem quandam & de-
fectum coctionis, atq; adeò diuturnitatem morbi
Cruenta. monſtrant. Cruenta omnino non eſſe elaboratum
ſanguineum humorē oſtendunt. Veneta, liuida, &
Nigra. nigra, mortificationem virtutis vitalis ſignificāt,
aut humorē nigrum, qui illuc ab aliquo loco pro-
Subſidentia orobea. fluens, in vrina ſubſidet. Cæterū ſubſidentia oro-
bea, quę ſcilicet orobo ſeu eruo excoriato ſimilis
eſt, vbi abſumpto iam adipe, caro conſumi incœ-
perit, apparere ſolet. Significat itaque vel vni-
uerſi, vel renum tantum colliquationem. Si er-
go in febribus talis ſubſidentia apparuerit, vniuer
ſum corpus: ſin citra febrem, renes duntaxat li-
Furfurea. queſcere denotat. Furfurea, quæ videlicet furfu-
ri tritici bene moliti ſimilis eſt, prædicta peior exi-
ſtit: hæc enim vbi febris adipem vniuerſum, &

maiorem partem carnis absumpserit atque iam profunditatem carnis & vasorum obsederit, solidasque corporis partes attigerit, apparet. Interdum autem solius vesicæ patientis signū est, id quod Hippoc. etiam aperte significare voluit, dum in hunc modum scriberet: Quibus in vrina crassa furfurea 4.aph.77.
quædam simul exeūt, iis vesica scabie laborat. Hæc ille. Quæ vero totius corporis vitio eueniunt, cum febri & vrinæ cruditate iunguntur. Contrà quæ patientem vesicam, sine febri cum vrinæ coctione, non tamen absque loci patientis dolore, excernuntur. Laminea alio nomine squamis similis dicitur, Græcis πεταλώδης. Laminas autem appellatas nouimus quæ & latitudinem & longitudinem habent, citra tamen euidentē altitudinem. Laminea itaque subsidentia est quæ foliorum plantarum, aut squamarum, aut laminarū instar lata & tenuis existit. Hæc fit vbi solidæ corporis partes tabescere incipiunt. Quę quidē vesicæ etiā ratione contingit, iuxta hoc Hippocraticum: Si sanguinem, aut 4.aph.81.
pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulceratione significat. Verum febri, cruditate, & dolore, vt paulo antè diximus, distinguūtur. Similacea est quæ similæ speciem præbet. Similæ autē furfures sunt ex male molito tritico hordeo'ne cribratę. Hæc subsidentia fit vbi febris obsessa profunditate, longe lateque substantiam incendit, adeoque pessima est: sanguinis enim assationem, vel solidarum partium colliquationem significat. Si itaque candidæ fuerint, solidarum partium colliquationem: sin vero rubræ, sanguinis assationem monstrant. Post substantiam & colorem, quantitas quoque contentorum contemplanda erit. Multa si quidē contenta vrinarum, vt multum nutrimentū

Laminea. πεταλώδης. Laminæ.

Similacea. Similæ.

Contentorum quantitas.

corpori distribui, ita robur quoddam alteratrici facultati adesse significant. Nam quum multa est elaboratio naturę circa alimentum, multa quoque excrementa fieri necesse est. Pauca vero cōtenta, vel ob inediam, vel exercitia, vel obstructiones, vel tardasconcoctiones generantur. Sunt etiam nonnulla quæ in vrinæ superficie innatare videntur, vt sunt bullæ, quæ adulterini spiritus signa sunt, quarum aliæ quidem per omnem superficiem vrinæ apparent, aliæ vero in sola corona circumiacent.

Natantia in urinæ superficie Bullæ.

Corona in urina quid.

Est autem corona in vrina, linea vmbra depicta, quę circuncurrit per ambitum superficiei vrinæ. Nostri circulum vocant. Bullæ item aut singulæ, aut binæ, aut ternæ, aut alio modo sociatæ innatant. Bullæ igitur quæ in corona sola integra serie consistunt, si contigerit vt colore humoris vrinæ imbutæ sint, magnam capiti passionem, & dolorem non mediocrem adesse significant. Quæ vero sparsim in corona manent, hæ à debiliore causa generantur, atque similiter dolorem, sed mitiorem monstrant. Verum quo magis aureo colore imbutæ inspiciuntur, tanto vehementiores capiti dolores adesse ostendunt. Albę vero consistentes in coronæ ambitu bullæ, nullum aut exiguum dolorem capiti adesse significant. Quod si tales in vrina tenui, & absque subsidentia apparuerint, renum potius obstructionem indicant. Quod Hippocrates etiam. 7. aph. 34. confirmauit, dicēs: Quibus in vrinis bullæ consistunt, morbum renalem, & longum significant. Bullæ autem quæ versus medium vrinæ concedunt, remissionem quandā doloris ostendunt. Aliæ quoque bullæ in superficie vrinę palantes, nihil eiusmodi super capite demonstrant, sed solum multam naturæ imbecilli-

tatem, maxime quo plures fuerint obstructiones, & crudorum humorum copia, significant. Quin etiam in iis qui seminis profluuio laborant, bullæ densius in vrina apparent per coronam. Bullæ tamen potissimum dolores capitis, aut renum, aut defluxum in pulmonem portendunt. Apparent quoq; in vrinis aliquando pinguedines quædam innatantes veluti aranearum telæ. Interdum etiam in superficie feruntur puncta tanq̃ ex oleo iniecta, quę quidē, vt antea dictū est, aut totius corporis, aut solorum renum colliquationem indicant. Prætera sunt contenta nonnulla in vrina, quæ capillis similia sunt. Hæc quidē in uasis generantur, & per renes, Gale. li. 6. de patientibus locis, cap 3. teste, expurgantur. Quod Hippocrates quoq; testat, qui sic scriptū reliquit: Quibus in vrina crassa existente veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excernuntur. Accidit nonnunquam vt pus, sanguis, arenulæ, & alia quædam mingantur, quorum omnium seorsim significationes Hippocrates particula quarta aphorismorū breuissime, & post hunc, loco paulò antè citato, Gale. copiosissime exposuit. De coronæ significatione id scire satis sit, quod si humores nocentes fuerint virtute pares, & pari mensura vrinas tinxerint, nulla corona euidens spectari potest. Sed si virtus vicerit, aut victa fuerit, etiā coronæ colores hoc vel illo modo apparebunt. In aureis itaq; rubeis, vineis & id genus aliis vrinis, si alba corona aut albæ similis fuerit, bonū, nēpe quod natura iam incœperit dominari, portendit. At in viridi & passea vrina, si corona sit peioris coloris, contrariū & malum significat, nempe prauos humores iam dominari. Odor autem fœdus vrinæ aut putredinem aliquam ve-

Pinguedo telis aranearum similis.

Capilli.

4. aph. 76.

Coronæ significatio.

Odor fœdus.

hementem interioris partis, aut mortificationem totius corporis, maxime si cum substantia & cōtentis prauis fuerit, præ se fert. Hæc quidē de vrinæ inspectione, & ex ea prædictione, dicta sufficiant. Nam si quis vberiorem & exactam harum omniū notitiam desiderat, is actuarium inter recentiores Græcos aut postremæ notæ autorē legat: is enim nihil quod ad totam hanc tractationem spectat, prætermisisse videtur.

De egestionibus. Cap. XLV.

Qvum ex egestionibus multa prædicere possit medicus, breuissime etiam earundē significatiōes exponemus. Principio itaq; egestio naturalis & optima, sicuti de vrinis quoq; diximus, veluti regula quædam nobis noscenda venit, quæ in vtram partem deflexerit, coctionis vitium declarat. Optima igitur egestio est mollis compacta seu cohærens, eodem tempore quo in secunda valetudine assueuit, reddita & quæ iis quæ ingesta sunt proportione respondet, Hippocrate autore. Secundum naturā etiam se habet ea quæ subrufa est, nec admodum fœtida. Cōtrà mala & præter naturam egestio est dura, diuulsa seu liquida, aspera, nec ea hora qua sanitatis tempore consueuerat excreta. Mala quoq; exactè rufa, vel nullo modo rufa, sed colore similis cibo ingesto: hæc enim cruda est, & nihil omnino bilis in ventrē defluere, illa vero plurimum, denūciat. Quod si itaq; circa initia rufa vehementer fuerit, biliosiorem morbum indicat: sin autem in declinatione talis excernatur, corpus probè expurgari significat. Viridis æruginosæ bilis nota est, sicuti nigra, vel atrę bilis, vel sanguinis in eo loco adusti. Si autem liuida fuerit, partium internarum validum fri

Marginal notes: optimā egestio — 2.prog.13. — Mala egestio. — Candicans. — Rufa uehemēter. — Viridis. — Nigra. — Liuida.

gus, ac veluti mortificationem monstrat. Pinguis, vbi nihil tale fuerit assumptum, colliquationis ac consumptionis corporis signum est. Quinetiam viscosa nisi & hæc ex cibi natura talis fit, colliquationis indicium est. Sed quæ quidem pinguis est, ex adipe fit liquefacto: quæ vero viscosa, ex ipsis solidis animantis partibus contabescentibus, quare deterior existit. Nimis fœtida haud exiguam ostẽdit putrefactionem. In his tamen omnibus attendendum an vel cibi talis naturæ, & qualitatis fuerint, vel intestina, ob innatam imbecillitatem defluxum pati consueuerint. Stridens, flatus cum tenui humiditate permixtos esse, instrumenta autem in vnum coacta, ac quodammodo compressa, atq; in angustum redacta significat. Spumosa egestio fit, cum aliquid quod feruet, aut flatuosus spiritus cũ humiditate pugnat. Varia, corpus varijs affectib. obnoxiũ ostendit, ob hoc igitur diuturnitatẽ præ se fert, & maligna existit. Sic quidem de egestionibus iudicare oportet.

Pinguis. Viscosa. Fœtida admodum. Stridens. Spumosa. Varia.

De sputis. Cap. XLVI.

SPuta tum potissimum consideranda, vbi pulmo aut thorax passionibus infestatur. Summæ enim cruditatis nota est, si nequicquam expuitur. Si humida educi incipiunt, sed exacte cruda, subobscura adhuc, & inconstans est transmutatio, definitq; tũc prima morbi pars, quę principium dicitur. Vbi vero pauca naturaq; expuuntur, continuoq; subinde plura & facilius educuntur, tum morbi incrementum instat. At vbi iam plane matura, plurima ac facillime excreantur, ad vigorem morbum peruenisse iudicandum erit. Vbi tandem simili modo matura facillime educuntur, sed pauciora, amoto etiam dolore, ægerq;

Morbi tẽpora ex sputo ut dignoscenda.

facile ſpiret,leuiterq; morbum ferat,tunc certiſſi-
Sputi colores quid ſignificẽt. ma declinatio adeſt. Porro' ſputũ ſubflauum,ſub-
rufum,leniter ſpumans,& tenue, ſolam cruditaté,
malum vero nullum inſigne denunciat. At ſynce-
re flauum,rufum,ſpumoſum,viride,viſcidum, ro-
tundum, atq; ijs adhuc magis nigrum, paruũ eſt.
Etenim præter ſanguinem quicunq; reliquorũ hu-
morum ſyncerus fuerit, prauam oſtendit diſpoſi-
tionem,à calore inflãmato generatã. Cruenta ve-
ro ſanguinea'ue ſputa,mediocria ſunt: flauæ vero
aut nigræ bilis,difficilia.Cæterum & excreationis
ipſorum modum attendere oportet.Nam ſi facile
educantur, liquido conſtat talia quidem eſſe ſalu-
bria,contraria vero mala.Abſolute itaque coctio-
nis nota eſt ſputum leue,album,æquale,conſiſten-
tia neque liquidum,neque craſſum. Atqui ſi non
atrum,ſed tenue ſputum fuerit, languidæ conco-
ctionis indicium eſt. Si liuidum, aut eruginoſum,
aut atrum, ſummam perniciem oſtendit. Reliqua
ex libro ſecundo prognoſticorũ,& Galeni in hunc
commentarijs require.

De pulſibus. Cap. XLVII.

QVum pulſus etiam ſit ex eorũ numero ex
quibus medici futura prædicere poſſunt,
operæprecium me facturum puto,ſi breui-
Pulſus quid. ter admodum,id quod compendij ratio exigit,de
ijs verba fecero.Principio itaq; ſciendum pulſum
Pulſus uſus. nihil aliud eſſe quàm motum cordis & arteriarum
διαςολή. ſenſilem,quo attolluntur & ſubmittũtur. Vſus ve-
ro eius duplex eſt.Sublatiõe enim ſeu dilatatione,
quam διαςολὴν Græci vocant,aër frigidus attrahi-
tur,qui vitale robur,vnde ſpiritus quoq; animalis
gignitur,excitat & recreat. Submiſſiõe autem ſeu
συςολή. contractione arteriæ, συςολὴν nominant Græci,

quod ex humorũ deustione in toto animante contractum, velut fumidum excrementum est, expellitur. Cuiusmodi itaq; instrumentis respirationis res est inspiratio, eiusmodi arterijs est dilatatio: & cuiusmodi est illis spiritus emissio, eiusmodi arterijs est contractio, quemadmodum fusius Galenus in libello de vsu pulsuum edito docet. Cæterum genera seu differentiæ pulsuum in vniuersum decẽ sunt. Primum quidem ex motionis tempore sumitur, & tam in sublatione quàm submissione consideratur. Ac huius quidẽ generis tres sunt differentiæ, celer, tardus, & mediocris. Omne enim quod motui est accommodatum, aut celeriter, aut tarde, aut mediocriter pro temporis ratione mouetur. Celer itaq; pulsus est quum modico tempore mouetur arteria: vel, qui breui tempore terminat motum. Tardus contrà, qui longo tempore, modico mouetur interuallo: vel breuius, qui multo tempore finit motum. Mediocris, qui quod ad motum attinet, medio quodámodo se habet modo. Secundum genus à quantitate sublationis seu diastoles sumitur. Nam quodlibet corpus tria sortitur interualla, longum, latum, & profundum. Quare quum arteria corpus sit, vt tribus constet interuallis necessum est. Huius generis iterũ tres sunt differentiæ, longus, latus, & altus. Longus est, qui longitudine naturali pulsu maior inuenitur. Latus, qui latitudine, Altus vero qui profũditate. Liquet autem quod eos qui ijs contrarij, & naturali minores sunt, secundum eam rationem liceat appellare, breuem, angustum, & humilem. Eorum vero qui omni distantia æqualiter in statum naturæ contrariũ vertuntur, hic quidem magnus, ille vero paruus dicitur. Magnus enim est qui triplici

Differentiæ pulsuum.

Primum genus pulsuum.

Celer pulsus.

Tardus.

Mediocris.

Secũdũ genus.

Longus.

Latus.

Altus.

Breuis.

Angustus.

Humilis.

Magnus.

dimensione, longitudine scilicet, latitudine, & profunditate auctus est. Paruus cōtrà, qui imminutus.

Paruus.

Tertiū genus. Tertium genus pulsuum à robore virtutis desumitur. Differentiæ ipsius tres sunt, vehemens, languidus & mediocris.

Vehemens. Vehemens quidem est, qui tangentis medici manum valide pulsat, ferit'ue.

Languidus. Languidus, qui inualide & imbecilliter. Medius, qui mediā quandam proportionem seruat ad vtrūq;.

Quartū genus. Quartum genus in arterię consistit corpore atq; substantia. Sunt vero & huius generis differentiæ tres, durus, mollis, & mediocris.

Durus. Durus est, quū durior ac veluti siccior, corijq; modo rigidior in occursu apparet arteria.

Mollis. Mollis, quū mollior, ac veluti carnosior.

Mediocris. Mediocris, vbi medio modo se habet.

Quinto genus. Quintum genus, ex quantitate infusionis seu plenitudinis arteriæ pendet. Infusionē enim arterię, quod in ea continetur humoris intellige. Huius aūt generis tres finguntur differentiæ, plenus, vacuus, & mediocris.

Plenus. Plenus est, vt Archigenes definit, qui arteriam pleniorem ostendit & submissionem eius succo impeditam.

Vacuus. Vacuus, qui bullæ modo arteriæ sublationem efficit, vt ad digitorū impressionem per vacua ingressus occurrat.

Mediocris. Mediocris fit, quum vas mediocriter repletum est.

Sextum genus. Sextū genus à qualitate caloris qui in corde habetur, & in arteria quodammodo magis euidēter apparet, desumitur. Eius tres sunt differentiæ, calidus, frigidus, & mediocris.

Calidus.

Frigidus.

Septimū genus. Septimum pulsuum genus in tēpore quietis consistit. Huius generis tres finguntur differētiæ, creber, rarus & mediocris.

Creber. Creber, frequens, seu densus est, cui breue quietis tempus est. Vel est, quum modico interposito tempore arteria distenditur.

Rarus. Rarus, cui longum quietis tempus est.

Mediocris. Mediocris, cui mediocre. Animaduerten-

dum vero quietem alio nomine dici interuallum: neq; enim aliud est nisi tempus quod duos ictus intercedit, vel quum inter duos ictus quiescit arteria. Octauũ genus pulsuum secundum rhythmũ est. Rhythmus vero est proportio temporis ad tẽpus. Differentiæ rhythmi seu numeri principes sunt duæ, eurythmus, & arythmus, hoc est, consonus seu cõcinnus, & dissonus ac incõcinnus. Neq; enim arythmus pulsus est qui nullum rhyhtmũ obtinet (id enim fieri non potest) sed malo rhythmo præditus: quemadmodum ἄφωνον, hoc est, nullam habere vocem dicimus eum, qui malã vocem sortitus est. Vitiũ itaq; natiui rhythmi, nõ absolutã abolitionem significat. Cæterũ quum cuiq; ætati naturalis sit pulsus, qui iam rhythmum seruat eurythmus vocatur, qui labefactat, aryhtmus. Huius autem tres sunt differentiæ, pararhythmus, heterorhythmus, ecrhythmus. Pararhythmus est qui mediocrem eurhythmi digressionem habet: vel significantius, qui rhythmũ labefactans interim vicinæ ætatis rhythmũ mutuat. Heterorhythmus est qui cuiuslibet alterius ætatis rhythmũ mutuatur: vel est qui multũ à concinnitate digredit. Ecrhythmus est qui nullius ætatis rhythmum retinet. vel, qui omnino concinnitatem corrumpit. Idem de naturis ac anni tẽporibus, & locis, omnibusq. alijs statuendũ. Suus est enim cuiq; horũ certus quidã rhythmus, qui cũ corrumpitur, arhythmum tũ intelliges, & quas eius diximus differentias esse. Nonum pulsuũ genus est, quod in omnibus prædictis generibus iuxta æqualitatẽ & inæqualitatem inuenitur. Aequalitas vero & inæqualitas tum in vno pulsu fiunt tum in pluribus. Quę pluribus in pulsibus æqualitas, & inæqualitas

Interuallum.
Octauũ genus.
Rhythumus.
Arythmus.
Eurhythmus.
Pararhythmus.
Heterorhythmus.
Ecrhythmus.
Nonum genus.

συστηματική, hoc est, collectiua æqualitas & inæqualitas.

animaduertitur, Græcis συστηματικὴ, Latinis collectiua nominatur. Aequalis autem absolute pulsus est, vbi omnino pares sunt differẽtiæ pulsuum. Vel est qui neq; magnitudinem, neq; velocitatem, neq; aliud habet quicquam impar.

Aequalis absolute seu ĩ omnibus generibus.

Inæqualis absolute.

Inæqualis absolute pulsus vocatur, si omnino impares manent. Quod si in vna vel pluribus differentiis sint pares, vel impares: quatenus pares sunt, hactenus pulsus æqualis appellabitur: quatenus impares, hactenus inæqualis.

Aequalis & inæqualis nõ simpliciter, sed in vno vel pluribus generibus.

Ille igitur qui in aliquo genere par vel impar est, cum illius vult nomine dici, magnitudine æqualis, celeritate æqualis, vehementia, & alio quoquo modo. Itidem inæqualis, aut magnitudine, aut velocitate, aut alio quopiam. Huius generis collectiuæ inæqualitatis sunt qui Græcis διαλείποντες, id est, deficientes, & παρεμπίπτοντες, hoc est, intercidentes vocantur.

Deficiens.

Deficiens est quando non solum in vno, aut etiã pluribus magnis, vnus minor apparet, sed nonnunquam totus quoq; motus aboletur. Hinc est quod in eo pulsu non solũ ad duas, sed ad tres vel plures percussiones, immobilis maneat arteria.

Intercidens.

Intercidens, huic planè contrarius est, quum expectata quiete in medio tãquam superuacanea aliqua pcussio intercidit.

Mutilus seu decurtatus. μείουρος

Mutilus autem seu decurtatus pulsus, qui Græcis μείουρος dicitur, est quando primo pulsu secundus paulò minor fit, & tertius secundo, quartusq; tertio pari modo, idq; deinceps vsq; ad plures. Nomen autem Græci à figuris, quæ in acutum desinũt, trãstulerunt.

Deficientes decurtati.

Qui vero perpetuò diminuuntur, neq; vnquam decrescere cessant, in immobilitatem ac quietem prorsus finiunt, Græcis ἐκλείποντες μείουροι, Latinis deficientes decurtati nuncupantur.

Decurtati recurrentes reciprociue.

Verũ qui desinunt, duplici sunt differentia. Quidã enim

in qua

in qua primũ paruitate diminui desierunt, hanc
perpetuo cõseruant. Alii aũt rursus augentur, vel
in partem priori magnitudinem reuertunt, vel ad
minorem, vel ad maiorem. Hi Græce μειούροι πα-
λινδρομοῦντες, Latine decurtati reciproci seu recur
rentes appellantur. Huiusmodi sanè quædam est
pulsuum inæqualitas, quæ systematica, hoc est, col Inæqualitas u-
lectiua nominatur. Inæqualitas vero quæ in vno nius pulsus, in
pulsu deprehenditur, vel in vna arteria parte, vel una parte ar-
in diuersis gignitur. Si in vna parte, tum vel in si- teriæ.
tu, vel motu eiusdem inæqualitas accidit. In situ
itaque partis inæqualitas consistit, inde nimirum,
quod arteria sursum, deorsum, prorsum, retrorsum
dextrorsum, & sinistrorsum deducta esse videtur.
In motu, quum aliter inceperit, ac aliter desierit
moueri circa vnum digitum arteria, incipiens quí
dem citatior desinens autem tardior: vel cõtrà in
cipiens tardior, desinens autem celerior. Atq; hoc
trifariam accidit, vel cum motus continuus appa-
ret, vel cum intercidit, vel cũ recurrit, & veluti bis
ferit. Si igitur manens continuus & nõ intercisus,
à celeritate ad tarditatem transierit, aut contrà,
Græce ἀνισοταχύς, hoc est impar citatus, eiusmodi
pulsus & est, & dicitur. Quod si quiete intercisus ἀνισοταχύς.
cætera velocior appareat, δορκαδίζων Græcis, ca- δορκαδίζων.
prizans Latinis appellatur, à caprea, quæ δορκὰς Caprizans.
illis dicitur, sumpta metaphora. Quemadmodum
enim illa inter saliendum sublimis hæret, atque
secundum quempiam motum inopinatum prio-
re celeriorem molitur: ita hic pulsus quum aliquã
tulum intercisus videtur, deinceps multo citatior
apparet. Porro si à sublatione dilatatione ue re-
currerit, & antequam perfecte submittatur secun- δίκροτος.
do tactum ferierit, δίκροτος Græcis, bis feriens & Bis feriens.

pulsans Latinis vocatur. Atqui non solum in motus tempore inæqualitas quæ vno ictu in eadem arteriæ parte accidit fieri potest, verũ & illa quæ secundum robur virtutis constat: non autem ea quæ secundum quantitatem distantiarum cõprehenditur. Nullo enim modo idem pulsus in eadẽ particula magnus & paruus fieri potest, neque in eodem genere. Cæterum inæqualitas in vno pulsu, in diuersis arteriæ partibus bifariam fit: Nunc quidem cum motus manet continuus, & arteria iuxta quosdam digitos citius mouetur, iuxta quosdam vero tardius (nunc autem quum motus intercidatur, vt nonnulli quidem digiti motum apprehendant, nõnulli vero nõ. Et secundum diastoles seu sublationis quantitatem in pluribus quidẽ arteriæ partibus inæqualitas manifesta est. Ex quo genere sunt qui μειοῦροι seu decurtati in vna diastole seu sublatione vocantur, & ille etiam qui Græcis ἐπινενευκότες, & περινενευκότες, hoc est, innuentes & circumnuentes appellantur. Si enim in digito interiori magnus subincidit pulsus, eleuatus inde iuxta rationem minuatur, vt exterius ad ægrotantis pollicẽ minima arteriæ pars appareat, μύουρος, ad muris caudæ similitudinem vel μάουρος, quod caudæ modo imminuatur, vocatur. At si iuxta medios digitos magnus incidens, eleuatusq; vtrobiq; minuatur, minor apparens, hunc Archigenes νενευκότα καὶ περινενευκότα, hoc est innuentem & circumnuentem seu nutantem & circumnuentem appellauit, manifesto significare volens sublationis breuitatem cum extremorum vtrorunq; veluti nutatione. Non enim vt abscissis protinus vtrinq; partibus, sed veluti inflexis in breuitatẽ contractus est, myurus magnitudine in vtrisq; parti-

Inæqualitas unius pulsus, in diuersis arteriæ partibus.

Innuentes. Circumnuẽtes.

μύουρος. μάουρος.

bus existens. Cæterum si inæqualitas ad magnitudinem ipsam celeritatem aut tarditatem assumpserit, pulsus fluctuosi vndosi'ue, & vermiculantes fiunt. Quod si vero eam quæ in situ est receprint, conuulsorij & turbulenti seu vibrati nominati constituuntur. Exordiendum igitur est ab vndoso, qui Græcis κυματώδης, nonnullis interpretibus Latinis fluctuosis appellatur. Fit quando non simul vniuersa materia dilatatur attollitur ue, sed primo pars eius prima, deinde secunda, mox tertia, ab hac quarta motu continuo manente, in modū vndarum sese eleuantium, sic quidem vt altera vnda semper priorem excipiat. Vndosus totus si in paruitatē desinat ac imminuatur, vermiculans Latinis, σκωληκίζων Græcis, quod assimilis sit vermis gressui, nuncupatur. A vermiculante, itaque pulsu, vndosus non nisi magnitudine differt. Quem admodum vero vndosum pulsum factum minorem vermiculans excipit, ita formicans vermiculantem. Formicans enim, qui Græcis μυρμηκίζων nominatur, fit cum motibus multis amissis in vnū eumq; prorsus exiguum desierit. Nomen inuenit à similitudine, quæ sibi cum animante est formica, ob paruitatem, vt quidam volunt, vt alij, ob motus speciem. Est enim admodum paruus, vt quo haud est minor alius, pari modo languidissimus omnium, ac creberrimus, non tamen celer. Huic adhæret pulsus hecticus: quemadmodum enim febris, sic etiā pulsus hecticus est, qui nullā mutationem magnā subit, sed semper sui similis manet, implicaturq; vt ab initio cœpit, & nunquam soluitur, totius corporis habitu in morbū cōuerso, & ægrotante. Conuulsiui pulsus sunt qui vtrinque ab extremis retracti, protensi, & conuulsi videntur, in-

Vndosus. κυματώδης.

Vermiculans. σκωληκίζων.

Formicans. μυρμηκίζων.

Hecticus.

Conuulsiuus.

Turbulentus seu vibratus. κλονώδης. stat chordæ alicuius tensæ sensum præbẽtes. Turbulenti seu vibrati, qui Græcis κλονώδεις dicuntur, sunt in quibus nihil tale reperitur: sed maior in his est diastole seu sublatio, vt partium arteriæ hæ quidem sursum, hę vero deorsum, vno eodẽq; tempore ferantur. Maximeq; motum earum iaculis assimilauerit quispiam, quæ violenter emissa, celeriter vibrata feruntur. Serratus vero pulsus, qui ἐμπρίων dicitur Græcis, est quum alia pars arteriæ dilatata, alia minus, ob duritiem nimirum ipsius, esse videtur. Nostri serratilem vocant.

Serratus. ἐμπρίων.

Decimũ genus pulsuum. Ordinatus. Inordinatus. Decimum genus pulsuum ex inæqualitate profectum, ex ordine, & inordinationem nascitur. Ordinatus enim & inordinatus diuisa inæqualitate in paritatem circuituum, & in absolutam imparitatem, ex vtraq; sectione generantur: in circuituum paritate ordinatus, in absoluta imparitate inordinatus. Siquidẽ pulsus æqualis omnino etiã est ordinatus, inæqualis autem non omnino inordinatus est. Si năq; paritatem corrumpat, circuitum vero seruet, veluti in diastoles quantitate, si contingat vt duo magni, & vnus paruus sit, deinde rursus duo magni, & vnus paruus atq; sic deinceps, vocabitur inæqualis quidem, sed ordinatus. At si ad hoc vt paritatem corrumpat, neq; ordinem aliquem inęqualitatis conseruet, præter inæqualitatem, etiam inordinatus talis est. Inordinatorum alii quidem ex toto inordinati sunt, ne vel exiguum quendã circuitum obseruantes: alii vero secundum circuitus ordinati. Quatenus enim continuum ordinẽ non habent, inordinati vocabuntur: quatenus autem diu circuitum quendam obseruant, secundum circuitus ordinati sunt. Verbi gratia, si contingat fieri duos magnos, & duos paruos; deinde tres ma-

gnos,& tres paruos: quatuor magnos, & totidem paruos, & è contrario tanquam reflectentes duos magnos,& duos paruos:tres magnos, & totidem paruos,& deinceps similter. Hæc de pulsuum differentia,pro compendii ratione medicinæ studiosis sufficere putauerim. Si enim exactius quispiam eas rimari volet,libros quatuor Galeni de pulsuũ differentiis inscriptos legat licebit,in quibus quicquid ad exquisitam eius rei notitiam attinet plenissime tradidit. Nos ad pulsuum causas explicandas sermonem vertemus. Magnus itaq; pulsus fit, vbi robur facultatis validum, ac plus iusto abundans calor in corde collectus fuerit,& instrumentum obediens,vsusq; multus. Vbi vero magnitudo vsui non suffecerit,statim celeritas ipsi quoq; accedit. Quod si ne sic quidem satis fuerit, mox frequentiam etiam assumit. Paruus vero pulsus à contrariis fit causis. Aut enim ob facultatis imbecillitatem, aut instrumẽtorum duritiem,aut vsum vel necessitatem deficientem accidit. Longus pulsus fit à siccitate & eliquatione carnium circumiacentium, reliquis interuallis seu distãtiis collapsis. Latus vero propter humiditatem potissimum abundantẽ, vel secundum naturam, vel etiam ab externis causis. Altus autem ob instrumenti molliciem, facultate simul aucta, velox seu celer, vt dictum est, propter facultatis robur, & vsum multum. Tardus vero, à contrariis causis. Frequens itidem ob vsum multum. Rarus autem ob exiguum, & frigiditatẽ multam. Pulsus vero vehemens à facultatis robore efficitur, nulla alia causarum renitẽte, verbi gratia, vsu dissoluto, aut instrumenti duritie. Languidus pulsus, imbecille facultatis & solius soboles est, aliud licet nihil adfuerit. Durus pulsus fit pro-

[Margin notes: Causæ pulsus. Magni. — Parui. — Longi. — Lati. — Alti. — Velocis. — Tardi. — Frequentis. — Rari. — Vehementis. — Languidi. — Duri.]

pter instrumenti duritiem, quam refrigeratio im-
modica, aut siccitas, aut tensio ab inflammatione
profecta, aut conuulsio inducit. Mollis pulsus, arte-
riæ humiditatis comes est, quam humidiorem red
dunt ex iis quæ secundum naturam sunt, cibi hu-
mectiores, balnea frequentia, somnus multus, vi-
ctus ratio & copiosior, & delectabilior. Ex iis quę
præter naturam sunt, comata, lethargi, aquæ inter
cutem, & reliqua à pituita orta vitia. Plenus pul-
sus, aut humorum copiam, aut ciborum, aut vini
potionis abundantiam indicat. Vacuus vero con
traria, nempe famem inediam'ue, aut euacuationē.
pulsus in quiete & motu rhythmus æqualis, pro-
bam totius corporis temperiem præ se fert. Sin lō
gius quietis tempus quàm motus fuerit, calorem
dominari significat. Deficiens pulsus & intercidēs,
facultate oppressa, & veluti aggrauata, fiunt. Sed
intercidens minorem, deficiens vero maiorem no
xam denotat. Recurrens pulsus facultatem qui-
dem imbecillem, sed repugnantem adhuc, & resi
stentem, renuentemq; significat. In vno autē ictu
myuri & innuentes aut circumnuentes vocati, iis
maxime fiunt, qui paulatim contabuerunt, item in
flammationibus nō solutis. Præterea plurimis quo
modocunq; tabescentibus, dum partes quæ circa
arterias sunt emarcescunt. Caprizans pulsus, fe-
briles potissimum calores comitatur. Verum, si pul
sus diastoles principia dissoluēs, extremum ipsius
acceleret, & submissionis initium, putredinem exu
perantem significat. Bis feriens seu dicrotus pul-
sus fit, quando arteriæ durities intenditur, & vir
tus valida est. Vndosus humidiores potissimum
passiones sequitur, atq; his magis aquæ inter cutē
genus quod anasarcam vocant, item lethargū, &

Mollis. Pleni. Vacui. Aequalitas rhythmi. Deficientis. Recurrentis. Innuentis. Caprizantis. Dicroti. Vndosi.

peripneumoniam. At cum facultas dissolui cœperit, sed paululum adhuc resistat, vndosus in vermiculantem decidit. Vbi vero extreme collapsa fuerit, hunc formicans excipit. Hecticus autẽ proprie tabidis, & alioqui emaciatis accidit. Conuulsiuus fit, quum neruorum principium aliquem inflãmationis affectum sustinet, veluti in phreniticis, & acuta epilepsia laborantibus. Turbulentus pulsus efficitur, cum vsus seu necessitas magnam sublationẽ requirit, & vitale robur sua functione vti potest. Serratus pulsus in vniuersum inflammationis, præsertim partium quarundam neruosarum, comes existit. Quinetiam pleuritidi peculiaris est. Ex iis facile innotescet quid ex pulsibus sit prædicendum: siquidem causis pulsuum agnitis, promptissime quid portendant sciri potest. Quod si tamen ex pulsibus prædicendi exactam, quis habere notitiam desiderat, is libros Galeni quatuor ea de re conscriptos euoluat, aliosq; quatuor de causis pulsuum hos præcedentes, & hauddubie voti cõpos fiet. Nos cõpẽdii ratione habita, sermoni de pulsibus hic finem imponimus.

Vermiculantis.
Formicantis.
Hectici.
Conuulsiui.
Turbulenti.
Serrati.

De curandi ratione. Cap. XLVIII.

ABsoluta ea medicinæ parte quæ præteritorum, præsentium & futurorum prædictiones tradit, atque à Græcis σημειωτικὴ appellatur, ad vltimam eiusdem partem, quæ θεραπευτικὴ dicitur, eò quod curandi rationem doceat nobis transeundum erit. Cum vero multi sint medicorum tum Græcorum tum Arabum qui illam literis mandauerint, delectum certe in iis vt habeãt medicæ artis studiosi necesse est, ne scilicet ea ex iis discant, quæ ad ægri interitũ magis, quàm salutem conferunt. Neq; enim omniũ scripta talia sunt,

Curandi ratio à quibus discenda autoribus.

vt erroribus ex omni parte vacent. Quapropter cum nemo vnquam medendi rationem Galeno ipso exquisitius, rectius, ac diligentius posteritati tradiderit, præstat certe hanc ex illo, quàm aliis discere. Sunt autem ex illius de medendi ratione libris in primis cognoscendæ indicationes curationis, quas ille accuratissime ac absolutissime perdocuit. Inter quas, omnium morborum prima ac communis, est contrarietas, quam omnia quæ præter naturam se habent, requirunt. Hinc tritum hoc in scholis medicorum est, vt contraria contrariis curari vno omnes ore asserant. Altera etiã quæ à temperamento vniuersi corporis, aut partis vnius, item quæ ex eiusdem situ, sensus acumine ac hebetudine, item à tempore morbi, anni, regione, ætate, cõsuetudine, & iis similibus sumitur, quas singulas in præsentia commemorare non est nostri instituti. Quare prudẽter admodũ fecerint studiosi, si primum eas indicationes quæ ad curationem morbi similariũ & instrumentalium partiũ cõmunis, solutionem nimirum vnionis, necessariæ sunt didicerint: quod promptè poterunt, si Galeni libros, tertium, quartum, quintum & sextum, quos ille de curandi ratione conscripsit, accurate perlustrauerint. Dein eas cognouerint indicationes, quæ ad morborum qui ex intemperie ortum habent, & in solis similaribus consistunt, curationẽ recte perficiendam requiruntur: quas singulas idẽ in septimo, octauo, nono, decimo & vndecimo therapeuticæ methodi perspicue & copiose tradit. Quod si compendium quis affectat, adhibeat quæ ille libro primo curationis ad Glauconem docet. Quæ ad symptomatum curationem spectant, ex duodecimo illius libro quem de medendi ratio-

Indicationes curationis.

Contrarietas.

ne edidit, petendæ erunt. Quæ vero ad tumorũ præter naturam, atq; adeo morborum qui in magnitudine consistunt curationem necessariæ sunt indicationes, eas ex decimotertio & decimoquarto, & secundo ad Glauconem libris Galeni de curandi ratione discere oportet. Quæ ad reliquorũ morborum qui in partibus instrumentalibus fiunt curationem requiruntur, idem ille in arte medicinali breuiter admodum tradit. Hactenus vnde indicationes curationis discendæ sunt paucis monstrauimus, nunc vnde petenda sint remedia ostendemus. A nullo certe, mea quidem sententia, rectius morborum prædictorum auxilia ac remedia petes quàm à Galeno, qui ea partim in iis libris quos ille de medicamentorum simplicium, ac alimentorum facultatibus edidit, partim in iis, & quidem ex professo, quos de compositione medicamentorum secundum genera, & locos conscripsit, exquisita quadã ac infallibili ratione docet. Quo vno etiam nomine recentioribus merito præferendus erit, quod ii veram componendi rationẽ medicamentorum non exquisite tenuisse videantur. Galeno coniungendi sunt Aëtius & Paulus, qui compendiose, quæ ille fusius tradidit, perstrinxerunt. In plerisq; tamen locis, in quibus à Galeno dissentire videntur, iudicio opus erit. Nos etiam nostram operam in ea re studiosis impartire voluimus, in iis libris quos de medendi ratione cõscripsimus. Quod ad Arabes attinet, non puto penitus esse reiiciendos, sed tamen cum summo iudicio & delectu legendos, quum constet omnibus veritatem candide colentibus, eosdem multis in locis turpiter impegisse. Neq; tamen vehementer etiam ad eorundem lectionem hortor, quod prõ

A quo autore morborum remedia sint petenda.

Arabes cum iudicio & delectu legendi.

ptius quę illi tradunt, ex Aëtio & Paulo, ex quibus ferè omnia ad verbũ transcripserunt, disci queat. De reliqua turba barbarorum & recentiorum medicorum non magnifice admodum sentio, quod intelligam illos multa perperam & obscure docuisse, atque adeo remoras rudi lectori obiecisse. Quare vt parce admodum eosqem attingant, studiosos medicinæ moneo. Nos hic operi finem imponemus quod totum in hoc concinnatum à nobis est, vt viam quandam ad facilius Galeni scripta intelligenda solidioris medicinæ sectatoribus præstrueret. Nec puto nos falsos esse: iudicium tamen penes candidum lectorem, & veritatis amatores esse volumus, quibus solis vt gratificaremur, hoc quicquid est laboris subire non sumus grauati. Quare illorum erit, vt hunc æqui boniq; faciant.

Peroratio.

METHODI MEDICINAE PER Leonarthum Fuchsium.

FINIS.

AMPLISSSIMO VIRO AC SINGVLARI STVdiosorum mecœnati, D. Georgio Voglero compatri suo, Leonarthus Fuchsius, S. P. D.



IV multumq; mehercle dubitaui num operæprecium facerem, si hos nostros de componendorum miscẽdorumq; medicamentorum ratione inscriptos libros diuulgarem: non hocquidem nomine quod eos inutiles aut noxios vere studiosis fore iudicarem, sed quod cognitum atq; perspectum haberem, inter eos qui hodie ad studium medicinæ animum retulerunt complures esse, qui instar Thessali hominis ignauissimi & impudentissimi artem breuissimo compendio consequi cupiant, atque adeo metuerem ne iis nostris vigiliis ad suarum cupiditatum obsequium perdite essent abusuri. Nemo enim est qui nesciat, homines illos indoctos & omni syncero iudicio destitutos, in hoc vno tm̃ prorã & puppim artis statuere, vt formulas medicamentorũ compositorũ, quas illi barbara & insulsa voce receptas vocant, vtcunque pro huius temporis more concinnare queant. Hinc præ iis omnia alia, ad artis etiam rectam ac legitimam tractationem summe necessaria, contemnunt & fastidiunt, iisdem que solis freti, nec vllis ad id institutum necessariis rebus adiuti, medicinam factitant, &, vt sic dicam, praxim exercent. Quod cum audacter magis quàm perite faciunt, bone Deus, quàm

Thessali (nostræ ætatis cõplures

multis scelerate imponunt, quando cuicūq;, vt Plinii verbis vtar, medicum se profitenti statim credatur. Quod tamen ferendum forte æquiore animo esset, nisi, vt idem ait, periculis nostris discerent, & experimenta per mortes agerent, illisq; tantū hominem occidisse summa impunitas esset. Et, quod omnium maxime dolendum, impunitatem sceleris, atq; adeo audaciam & impudentiam horum carnificum augent & tuentur publica etiam quædam (pro pudor) Germaniæ nostræ gymnasia, quæ tanta conquirendæ pecuniæ auaritia inuasit, vt eos etiam medici titulo non verentur ornare, qui nullis prorsus puerilibus artibus, nec aliis rebus ad artis, saltem pertenuem, cognitionem necessariis instructi sunt. Et nisi me Christiana charitas reprimeret, ac monendos primum esse eius sceleris consortes hortaretur, vix mihi temperassem quin eam scholam quæ nuper nobis tam deforme ac immane monstrum peperit, nominatim perstrinxissem. Verum vt redeam vnde digressus sum, cum timerem ne indoctis & scelerate singulis abutentibus rebus, artem temere exercendi iis lucubrationibus nostris occasionem præberem, consilium fuit easdem penitus supprimere, longe melius esse ratus vt subinde domi cum blattis & tineis rixarentur, quàm quod in publicum quorūdam improbitati seruituræ prodirent. Atqui cum paulo post hanc rem rectius mecum reputarem, ac nihil in vita humana tam ex omni parte beatū esse quo hominum malitia non possit abuti cogitarem, quod statutum cum animo & deliberatum habui, mutare confestim cœpi. Nam si omnibus, per se etiam bonis, quibus humana temeritas pro sua libidine pessime abutitur luce publica inter-

Propter abusū rebus per se bonis publica lux nō denegāda.

dici debet, certe leges in vniuerſum omnes tam diuinæ quàm humanæ abrogandę erunt, quod nimirum illas hominum improbitas peruerſitasq́, ad ſuæ cupiditatis obſequium detorqueat. Præterea panis & vinum, optimę & ad vitam humanam ſuſtentandam maximè neceſſariæ Dei creaturæ, ſtatim è medio tollendæ venient, quod complures olim iis abuſi ſint, & adhuc hodie quotidie abutantur. Quis eſt enim qui neſciat M. Aſellum pane in quem reconderat venenum necaſſe Oppianũ? [Quem latet, quod hiſtoriæ palàm tradunt, fuiſſe monachum quendam Senenſem, vt eſt hoc hominum genus ad quæuis etiam immania ſcelera perpetrãda facile, qui pane cœnæ dominicę, cui (pro abhorrendum facinus) venenum miſcuerat, Henricum VII. Imperatorem trucidare non ſit veritus.] Deniq; quot ſunt hodie, vt eſt in prouerbio, ἐτώσια ἄχθεα ἀρούρης, & ad perdenda tantum vina nati, qui ob crebras compotationes in quibus illis de magnitudine poculorum aſſiduum eſt certamen, vino peſſimè abutuntur? Et quid attinet omnia quibus abutuntur improbi homines commemorare, cum tale aliquid conantem chartę citius quàm verba deficerent? Quare cum nemo ſit qui ſic à ſenſu communi abhorreat, vt propter abuſum rebus optimis lucem eſſe adimendam putet: cum alias leges ſine quibus publica pax & tranquillitas conſeruari non poteſt abrogandæ forēt, vites & frumenta radicitus extirpanda: non ſum & ipſe paſſus vt hi noſtri labores, è quibus non parum fructus ac emolumenti ſolidioris medicinæ, atq; adeo veritatis ſtudioſos percepturos certo ſcirem, propter paucos aliquot indoctos, eoſdemq́; impenſe ſceleratos domi diutius laterent, ſed vt in

publicum potius exirent curaui. Dedimus enim strenuam operam vt eam de compositis medicamentis medicinæ partem non solum succinctè & perspicuè, verumetiam quoad nobis licuit latinissime traderemus, quo tandem abiectis barbaris & ineptis vocibus pro iis magis latinis & receptis vti assuesceremus, ne subinde perpetuo nobis cũ balbis & indoctis seplasiariis sit balbutiendum. Quod eò etiam magis nobis conãdum erit, quod hæc medicinæ pars pristinum suum nitorem recipere non queat, nisi primum seplasiarii vnà cum medicis barbara & insulsa vocabula abiiciant, ac pro iisdem meliora & legitima discant. Cæterum hic etiam quasi viam quandam struximus perueniendi ad legitimas Græcorum, recentiorum potissimum, compositiones, ad quorum præscriptum non paucas hodie vsitatas referre studuimus. Digessimus autem totum opus in libros tres, in quorum primo simplicium medicamentorum, quorũ hodie in officinis frequens est vsus, nomenclaturas optimo sanè ordine perstrinximus, adiectis passim, vbi necesse fuit, barbaris hodieq; vsitatis. In eo & iam eorundem temperamenta, & quæ ex iis singulares corporis partes iuuant, nominatim indicauimus. Adiecimus deniq; secundarũ vniuscuiusq; medicamenti simplicis qualitatum commemorationem, ac breuem purgantium medicamentorum, ex Græcorum sententia, descriptionem. Et hæc quidem in primo. In altero ponderum quibus officinæ hoc vtuntur tempore, & vniuersorũ medicamentorum compositorum quæ intra corpus sumuntur componendi rationem docuimus. In tertio vero breuissimè medicamentorum compositorum quæ corpori extrinsecus admouentur

Medicis & seplasiariis barbaræ & ineptæ voces dediscẽdæ.

Operis vniuersi diuisio.

concinnandi formam mõstrauimus. Quid multa? nihil eorum prorsus in iis libris quæ ad recte miscenda medicamenta cognoscere studiosos oportet, à nobis omissum aut negligenter præteritum est. Quos quidem cum diu multumq́. cogitassem cui potissimum nuncuparem, nemo planè mihi occurrebat cui iustius quàm tibi dicarẽ: idq́; ob multa & immensa quę in me contulisti beneficia: quibus tametsi hac ratione in vniuersum respondere non possum, tamen in pręsentia sat sit animi mei erga te gratitudinem vtcunque declarasse. Volui enim quod antea priuatis ad te literis sæpius à me est factitatum, nunc etiam publicè testari, mihi fauorem tuum quo me complecteris longe esse gratissimum. Tuum itaq; erit vt hunc libellum eo accipias animo, quo me atque subinde alios multos bonos & eruditos viros excipere solitus es, planeq́; tibi persuadeas, me tuæ famæ atq; nominis, tuorum erga me causa meritorum esse studiosissimũ. Bene vale. Tubingæ XVIII. Cal. Augusti. anno à Christo nato. M. D. XL.

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPONENDORVM

miſcendorumq́. medicamentorum ratione, liber primus, LEONHARTO Fuchſio autore.

PROOEMIVM.




QVANDOQVIDEM componēdorum miſcendorumq́; medicamentorum ratio ſine ſimplicium, ex quibus, veluti ſua materia, conſtant, notitia commode tradi non poſſit, operæprecium me facturum putaui, ſi primo huius operis libro ſimplicium medicamentorum, nō quidem omniū (idipſum enim ab inſtituto noſtro alienum planè foret: ſed eorum duntaxat quorū hoc tempore in ſingulis propemodum Germaniæ noſtræ officinis frequens vſus eſt, nomina ordine quodam perſtringerem, ac medicamentariæ rei ſtudioſis ob oculos ponerem. Nemo tamen aliud à nobis niſi nuda illorum nomina requirat. Siquidem formas, facultates, & alia quæ ad exquiſitam ſimplicium medicamentorum cognitionem ſpectant, in commentrariis noſtris de plantarum hiſtoria, quos propediem in lucem edemus, pleniſſime docuimus. Nomina autē producemus ea, quæ optimis Græcis & Latinis autoribus recepta ſunt, adiectis vbi neceſſitas efflagitabit, barbaris & vſitatis, vt ſcilicet hac ratione tam iis qui omnia puris & latinis vocibus efferre ſtudent, quàm iis etiā qui conſuetis ac vulgatis vti malunt, cōſultum ſit. Quid primo libro doceatur. Barbara cur paſſim adiecta.

Q

Nam hoc unicum nim fuit studium cum in hac, tũ omnibus alijs nostris lucubrationibus ut singulorũ commoditatibus inseruiremus. Sic enim compara ta est studiorum nostrorum ratio, ut eam omnem ad omnium utilitatem cómodumq́; conferamus. Quare cum, Galen. lib. 1. de simpl. med. facultatib. cap. 14. teste, impossibile sit ut boni cõpositorꝶ me dicamentorũ sint artifices, aut dextrè illis uti que-ant qui simplicia non cognoscunt, dabunt sedulam operam medicinæ studiosi ut primum nomencla turas: quas hoc in libro trademus: deinde faculta tes, formasq́; simplicium, quas alibi docebimus, per discant: sic enim promptè & magna cum laude atq; utilitate, composita tum costruent, tum dextrè etiã usurpabunt.

Quo medicamentum à nutrimento di- stet, & quotuplex sit natura medi- camentorum. Cap. I.


E itaq; ab ignotis exordiamur, quum tota tractatio in hoc opere de medica mentis futura sit, necesse est primum quid sit medicamentum definiamus, & quotuplex eius natura, breuiter ex- plicemus. Medicamentum igitur in uniuersum est omne id quod naturam substantiam'ue alterare ac mutare potest, adeoq́; nutrimẽto planè contrarium est, quod quidem substantiã ipsam augere potest, id quod tamen nequaquam accidere potest, nisi prius ab ea alteretur, huicq́; assimiletur. Medicamẽ torum uero natura quadruplex est. Quippe uel nul la substantiæ suæ mutata parte, sed tota integraq́; seruata, uincũt, corpusq́, ipsum afficiunt ac mutant, ad eum modum quo id cibos: atq; hæc prorsus grauia, & naturæ animalis corruptricia sunt, ideoq́;

Medicamentũ quid.

Nutrimentũ quid.

Medicamẽtorũ natura quadru- plex.

Prima.

Græcis δηλητήρια, hoc est, uenenosa & pestilētia dicū tur. Talia quidem sunt quæ frigiditate sua interi munt, utputa cicuta, papauer, hyoscyami semen, mandragora, & alia eius generis. Et hæc sanè non toto genere humanæ naturæ deleteria et letalia sunt, sed sola quantitate. Nam horum quodq; si exi gua quantitate sumptum fuerit, nullam euidentem noxam hominibus infert, tantum abest ut mortem afferat, haud secus quàm si copiosæ flammæ pauxil lum aquæ instilles, aut lignum inijcias humidum ac uiride. Neq; utiq; eo minus deleteria sunt dicē da, quod quū minima quantitate exhibentur, nul lam sensibilem noxā inferant: sic nanq; neq; ignis ipse calidus erit, neq. nix frigida. Nam horū quoq; si quid prorsus exiguum est, nullum euidens in cor poribus nostris excitat pathos: quippe centesima vnius scintillę pars est quidem omnino genere ignis, cæterum adeò nos non vrit excalfacitue, vt corpori incidēs, ne sensum quidem vllum sui exci tet. Ad eundem modum frigidæ guttæ centesima portio non modo nihil offendit aut refrigerat, sed nec sensum sui vllum præbet. Nequaquā igitur sic iudicanda deleteria sunt, imò totius naturæ cōtra rietate. Secunda medicamentorū species eorū est, quæ vbi mutationis initium ab animalis corpore consecuta fuerint, subinde putrescunt, ac corrum puntur, vnáq; corpus ipsum corrumpunt ac putre faciunt. Eiusmodi sunt quæ erodendo putrefacien doq; interimunt medicamenta, vt cantharides, auri pigmentum, chrysocolla, aconitum, & similia. Sunt autem hæc quoq; deleteria ac perniciosa toto qui dē genere, nō vt frigefacientia duntaxat quanti tate. Putrefacientia enim etiamsi minima quantita te sumantur, omnino tamen corrumpunt, nisi vnà

Δηλητήρια.

Deleteria sola quātitate quæ.

Obiectio dis luitur.

Secunda.

Deleteria toto genere quæ.

cum excrementis excernantur priusquam iniuria corpus afficiant, aut cibis aut aliis quæ vim eorundem obtundunt mixta fuerint. Est his etiam amplius tertia medicamentorum species, eorum nimirum quæ corpus quidem calefaciunt, mali tamen nihil adferunt; quale est absinthium, & alia huiusmodi. Quarta eorum species, quæ agunt & patiuntur aliquid, sed spacio vincuntur, planeq; assimilantur. Accidit porro his, vt tã medicamenta sint, quàm nutrimenta veluti enim medicamenta corpus nostrum afficiunt, & alterant: veluti autem nutrimenta nihil in corpus agunt, sed ab illo alterata & prorsus adsimilata calorem naturalem augent, vt est lactuca, & id genus alia multa.

Tertia.

Quarta.

Quid sit medicamentum simplex, & eiusdem diuisio, Cap. II.

Porro medicamentum simplex per oppositionem ad cõpositum nuncupatum est. Neq; enim simplex aliud est quàm immixtum & syncerum. Medicamentum itaq; simplex, Galeno lib. 1. de simpl. medic. facul. cap. 1. teste, est quod secundum suam naturã syncerum, & à mixtura alterius medicamenti alienum est. Natura vero hic nihil aliud significat nisi essentiam & substantiam: vt sit sensus, Medicamentum simplex est id cuius substãtia syncera est, & cum substantia alterius medicamenti nõ commixta. Sic idem Galenus cap. 4. eiusdem operis exacte & syncere aquam vocat eam, quæ alterius substãtiæ mistione vacat. Quod ideo adiiciendum esse putaui, ne imperiti docere pugnãtia Galenum arbitrarentur, dum lib. 3. simpl. medic. cap. 15. tradit, omnia propemodum medicamenta licet sensu simplicia appareant, natura tamen esse composita. Eo enim in loco natura non

Medicamentũ simplex.

Natura.

significat substantiam seu essentiam, sed facultatẽ: vt verborum Galeni is planè sit sensus: Tametsi medicamenta sensu simplicia appareant, atq; adeo cum alia non sint commixta substantia, natura tamen ac facultate composita sunt. Naturam autem in hoc Galeni loco denotare facultatem ac vires, metipse Galenus demõstrat, qui seipsum interpretans inquit: Quin & subinde compositas easq; diuersissimas in se continent facultates: id quod statim capite sequenti, brassicæ, lenticulæ, conchularum, & multorum & aliorum medicamentorum exẽplo ostendit. His accedit quod Galenus lib. 1. de sympt. caus. cap. 1. manifeste naturam pro facultate sumi testatur. Cæterum simplicium medicamentorum materiæ quædã à plantis & arboribus proueniunt, vt sunt herbarum & arborum folia, flores, semina, fructus, radices, succi prædensi, liquores, cortices, ligna, gummi: de quibus copiose Gal. à sexto simpl. med. lib. vsq; ad nonum agit. Quædam ab animantibus, vt pinguedines, ossa, medullæ, caro, partes, pili, excremẽta, sanguis, lac: de quibus Galenus lib. 10. & 11. de simpl. medic. facult. abunde scribit. Nonnulla à metallis, ac terra ipsa sumuntur, vt sunt lapides, gemmæ, terrarumq; diuersarum species de quibus libro nono simpliciũ Galen. plenissime scribit. Aliqua à mari & aquis, nec sunt animalia, proueniunt: de quibus in fine libri vndecimi simplicium disserit Galenus. Hanc sanè diuisionem, qua Galenus etiam libro primo de compos. medic. secũdum genera vsus est, vt rectius studiosi assequerentur, in breue admodum schema digessimus.

Generalis simpliciũ diuisio.

A plantis proueniunt.

Ab animãtibus

A metallis ac terra.

A mari & aquis

Simplicium medicamentorum materiæ quædã proueniunt à

- Plantis & arboribus, quarum hæ sunt partes.
  - Folia, Flores
  - Semina
  - Fructus
  - Radices
  - Succi
  - Liquores
  - Gummi
  - Cortices, Ligna
- Animantibus, vt sunt
  - Pinguedines
  - Medullæ
  - Ossa, Caro
  - Partes, Pili
  - Excrementa
  - Sanguis, Lac.
- Terra, vt sunt
  - Metalla
  - Lapides
  - Gemmę
  - Terræ.
- Mari & aquis, vt sunt
  - Sal
  - Spuma salis
  - Bitumen
  - Spongia
  - Garum, Muria

Nunc reliquum est, vt ordine singulorum iam memoratorum medicaminum nomenclaturas percenseamus.

Quæ è plantis & arboribus medicamenta. Cap. III.

PLANTAE ET ARBORES.

Abrotonum
Absinthium
Adiantum, officinis capillis Veneris dicitur.
Alsine, officinis morsus gallinæ.
Althæa, officinis bismalua.
Amarātū purpureū, vulgo flos amoris.
Amarantū luteū, officinis & barbaris stichās citrina.
Anagallis vtraq;
Anethum
Aparine
Artemisiæ, officinis scđa spēs matricaria, tertia tanacetū
Asarum
Angelica
Antispodiū, spodiū.
Aquileia
Asclepias, barbaris hirundinaria, & vince toxicon.
Asparagus, officinis sparagus
Asplenum, officinis ceterach
After atticus
Attractilis, vulgo carduus benedictus
Atriplex
Bellis minor syluestris, officinis primula veris.
Beta
Betonica
Bistorta, officinæ perperā pro serpentaria vtunt.
Branca vrsina
Brassica hortensis, officinis caulis.
Brassica marina, officinis soldanella.
Blitum
Buglossum, officinis borago.
Buphthalmum, vulgo

cotula non fœtida.
Bursa pastoris
Calamintha, officinis calamentum
Chamæmelum, officinis camomilla.
Capnos & capnios, officinis fumus terræ.
Centaurium maius, officinis rhaponticum.
Centaurium minus
Chamædrys
Chamæcissos, vulgo hedera terrestris.
Chamæpitys, officinis iua arthritica.
Cissampelos, vulgo volubilis minor.
Chamæcyparissus
Cassutha, officinis cuscutha.
Chelidonium maius
Chelidonium minus, officinis scrofularia minor.
Cicuta
Cichoreum, officinis cicorea.
Clematis daphnoides, vulgo vinca puinca.
Cynoglossum
Daphnoides, officinis laureola.
Dictamnum, officinis diptamum.
Dracunculus, serpentaria vera.
Ebiscus, vide althæa
Elelisphacos, officinis saluia.
Equisetum, vulgo cauda equina.
Eryce
Eupatoriũ, officinis agrimonia.
Echion, vulgo buglossa syluestris.
Eranthemon, officinis consolida regalis.
Euphrasia
Ebulus
Epithymum
Fœniculum
Fumaria, vide capnos
Felix
Genista
Gingidium, officinis cerefolium
Halicacabus, offinicis alchechengi.
Hedypnois, officinis taraxacon.
Helxine, officinis parietaria.
Hemionitis, officinis scolopendria.
Hypericum
Hyssopum

Hydropiper, vulgo persicaria nō maculata.
Intybum satiuum, officinis. endiuia & scariola
Iuncus rotundus odoratus, officinis squinanthum.
Laurus
Leucoion, cheiri offici.
Lichen, officinis hepatica.
Laurus alexandrina, officinis Vuularia.
Lactuca
Lupus salictarius, officinis lupulus.
Lauandula
Lagopus
Lathyris, officinis catapucia minor.
Lapathum, officinis lapatium.
Lepidium, vulgo piperitis.
Malua
Malabathrum, folium indum officinis.
Maiorana.
Marrubium, officinis passium græco nomine vocatur.
Melilotum
Melissophyllon, officinis melissa.
Menta
Menthastrum
Mercurialis
Millefolium
Morus
Muscus, officinis vsnea
Nasturtium
Nepeta
Nymphæa, officinis nenuphar.
Origanus
Ocimum, officinis basilicon græca appellatione dicitur.
Osyris, officinis linaria
Orminum satiuum, officinis callitrichum.
Ormínū syluestre, officinis saluia syluestris
Oxalis, officin. acetosa
Parietaria, uide helxine
Partheniū, officinis cotula foetida.
Peplos, officinis esula rotunda.
Periclymenos, officinis mater syluarum, caprifolium, lilium inter spinas.
Perfoliata.
Persicaria maculata
Personaria, vulgo lappa maior & bardana

Pimpinella
Plantago
Polium
Polypodium
Polygonō, officinis corrigiola.
Portulaca
Prasium, vide Marrubiū
Pulegium
Rosa
Rosmarinus
Ruta hortensis
Sampsycon, officinis maiorana.
Sabina, officinis sauina
Salix
Saluia
Sambucus
Sanicula
Scabiosa
Saxifraga lutea, officinis nonnullis perperàm melilotū uocatur
Scolopendríon, officinis ceterach.
Scordion. Non est aliū syluestre.
Seris officinis endiuia & scariola.
Semperuiuum
Satureia
Serpyllum
Sisymbriū, officinis balsamita.
Sisymbrium cardamine, uulgo nasturcium aquaticum.
Smyrnium, officinis leuisticum
Sonchus, officinis cicerbita.
Solanum, officinis solatrum.
Spica nardi
Stœchas, officinis stichas arapica.
Spanachia, uulgò spinachia.
Schinuanthos, officinis squinantum.
Tamarix, officinis tamariscus.
Thlaspi, vulgò bursa pastoris mordax.
Telephium, vulgò crassula maior.
Tithymalli, esulæ officinis.
Thymelæa, officinis mezereon.
Trifolium odoratū. Incognitum officinis.
Trichomanes, polytrichum officinis.
Thymum
Tussilago, vngula caballina officinis.
Verbenaca, officinis

verbena.
Viola.
Vitis alba, bryonia officinis.
Vitis nigra
Vrtica
Verbascum, tapsus barbatus.
Verbasculum, officinis herba paralysis.

DE FLORIBVS.

Balaustia
Betonicæ
Buglossi, boraginis
Cichorii
Cirsii, buglossæ
Chamæmeli, camomillę.
Cnici, cartami
Croci orientalis
Ephemeri non letalis, lilii conuallii.
Fabarum
Genistæ
Iunci odorati, squinãti
Leucoiorum, cheiri
Lauandulæ
Liliorum
Maluæ hortensis
Meliloti
Melissophylli, melissæ
Nymphææ, nenupharis.
Origani
Ocimi, basilici
Persicorum
Prunellæ
Rosarum
Rosmarini, anthos
Sambuci
Scabiosæ
Tiliæ
Verbasci, tapsi barbati
Verbasculi, herbæ paralysis.
Violarum
Viticis, agni casti.

DE SEMINIBVS.

Altheæ
Ammeos
Amomi
Anisi
Anethi
Apii
Aquileię
Asparagi, sparagi
Atriplicis
Brassicæ, caulis
Cardamomi
Carei, carui
Ceparum
Cannabis
Cicutæ
Cumini
Coriandri
Cucurbitæ

Smyrnii,leuistici
Triticum
Vrticæ
Viticis,agni casti
Vuæ tamineæ,staphysagriæ
Zea,spelta.

Ex iam commemoratis seminibus,nonnulla offi cinis vocantur

Calida maiora IIII.	Anisi Fœniculi Cumini Carei
Calida minora IIII.	Ammeos Amomi Apii Dauci.
Frigida maiora IIII.	Melonum Cucurbitæ Cucumeris Citruli.
Frigida minora IIII.	Lactucæ Endiuiæ Scariolæ Portulacæ.

DE FRVCTIBVS.

Anacardia,anacardi
Amygdalæ vel amygdala.
Auellanæ
Baccæ iuniperi, grana iuniperi.
Baccæ lauri
Casia nigra seu fistularis.
Cappares
Colocynthis, coloquintida.
Carpobalsamum
Caricæ
Carpesium,cubebe
Citria, quæ citra & arãtia ab auri colore dicuntur,& limones
Cotonea
Calyculi glandium, cu

pulæ glandium.
Ficus
Garyophyllon
Galla
Glans vnguētaria,ben, vel granum ben.
Glandes
Goſopium,bombax,coꝛtum, cotonum bōmbaſo.
Mala punica ſeu granata.
Melones.
Myrobalanorū quinq; genera,
Flaua,citrina
Cærulea,Inda
Cepula,chebula
Empelitica,emblica
Beletzica,bellirica.
Myxa,ſebeſien
Nux moſchata & vnguentaria , nux muſcata.
Nux Indica
Nux vomitoria, vomica
Nux pinea pinea
Oxyacanthæ, berberis
Oliua
Oxyphœnica, thamarindi.
Piſtacea,fiſtici
Piper
Palmulæ, dactyli
Scylla,ſquilla
Sorba
Vua paſſa
Xylocerata, xylocaracta.
Zizipha,iuiubæ.

DE RADICIBVS.

Aconiti,lupariæ
Acori,galangæ maioris
Ari
Apii
Althæę
Ariſtologia, aſtrologiæ.
Aſclepiadis, vincetoxici.
Aſphodeli,affodilli
Angelicę
Aſparagi
Agaricum
Anonis,reſtæ bouis
Behenum album & purpureū,behen. Actuarius,vt ex cōpoſitione ātidoti diamoſchi ſole clariꝰ liquet,hermodactylū nominat candidum & purpureū,forſitā quod digitorū quandā imaginē exhibet radix.
Bryoniæ
Biſtortæ

Buglossi
Calami odcrati seu aromatici.
Carnabadii, doronici. A Actuario zarnabi dicitur.
Cyclamini
Chamæleonis albi, cardapatii.
Cichorii
Costi
Colchici, hermodactyli nostri.
Cyperi
Cucumeris syluestris, asinini.
Centaurii maioris, rhapontici.
Curcuma
Cynoglossi
Dipsaci, virgæ pastoris
Dracunculi, serpentariç veræ.
Ebuli
Eryngii
Ellebori vtriusq;
Esulæ
Filicis
Fœniculi
Galangæ minoris
Caryophyllatæ, benedictæ.
Gentianæ
Glycyrhizæ, liquiritiæ
Hermodactyli Pauli
Iridis
Inulæ, enulæ campanæ
Laserpitii, magistratiæ, ostrutii, astrutii.
Limones citreorum species sunt.
Mei
Oreoselini, petroselini nostri.
Oxylapathi, lapatii acuti.
Oenanthes, filipendula
Pæoniæ
Pentaphylli, quinquefolii.
Polypodii
Pyrethri
Pimpinellæ
Peucedani
Polygonati, sigilli Salomonis.
Phu, valerianæ
Raphani
Rubiæ tinctorum
Rhabarbarum meridionale.
Rusci, brusci
Satyrii, satyrionis
Symphyti maioris, consolidæ maioris.
Scordii
Thapsiç:
Tormentillæ

Turpetum, turbit
Vitis albæ, bryoniæ
Zadura & zaduaria, zedoaria.
Zingiber, zinziber.

Ex memoratis nunc radicibus sunt quinq; quę officinis vocantur

Radices communes, Apij, Fœniculi, Petroselini, Asparagi, Rusci.

DE SVCCIS ET LIQVORIBVS.

Succus proprie est humor qui ex tota materia, parte'ue eius aliqua cōcisa aut tusa, tum manibus, aut torculari, aut igne exprimitur, Græcis χυλὸς dicitur. Nam illi χυλὸν interpretantur ὑγρὸν ἐκπίεσμα. Sunt autē hodie pauci admodum in officinis vsitati, quod nimirum citra corruptionē & putrefactionem conseruari multo tēpore haud queant, quales sunt,

Succus acidus citrei, acetositas citi
Cotoneorum
Malorum granatorum
Iridis
Omphacion, agresta
Oxyacanthæ fructus, berberorum
Rosarum
Violarum.

Reliqui æstate è uiridib. herbis exprimūtur. Sub hoc capite stilatitij etiam succi & liquores, quorum hodie frequentissimus usus est, et aquæ destillatæ uocantur, complecti possunt. Nomenclaturas tamē eorundem non est cur proferamus, quod nulla propemodum sit herba, ex qua per ignem succus nō

elici

elici extrahi'ue possit. Modus tamen stillatitiarum aquarum quo hodie seplasiari vtuntur, non admodum mihi multisq; aliis bonis ac doctis viris probatur. Neq; enim in extracto succo, paucis exceptis, idem odor & sapor qui in plāta est retinetur. Quare is eliciendi succos stillatitios modus, quem Manardus lib. 15. epist. 5. etiam docet, melior esse videtur, qui in duplici fit vase, sic tamen vt eius vasculi fundum in quo planta continetur, aquam in maiore bullientem non attingat, sed solo vapore ab eo eleuato incalescat. Nam à miti illo calore è totius plantæ substantia vapores exhalāt, qui in succum vertuntur, omnium herbæ partium vires asseruantem, quæ ex odore & sapore dilucide cognoscuntur. Stillatitiis tamen liquoribus nemo veterum Græcorum vsus est. Ex recentiorib. vero Actuarius frequenter, id quod ex multis locis libri eiusdem quem de compositione medicamētorum edidit liquet. Tot tamen stillatitiis liquoribus quot hodie habent seplasiarii, nemo vsus est.

Mod' eliciēdi liquores stillatitios optimus.

DE LIQVORIBVS CONCRETIS.

Per liquores concretos & prædensos intelligimus id quod Græci ὀπὸν καὶ δάκρυον, Latini interdum lachrymam appellant: humores nempe qui ex planta sponte sua defluunt, aut ex secto, terebrato'ue caudice, vel ramo aut ligno prosiliunt. Quales sunt,

Liquor concretus quid.

Aloë
Acacia. Non est syluestriū prunorū succ'. In veræ tamē Acaciæ inopia, illo tuto' vti possūt medici, quod mirifica eius sit adstringendi facultas.
Caphura, camphora
Cera
Glycyrrhizæ, liquiritiæ.
Hypocisthis, hypoquistis.
Ladanum, laudanum

Laserpitium veterum, asa dulcis, benzoim, belzuim.
Laserpitium Syriacum aut Medicum, asa fœtida.
Mel aërium, manna Actuario vocatur.
Mel
Lycium
Opium
Propolis, cera virginea
Saccharum
Sanguis draconis Actuario etiam dicitur.
Diacrydion, diagridiū.

DE GVMMI.

Ammoniacum, harmoniacum.
Acaciæ, aut Aegyptiæ spinæ, Arabicum.
Bdellium
Cedri
Cerasorum
Euphorbium
Galbanum
Hederæ
Iuniperi, vernix & sandaraca
Lacha, lacca
Mastiche, mastix
Myrrha
Opopanax
Oleæ, elemi
Pix græca, seu colophonia
Resina
Sarcocolla
Sagapenum, serapinum
Styrax calamitis, storax
Stacte, storax liquida
Succinum, charabe
Terebinthina, terpētina
Tragacantha, dragantum.
Thus, olibanum
Zopissa, pix naualis.

DE CORTICIBVS.

Arantiorum, rectius aurantiorum.
Casiæ
Capparis radicum
Cinnamomum
Citrei mali, citri
Granatorum
Macer, vel vt alii macir, macis.
Mandragoræ
Nucis iuglandis
Raphani
Tamaricis, tamarisci
Thuris.

DE LIGNIS.

Agallochon, lignum aloës.
Aspalathus
Santala, sandali
Tamarix, tamariscus
Viscus quercinus

Xyloaloës, vide agal lochum.	Xylobalsamum Guaiacum.

Ex animantibus medicamenta. Cap. IIII.

DE PINGVEDINIBVS ET ADIPIB.

Pinguedo proprie est quæ Græcis πιμελὴ dicitur. Adeps autem seu seuum quod iisdē σίαρ nominatur. Differt autē, Galeno lib. vndecimo de simplic. med. facul. autore, à pinguedine adeps seu seuum, quia crassius sit ac propterea animantibus totam naturam terrosiorem habentibus seuum prouenit, velut humidioribus pinguedo. Proinde pinguedo in ignem posita celeriter liquescit, nec facile vbi liquata fuerit, rursum concrescit ac cogitur. At seuum adeps'ue nec facile funditur aut liquescit, & fusus celerrime coit, ac conglaciatur, multoq; apparet pinguedine durior. Tamen sunt qui omnem oleosam & pinguē in animantibus substantiam adipem appellēt. Sed & pinguedinem nominare totum hoc genus licet. Sunt vero huiusmodi in officinis vsitatæ pinguedines,

Pinguedo. πιμελή. Adeps. σίαρ.

Anatina	Hircina
Anserina	Humana
Ardeæ	Suilla porcina
Capi caponis	Taurina
Canis	Taxi
Ceruina	Vitulina
Caprina	Vrsina
Felis, cati	Vulpina
Gallinacea	Vulturina.

Medullæ,	Canina	DE ANIMANTIB. & eorundẽ partibus.
	Ceruina	Cerebrum leporis
	Bouilla, vac	Pulmo vulpinus
	Vitulina(cæ	Iecur lupinum
	Hircina.	Iecur caprinum
	Taurina	Iecur canis rabidi

DE OSSIBVS. & testis.

- Os ceruini cordis
- Os cornu ceruini
- Caprinum
- Ossa humana
- Testa sepiaꝶ, os sepiæ
- Testa concharum, mater perlarum.
- Vnguis odoratus, blattia Byzantia, qua voce Actuarius etiam vtitur.
- Vnguis caprarum
- Vnguis asinorum
- Vnicornis monocerotis
- Ebur.

- Castorium
- Intestinum lupinum
- Renes scincorum, stincorum.
- Coagulum leporis
- Mumia Razes
- Viperæ caro
- Vulpes
- Cantharides
- Cochleæ siue limaces
- Ranæ Hirundines
- Cancri
- Lumbrici seu intestina terrę, vermes.
- Pili leporis
- Vniones, margaritæ.

DE SANGVINE ET LACTE.

Sanguis intelligendus est animalis secundũ naturam habẽtis, nam is vere sanguis est. At Galeno etiam teste lib. 10. de simpl. med. facultatib. melancholicus aut picrocolus, aut pituitosus, aut serosus, aut putridus sanguis est mistus, ex sanguine scilicet vero, & succo, aut sanie illi permista. Est autem nunc vsus sanguinis potissimum

Columbini	Vespertilionis, &
Hircini	Suilli

Lac omnis generis
Serum lactis
Butyrum
Caseus.

DE EXCREMENTIS ANIMANTIŪ.

Fel capræ.
Fel tauri
Hirci
Accipitris
Leporis.
Moschus, muscus
Oesypus, Isopus humida.
Bombyx, sericum recentiorum, seta.
Metaxa, bombyx colore uacans, sericū crudum
Seta cruda
Sudor
Stercus bubulum
Gallinaceum
Columbinum
Ouillum
Murium
Caprinum
Caninum, album grecum officinis.
Saliua
Vrina.

DE METALLIS.

Aurum
Argentum
Auripigmentum, arsenicum.
Aes vstum
Aerugo, viride æris
Alumen syncerum
Factitium, zuccharinū
Scissile, plumosum
Liquidum, rochæ
Rotundum
Cerussa
Cadmia climia
Cinnabari, cinobrium
Calx
Calcāthos, vitriolum
Chrysocolla, borax
Chalcitis, colcothar, vitriolum vstum.
Flos æris
Gypsum
Hydragyrus, argentum viuum.
Lithargyros, lithargyrium.
Mysi, vitriolū romanū
Nitrum
Minium
Plumbum
Pompholyx, tutia
Sal
Sal gemmæ
Sal ammoniacus
Sal indus
Aphronitrū, baurach
Spuma nitri, aphroni-

nitrum vide.
Spodium, tutia præparata, nil.
Scoria
Stimmi, antimonium
Sandaracha
Squama { Aeris / Ferri }
Sulfur.

DE LAPIDIBVS.

Hæmatites
Aëtites, lapis aquilæ
Armenius, armeniacus, armenus.
Cyaneus vel cæruleus, lazuli.
Cryſtallus
Corallium
Iudaicus
Lyncurium, lyncis
Magnes
Pyrites, marchaſita
Pumex
Spongiæ

DE GEMMIS.

Amethyſtus
Hyacinthus
Iaſpis
Granata / Rubinus { Carbunculi ſunt ſpecies }
Saphyrus
Smaragdus.

DE TERRIS.

Lemnia, ſigillum lemnium, terra ſigillata.
Bolus armenica
Creta.

DE IIS QVÆ IN mari & aquis ſalſis proueniunt.

Aſphaltum, bitumen
Ambarum & ambar, ambra
Piſſaſphaltum, mumia Serapionis.
Sal
Spongia
Garum
Muria.

De temperamentis medicamentorum ſimplicium. Cap. V.

QVAE CALEFACIENDO ET refrigerando temperata ſunt.

Adiantum
Cera
Citri cortex
Cadmia
Faba
Aſparagus

Myxa
Glycyrrhizæ ſuccus
Lycium
Pineinuclei
Lens
Oleum dulce
Zizipha.

QVAE PRIMO ORdine calefaciunt.

Aloë
Abſinthium
Agaricum
Amygdala dulcia
Althæa
Braſſica
Buglosſum
Beta
Caſtanea
Chamæmelum
Eupatorium
Flores populi nigræ
Caſſutha
Lini ſemen
Ladanum
Malobathrum
Nuces virides
Oryza
Saccharum
Serum lactis
Seſamum
Spicanardi
Vuæmaturæ
Vinum nouum ſeu muſtum.
Lithoſpermon.

QVAE SECVNDO ordine calefaciunt.

Anethum viride
Apium
Artemiſia
Ambarum
Balſamum
Calamus odoratus
Capparis
Chamæpitys
Crocus
Eruum
Fœnumgræcum
Peucedanum
Meliſſophyllon
Thus
Zadura, ſiue zedoaria
Galbanum
Intybum
Maſtiche
Marrubium
Mel
Myrrhis
Myrrha
Nux moſchata
Nuces ſiccæ
Ocimum
Piſtacia
Polium
Pix arida
Ficus
Rapa
Vinum

SI.

QVAE ORDINE tertio calefaciunt.

Abrotonum
Ammi
Anacardium
Anethum aridum
Asarum
Acori radix
Anisum
Agnus
Arum
Amomum
Dictamnus
Careum
Cinnamomum
Chamædrys
Cartamus
Conyza
Cuminum
Casia
Calamintha
Elleborus vterq;
Carnabadium
Carpesum
Galanga
Garyophyllon
Epithymum
Fœniculum
Iuniperus
Iris
Helenium
Hyssopum
Mentha
Menthastrum
Moschus
Nigella
Origanum
Opopanax
Petroselinum
Piper
Ptarmice
Pulegium
Raphanus
Ruta hortensis
Sampsychum
Sabina
Sisymbrium
Trifolium
Vinum vetus

QVAE QVARTO ordine calefaciunt.

Allium
Cepa
Costus
Euphorbium
Lepidium
Tithymali
Nasturtium
Pyrethrum
Porrum
Ruta syluestris
Sinapi
Struthium.

QVAE PRIMO ORdine refrigerant.

Atriplex.
Acini vuæ

Gramen
Hordeum
Pruna
Malua
Milium
Myrtus
Pira
Rosa
Viola
Oxyphœnica
Citrei caro
Cotonea

QVAE SECVNDO ordine refrigerant.

Acacia
Blitum
Cucurbita
Cucumis
Damascena pruna
Galla
Lactuca
Lens palustris
Rhu obsoniorum
Intybum
Hyacinthus
Mala granata
Oxyphœnicum
Pepon
Persica
Plantago
Polygonum
Psyllium
Solanum hortense.

QVAE TERTIO Ordine refrigerant.

Caphura
Portulaca
Santala
Mandragora
Semperuiuum
Hyoscyamus

QVAE QVARTO Ordine refrigerant.

Cicuta
Papauer
Opium.

QVAE PRIMO ORdine humectant.

Buglossum
Glycyrhiza
Citrei caro
Intybum
Malua
Saccharum
Satyrium
Sesamum
Helxine.

QVAE SECVNDO ordine humectant.

Atriplex
Cucurbita
Pruna damascena
Lactuca
Lens palustris
Melones
Oxyphœnicum

Blitum	Mel
Persica	Eruum
Portulaca	Raphanus
Pepon	Pix arida
Violæ	Plantago
Vua matura.	Gingidium
QVAE PRIMO ORdine desiccant.	Lentes
Brassica	Myrrha
Beta	Mastiche
Chamæmelum	Mentha
Castanea	Menthastrum
Crocus	Milium
Fœniculum	Nux moschata
Hyacinthus	Oryza
Hordeum	Opopanax
Faba	Pistacia
Fœnumgræcum	Pyra
Malobathrum	Santala
Myrtus	Spica nardi
Thus.	Rosmarinus.
QVAE SECVNDO ordine desiccant.	QVAE TERTIO ordine desiccant.
Artemisia	Abrotonum vstum
Anethum viride	Anethum vstum
Balaustia	Apium
Bursa pastoria	Asarum
Capparis	Acacia
Cutonea	Alo
Cassutha	Ammi
Balsamum	Anisum
Calamus odoratus	Absinthium
Galbanum	Acetum
Intybum	Acorus
	Careum

Calamintha	Iuniperus
Carnabadium	Macer
Cinnamomum	Marrubium
Cuminum	Nigella
Coriandrum	Moſchus
Caphura	Milium
Peucedanum	Origanum
Polium	Piper
Petroſelinum	Pentaphyllum
Ptarmice	Sampſychum
Rhu obſoniorum	Siſymbrium
Ruta hortenſis	Trifolium
Sanguis draconis	Sal
Chamædrys	Sabina
Chamępitys	QVAE QVARTO ordine deſiccant.
Elleborus	Allium
Epithymum	Naſturtium
Galla	Ruta ſylueſtris
Garyophyllon	Sinapi.
Hyſſopum	

De medicamenta ſimplicibus pecu-liares corporis partes iuuan-tibus. Cap. VI.

Scio non defuturos peruerſo hoc ſeculo homines indoctos, & ad calumniandum tantum natos, qui nos ſint irriſuri, quod eſſe medicamenta putemus quæ peculiariter iecur, vel lienem, vel renes, vel veſicam, vel caput, vel pulmones iuuent. Nã qui fieri poſſet vt hæc ætas, quę optima, etiam quæq; calũnis deprimere ſolet, illa tãquã à veritate alieniſſima nõ exibilaret? cũ tñ Galeni ſeculo, qđ hoc nřo paulo melius erat, repti ſint, qui hoc dogma explodere

Obiectio. prorsus uoluerint idq; hac sane ratione. Verum, dixerunt, præses quidam eis imperat, quemadmodum in Tragœdia?

σὺ μὲν βάδιζε τὰς ἐπ᾽ ἰνάχου ῥοὰς,
σὺ δ᾽ ἀμφὶ θήβας στεῖχε τὰς καδμηΐας. hoc est,
Tu vise latas propere ripas Inachi,
Tu perge Thebas, modo quas Cadmus condidit.

Sic in his tu ad iecoris portas, tu ad vesicam, vel renes duos proficiscere. An quod in ventriculum ingestum est, iecur quidem excipit, inde vero per vniuersas corporis partes defertur? Verũ iis qui

Responsio. hęc nobis obtrudent, sic cum Galeno nostro respõdemus. Hoc scomma eos qui huiusmodi dicunt, tam esse medicamentorum facultatis imperitos arguit, vt à marino lepore pulmonem exulcerari solum ex omnibus corporis particulis penitus ignorent: vesicam solam à cantharidibus, ab aliis renũ lapides conteri, ab aliis rursum pulmonis atq; thoracis promptas fieri excreationes, quemadmodũ ab aliis alia in vna quadam particula singulariter perfici. Vt igitur sunt medicamenta quædã quæ priuatim partes quasdam corporis vitiant: sic etiam nonnulla reperiuntur quæ quibusdam corporis partibus eximie iuuandis sunt idonea: id quod idem Galenus confirmat, qui in lib. de theriaca ad Pisonem sic scriptum reliquit: Lepus igi-
,, tur marinus pulmonem exulcerat. Cantharis pe-
,, culiariter vesicam male afficit. E contrario pleraq;
,, medicamẽta quasdã corporis partes præcipue iu-
,, uare solent. Parieti igitur iecinori, sæpe eupatoriũ
,, herba perstrenue auxiliata est. Glans vnguentaria
,, lienem iuuit. Saxifraga & betonica renes probè
afficiunt. Et similiter alia aliorum, vt experientia obseruauimus, propria sunt medicamenta. Idem

etiam Galenus lib. 13. ther. meth. quædam medicamenta peculiariter iecinori & lieni cõuenire tradit in eum scribens modũ: Quale medicamẽtum iecinori est absinthiũ, tale est lieni capparis cortex. Quale rursus iecinori eupatorium, tale est lieni scolopendrion. Hæc ille. Reliquum itaq; est, ut medicamenta quę peculiares corporis partes iuuant ac roborant, ordine percenseamus.

CAPVT IVVANTIA.

Ambarum
Asarum
Anisum
Agallochum
Acetum
Betonica
Chamæmelum
Calamintha
Carpesium
Caphura
Eufrasia
Fœniculum
Galanga
Lachumanum
Stichas
Saluia
Seseli
Serpyllum
Sesamum
Sisymbrium
Solanum satiuum
Lauandula
Ladanum
Lauri folia
Lactuca
Macer
Melilotum
Moschus
Mentha
Myrobalana beletzica
Nigella
Nux moschata
Nymphæa
Pæonia
Pulegium
Papauer erraticum
Satureia
Ruta
Rosa
Sampsuchum
Thus
Viola
Xylobalsamum.

THORACEM ROBORANTIA.

Acorus
Ammoniacum
Amygdalæ amaræ

Adiantum
Cinnamomum
Caricæ
Coftus
Dracunculus
Ficus
Glycyrhiza
Gummi Arabicum
Iuncus odoratus
Hyffopum
Iuniperus
Iris
Inula,feu helenium
Hordeum
Lini femen
Marrubium
Myrrha
Myxa
Triticum
Viola
Vua paffa
Nafturtium
Origanum
Pinea nux
Piper
Palmulæ
Penidia
Ruta
Papauer fatiuum
Scabiofa
Stichas
Scordium
Sagapenum
Tuffilago
Tragacantha
Terebinthina
Thymus
Vrtica
Zizipha.

COR IVVANTIA.

Ambarum
Acetum
Bugloffum
Behen
Crocus
Citrei cortex & fuccus
Cinnamomum
Carnabadium
Caphura
Coriandrum
Corallia
Ebur
Garyophylli
Galanga
Hyacinthus gemma
Lemnia terra
Meliffophyllon
Macer
Mofchus
Nux mofchata
Ocimum
Os ceruini cordis
Rofmarinus
Rofa
Antifpodium
Smaragdus
Succinum
Santala

Spica nardi
Styrax
Vniones
Vnguis odoratus
Viola
Xyloaloë
Zadura.

STOMACHVM ET ventriculum roborantia.

Aloë
Agallochum
Absinthium
Amygdalæ dulces
Artemisia
Aster atticus
Anisum
Cinnamomum
Cupressus
Cuminnm
Calamus odoratus
Cardamomum
Carum.
Cotonea
Cucumer
Cassutha
Fœniculum
Galanga
Garyophyllon
Gentiana
Helenium
Iuniperus
Intybum
Iuglandes
Iuncus odoratus
Ligusticum
Lactuca
Macer
Mentha
Melilotus
Mastiche
Malobathrum
Mala { Punica / Citrea
Melones
Mespilum
Nux moschata
Nuclei pini
Nymphæa
Oxalis
Piper
Pulegium
Plantago
Portulaca
Pyra
Rosæ
Serpyllum
Santala
Smyrnion
Viola
Xyloaloës
Zingiber.

IECVR FIRmantia.

Acorus
Absinthium
Adiantum
Asarum

Antispodium
Agallochum
Agaricum
Anagallis
Amomum
Anisum
Acetum
Betonica
Chamæmelum
Chamæpitys
Cassutha
Cinnamomum
Costus
Cucurbita
Cucumer
Eupatorium
Gentiana
Glycyrhiza
Intybum
Lactuca
Nymphæa
Rhaponticum
Rosa
Oxyacantha
Portulaca
Fumaria
Iuncus odoratus
Radices quinque communes.
Semina quatuor calida
Semina quatuor frigida
Spica nardi
Serpyllum
Santala
Viola.

LIENEM IVuantia.

Acorus
Agaricum
Absinthium
Asplenon
Adiantum.
Aristolochia rotunda
Anisum
Asparagus
Amygdalæ amaræ
Acetum
Betonica
Brassica satiua
Daucus
Dictamnus
Capparis
Cassutha
Calamintha
Carum
Cyclaminus
Chamædrys
Corallium
Cotonea
Epithymum
Filix
Fraxinus
Intybum
Iris
Lycium
Linum
Leucoion
Lupinum

Lupus

Lupus salictarius
Lactuca
Hemionitis
Nasturtium
Nymphæa
Polium
Sagapenum
Peucedanum
Smyrnion
Santala
Semina quatuor calida
Tamarix
Radices quinq; communes.
Rubia tinctorum
Vitex.

RENES ROborantia.

Asparagus
Amygdalæ amaræ
Anagallis
Agaricum
Betonica
Daucus
Glycyrhiza
Cicer
Cinnamomum
Calamus odoratus
Eruca
Fœniculum
Iuncus odoratus
Intybum
Iuniperus
Lactuca
Lithospermon
Mille folium
Malua
Semina quatuor frigida
Vua passa
Nuclei pini
Petroselinum
Plantago
Portulaca
Parietaria
Pimpinella
Radices quinq;
Ruta
Rha ponticum
Ruscus
Saxifragæ
Smyrnion
Spica nardi
Seseli
Tragacantha
Vrtica.

VTERVM FIRmantia.

Abrotonum
Artemisia
Ammi
Acacia
Agaricum
Balsamum
Bdellium
Betonica
Geranion

Calamintha
Calamus odoratus
Cinnamomum
Coſtum
Cyperus
Iuncus odoratus
Peucedanum
Pulegium
Piper
Ruta
Rubia tinctorum
Ebulus
Fœnumgræcum
Iuniperus
Iris
Iuglans
Linum Lilium
Laurus
Laſerpitium
Myrrha
Menthaſtrum
Moſchus
Mentha
Nux moſchata
Opopanax
Sagapenum
Sabina
Saluia
Spicanardi.

ARTVS IV.
uantia.

Acorus
Ammoniacum

Bolus armenia
Chamæmelum
Caſtorium
Coſtum
Chamæpitys
Euforbium
Hypericum
Hermodactyli
Intybum
Lactuca
Melilotum
Myrrha
Myrti fructus
Solanum
Salicis folia
Sanguis draconis
Stercus caprinum
Acetum
Naſturtium
Opopanax
Origanum
Polium
Pſyllium
Stacte
Saluia
Ruta
Roſmarinus
Stichas
Sagapenum
Scylla
Sinapi
Semperuiuum
Vitis folia
Zingiber.

De secundis (sic enim Galenus vocat) medicamentorum simplicium facultatibus. Cap. VII.

QVAE ADSTRINGVNT.

ALoë, alumen, amomum, acacia, absinthium, agnus, acetum, ærugo; agaricum. Balaustia, bolus armenica, bursa pastoria, adeps taurinus, vitulinus, & caprinus, arsenicum. Chalcanthum, crocus, castanea, cyperus, corallium, brassica bis cocta, chrysocolla, cadmia, carpesium, crystallus, cinnabaris, cornus, cotonea, cypressus, cortex thuris. Equisetum, ebulus, antispodium, flos æris. Glans, galla, granum tinctorium, gentiana, gramen. Hypocisthis, hedera, helxine, hieracium maius, hæmatites. Intybum, lauri folia, lycium, lysimachium, luteum oui assum, lapis hæmatites, leporis coagulum, lens, lithargyrum, ladanum. Melilotum, myrrha, myrtus, mentha, morus, mespilus, milium, mala punica, malicorium. Nuclei acinorum, nux moschata. Oxalis, oxyacantha, oryza, omphacium. Polygonon, palmulæ, pentaphyllon, pili leporis, pissasphalton, psyllium, plantago, portulaca, pyra, persica, plumbum vstum. Quercus folia. Rosæ, ruta, rhu obsoniorum, rhaponticum. Semperuiuum, salix, santala, sal, sanguis draconis, succinum, spodium, spongiæ. Thus, terra lemnia, tragacantha. Verbascum, vitex, vitis. Stercus asininum. Xyloaloë. Plura de iis reperies apud Galenum lib. 4. de simpl. med. facultatib. cap. 6.

Quæ discutiunt.

Abrotonum,althæa anethum,adiantum, aristolochia, atriplex, asphodeli maris radix, brassicæ folia, bdellium, butyrum,bryoniæ radix, cappares,chamæmelum,erui farina,furfur, fœnumgræcum,dauci semen, galbanum,hordei farina, tritici,lupinorum, lini semen, lacha,ladanum, lilii folia,malua,mentha,mercurialis,melilotum,nigella, nitrum,pinguedo ouis,pix sicca,origanum,piper, resina omnis,ruta,stichas,sesamum, sampsychum, styrax,sulphur, sagapenum, terebinthina, stercus omne. Multa de iis Galenus cap. 13. libri quinti simpl. habet.

Quę abstergunt & expurgant.

Amygdala,anagallis, aristolochia,abrotonum, arum asparagus,asplenos, asphodeli maris radix, atriplex,absinthium,beta, bulbus, cornu ceruinũ, chamępitys, cortex capparis,cassutha,eruum,faba,elleborus vterq;,fimus caprinus,hordeum,iris, lupini,lichen,mel, marrubium, mastiche, nitrum, parietaria,propolis,phu,staphysagria,folia salicis, sapo,succus,serum lactis,scilla, sagapenum, tithymalus,tragacantha,terebinthina,vitis alba, vrticæ semen. De quibus plura Galen. lib. 5. simpl. cap. 11.

Quæ ora vasorum aperiunt.

Allium,cepa,fel taurinum,cyclaminus,vnguentum irinum,& amaracinum. De quibus vide Galenum loco antea citato cap. 13.

Quæ extenuant.

Artemisia,amygdala dulcia,cinnamomum,chamæmelum,hyssopus,iris illyrica,iuniperus,lacha, lapis hæmatites, pulegium, stichas, squama æris.

Quæ euocant extrahunt'ue.

Anagallis vtraq; propolis,aristolochia,genista fermentum, dictamus,galbanum,pix,porrum,piper, stercus omne,scoria argenti,thapsia, viscum, cyclaminus,sulphur,terebinthina,oxyacanthæ radix. Galen. cap. 16. lib. quinti. de simpl. med. facultat.

Quæ adurunt.

Allium,æs vstum,alumen,auripigmentum,cantharides,cinis,præsertim ficulnea,calx viua, chalcanthum, chrysocolla, pyrethrum, sinapi. Plura Galenus cap. 14. libri citati.

Quæ emolliunt.

Adipes omnes, ammoniacum, atriplex, bdellium, butyrum, althææ radix, cera,cerussa, colophonia,fœnumgræcum,cinnamomum,crocus,cu pressus, galbanum,linum,ladanum,laurus, lilium, lythargyrum, malua, nigella,opopanax,œsypus, pix,psyllium plumbum vstum,resinæ omnes, medulla ceruina & vitulina,styrax,viscum. Plura Galenus lib. 5. cap. 7.

Quę indurant.

Portulaca,semperuiuum,psyllium,lenticula palustris,solanum. De iis Galen. lib. 5. simpl. cap. 9.

Quæ suppurant.

Amomum,althæa,adeps porcinus,vitulinus,butyrum, crocus, cera,fœnumgræcum, lolii farina, bryoniæ radix,capita liliorum alborum,ladanum, hordei farina,lini semen,mastiche,œsypus, farina triticea, pix, thus, resina, styrax, ficus, stichas, smyrnium. De quibus copiose Galen. lib. 5. simpl. cap. 2. 5. & 8.

Quæ glutinant,& cicatricem ducunt.

Aloë,alumen,amylum,aristolochia,althæa, ana

gallis, bolus armenica, balaustia, bdellium, centaurium, chamæpitys, chamædrys, corallium, cadmia, dracunculus, equisetum, eupatorium, ebulus, æs vstum, fragaria, gummi acaciæ, glans, gentiana, gypsum, iris illyrica, isatis, lolium, lycium, lupinus, mel coctum, myrtus, myrrha, lithargyrum, eruum, plantago, palmulæ, pentaphyllon, pumex, plumbum elotum, perfoliata, papyrus vsta, symphytum maius, sanguis draconis, sarcocolla, stimmi, sambuci folia, spongia, terra lemnia, thus, tormentilla, testa oui, verbenaca, sandaracha. De iis scribit Galenus lib. 5. simpl. cap. 15.

Quæ flatus discutiunt.

Anisum, absinthium, anethum, apium, bdellium, costus, castorium, cuminum, chamæmelum, cinnamomum, careum, carnabadium, baccæ lauri, epithymum, eryngium, fœniculum, galanga, iuniperus, inula, daucus, acorus, allium, lignum aloës, maiorana, nigella, nux moschata, origanum, petroselinum, iuncus odoratus, spica nardi, smyrnium, seseli, piper, ruta.

Quæ semen generant.

Cicer, acorus, nuclei pinei, fabæ, ficus, scincus, satyrium, eruca, galanga, orminum, bulbi, lini semen, nux Indica. De quibus copiose Galenus lib. 5. simpl. cap. 22.

Menses mouentia.

Asarum, abrotonum, allium, agaricum, aristolochia longa, adiantum, acorum, amomum, absinthium, artemisia, anisum, alisma, asphodelus mas, ammi, brassica satiua, bryoniæ radix, betonica, cyperi radix, casia, cinnamomum, co-

ſtum, calamus odoratus, caſtorium, capparis, cicer, centaurium maius & minus, chamæmelum, calamintha, chamædrys, caſſuta, cyclaminus, dictamnus, daucus, daphnoides, gingidium, fœniculum, eryngium, galbanum, helenium, hypericum, elleborus vterque, heliochryſos, iuncus odoratus, iris, lilii radix, leucoion, laſerpitium, lapathum, maiorana, marrubium, myrrha, meliſſophyllum, naſturtium, nigella, opopanax, origanum, ocimum, pulegium, piper, polium, petroſelinum, oreoſelinum, pæonia ruſcus, raphanus, ruta, radix rubia tinctorum, roſmarinus, ſmyrnium, ſaluia, ſabina, ſagapenum, ſeſeli, ſerpyllum, ſcordion, ſtyrax, thlaſpi, trifolium, ſtaphylinus, vitex, vrtica, iphu, thymus. De iis plura libro. 5. ſimpl. cap. 21. Galenus. Eadem ferè omnia vrinas etiam mouent, vt fuſius idem Galenus cap. 12. eiuſdem libri docet.

Quę menſes ſiſtunt.

Acacia, anthera, balauſtia, burſa paſtoria, cuminum, coagulum leporinum, fragaria, hypociſthis, cornu ceruinum, hyoſcyamus, lycium, lapis hæmatites, limonium, lyſimachia, myrtus, nymphæa lutea, pæoniæ ſemen, calyces glandium, rubus, oxyacantha, ſemperuiuum, ſymphytum, ſolanum, thus, vua paſſa cum nucleis.

Quæ venenis reſiſtunt.

Abrotonum, aniſum, ariſtolochia longa, abſinthium, agaricũ, allium, adiantũ, ammi, apium, bdellium, butyrum, braſſicæ ſuccus, bryoniæ radix, cyperi radix, cinnamomũ, betonica, caſtorium cardamomũ, citrei mali ſemen, chamædrys, cyclaminus,

carnabadium,casia, costus, calamintha,eupatoriū, erysimum,fœniculum,gentiana, galbanum, iuniperus,libysticum, marrubium,iuglans, origanum, pulegium,polium,laserpitium,piper,ruta, rapæ satiuæ semen,terra lemnia. De iis Galenus lib.5.de simplic.med.facul.cap.17.

Quæ ambustis medentur.

Adeps suillus,althæa, acacia, asphodelus, atramentum scriptorium,alumen scissile,adiantum,beta,corium vstum,bulbi hyacinthi,liliorum alboꝝ. cynoglossum,cinnabaris,cimolia terra,ebulus, gallion,gummi Arabicum,hedera,hypericon,helxine,lactuca syluestris,malua,morus,ouum,plātago, semperuiuum,sesamum,stercus ouillum,columbinum,sambuci folia,thus,verbascum. Plura habet de iis Paulus lib.4.cap.11.

Quæ leniunt & mitigant dolorem.

Anethum absinthium, amomum,acorus, agallochum,agaricum,asclepias atriplex,cardamomū, chamæmelum, castorium, cuminum,calamintha, centaurium maius,chamæpitys, daucus, eryngiū, eruum, fœnumgræcum, ficus,iris, iuniperus, iuglans, hyoscyamus,linum, libysticum, lupus salictarius,milium,opopanax,piper,panicum, peucedanum petroselinum,rosmarinus,ruta,sisymbriū, serpyllum,sampsychus,vitellum oui. De iis scribit Galenus lib.5.simpl.cap.18.

Quæ strumas discutiunt.

Adiantum,aparine, althæa,capparis radix, coriandrum, fabarū cortex,iris,hordei farina,lens, lupinum, lolium, lapathum, mellissophyllum,laserpitium,lithospermon,galiopsis,nasturtium,plātaginis radix, pix liquida, piper, pentaphyllum,scordium.

De simplicibus medicamentis purgantibus. Cap. VIII.

Aloë optima censetur pinguis ac nitida, sine arenis, rufi coloris, friabilis, iecinoris modo coacta, facile liquescens, odorata, & amarissima. Eius generis aloë officinis & seplasiariis hodie succocitrina vocatur. Alterum genus arenosum, quod sedimentum est purissimæ, caballinũ appellant, haud dubie nõ alia ratione quàm quod veterinariis sit dicatum medicamentis. Cæterum aloë non vacuat totum corpus, sed insidentem stomacho, ventriculo, & intestinis bilem, cum inhærentibus inibi excrementis, citra noxam exigit. Dãda est iis potissimum, qui capitis afficiuntur molestia, propter frequentes exhalationes ex ventriculo sursum latas. Præbenda quoq; iis, qui ob eãdem causam oculorum suffusionibus laborãt, nec non iis quibus lingua & os facile resiccantur. Porro cum omnia quæ ventrem deiiciunt medicamẽta ventriculo negotium facessant, sola aloë ipsum iuuans confirmat: ideoq. medicamentis quæ malitiam eius obtundant, infrenent ac emendent, nõ indiget. Modus seu pondus exhibitionis est siciliquus, Actuario teste, hoc est, drachmæ duæ ex aqua mulsa. Aloë. Succocitrina. Caballina. Aloë quibus danda. Inter medicamenta purgantia sola aloë vẽtriculũ cõfirmat. Pondus aloë.

Casia, quam Actuarius nigram, alii vero fistularem vocant, est fructus oblõgus, teres fistulosus, concretum intus humorẽ continens, non vna coalescens serie continuitate'ue, sed ex interuallis lignosis tenuibusq; membranis interuenientibus septum, seminalibus granis, specie & figura non dissimilib. iis quæ cognita nobis profert siliqua. Hoc modo fructum hunc pingit Actuarius. Deligere oportet ponderosam, collucentem, per plenã, quã Casia fistularis. Quæ casia melior.

Vis casiæ. si concusseris inclusa intus grana non obstrepāt. Hæc sufficienti modo data, incandescentem torridamq; bilem, citra molestiam expurgat. Deniq; iis qui ob teneram imperfectamq; ætatem, aut aliam quamuis causam deficientia aluum medicamenta respuunt, hæc audenter & intrepide datur. Flauam vero bilem, sed magis torridam, & quæ iam in atram degenerauit, extrahit. Quinetiam pituitam mediocriter educit. Quibus danda casia. Præbetur itaq; pueris, & fœminis vtero ferentibus, commoditate & necessitate quadam vrgente quibus potentius aliud medicamentum sumi denegatum est: item iis quibus exuperans febris reliquorum medicamentorum vsus aspernatur. Pondus. Casia quidem tribus aut quatuor drachmis sumpta vix mouet aluum. Datur itaq; vnciæ vnius pondere, plus minus ue, pro sumentis habitu ac viribus.

Manna. Mannæ proxima est natura. Hæc tanquam ros è cœlo cadens, dum venit, obuio terræ halitu concrescens, in mellitos grumos coit, qui herbis, arboribus, & lapidibus interdum hærere inuenitur. Aërium mel. Hoc Galenus lib. 3. de alimentorum facultatib. copiose describit, vocariq; alio nomine roridum vel Vis. aërium mel inquit. Eandem casiæ nigræ vim habet, nanq; flauam bilem simplici ratione pellit. Pondus. Datur etiā iis qui certa ratione validius medicamentum respuunt. Maiore pondere quàm casia sumenda est, interdum enim duæ dantur vnciæ.

Rha barbaricū. Rha barbaricum vel sceniticū, quod sic dictū est, quia ex barbarorū regionibus asportatᷓ, & apud Scenitas Arabes legitur, Paulo & Actuario recentioribus Græcis cognitum tantum, flauæ bilis expurgandæ vim obtinet. Vim eius infrenantia. Infrenat eius vim tertia pars spicę nardi, vel cinnamomi, vel mastichis, vel

iunci odorati, Datur cum sero lactis, vel decocto intybi. Maceratur quoq; in iisdem, aut in stillatitio intybi satiui liquore idq; æstate: aut vino albo odorato idq; hyeme Per se autem datur pondere duarũ trium aut quatuor drachmarũ. Dilutum vero & maceratum maiori pondere sumitur, nempe drachmarum quatuor, quinq, sex aut plus etiã, pro eius qui accipit constitutione ac viribus. Pondus.

Oxyphœnicum syluestris palmæ fructus à saporis acore sic dictus, Latinis acida palmula haud inepte appellabitur. Officinæ barbaros imitantes thamarindum nominare didicerunt. Plurimum in India nascitur vnde ad nos frequẽs mittitur: hinc thamarindum sua lingua quasi palmulam Indicam negociatores vocant. Thamar enim illis palmulam significat. Oxyphœnicũ probatᷓ recẽs maxime acidũ sapore, nõ exuctũ vetustate nec tabẽ, aut marcorẽ sentiens. Flauã bilem nihil æque domat, præter rheon Indicũ. Arquatis auxiliatur, sitim restinguit, doloribus capitis remedio est: noxios humores qui in vẽtre supiore coierunt deiicit. Appetentiã inuitat cibi fastidiũ abigit. nauseas & vomitiones sedat. Insaniã, furorẽq; mulcet. Tertianis febribus, cum rheo & casia nigra prorsus liberat. Ardentibus quoq; medetur. Noxas omnes à calore natas mitigat: destillationes quas bilis feruor excitauit, inhibet. Dandi pondus, Actuario & aliis Græcis recentioribus testibus, vncia vna. Oxyphœnicũ Thamarindus. Thamar. Electio. Vis. Pondus

Myrobalana fructus sunt nobiles, Actuario autore quicquid personatus ille Italogermanus garriat, q ad nos ex Aegypto Syriaq; deportantur callo corporis cõpactili, osse intus lignoso. Horum quinq; sunt fastigia. Quædam enim flaua vocantur, eo quod herbaceo colore flauescãt, spissa põderosa, Myrobalana. Flaua.

exili nucleo, cute crassa. Officinis citrina dicuntur.
Inda. His succedunt quæ à colore nigro vulgus Inda & nigra nominat, solida sine nucleis, oliuæ forma.
Cepula. Proxima sunt quæ vocant cepula, cæteris ampliora grauioraq́, ideo quibusdam magna nominantur, ex fusco rufescentia, carnosa. Quartum genus
Empeliticum. empeliticum & emblicum barbara voce appellāt, cute ossibus hærente, lapillorum penè figura, colore in cinereum languente, angustiora quàm beletzica. Quintum genus beletzicum vocant, maius
Beletzicum. empelitico, rotundum instar pyri existit. Officinæ
Vires. belliricum nominant. Tria prima myrobalanorū genera trita peculiariter superuacuum capitis humorem educunt: sed flaua, bilem flauam: atra nigram detrahunt, quemadmodum pituitam cepula. Quin & ventriculum, intestinaq́; sua constrictione firmant, sed vsta multò magis & elota. Qua de

Vsta & elota myrobalana purgandi facultatē amittunt.

causa ignem & aquam experta, magnam purgantis facultatis iacturam faciunt, quod tenuioribus & siccioribus constent particulis. In quibus itaq; decumbens fluxio partem aliquam male habet, aut intestina exulcerat, hęc vsta & elota repræsentamus, & mediocriter aluum subducunt. Eandē vim sortiuntur quæ empelitica & emblica barbaris vocibus nominant. Priuatim tamen flaua corporis æstus refrigerant, nigra tristitiam discutiunt, quartanas sanant, lepras purgant, coloremq́; corporis bonum restituunt. Cepula aciem oculorum illustrant, pectus repurgant, coctiones iuuant, aquæ inter cutem, & longis febribus auxiliantur. Empelitici pituitam trahunt, prosunt neruis & veternosis mentis aciem exacuunt, ventriculum purgant, cardiacis succurrunt affectibus, sitim sedant, fastidia discutiunt, comprimunt vomitus. Beletzica

eiusdem quasi naturæ sunt cuius empelitica. Purulentis medentur excreationibus, venis sedis sanguinem profundentibus, capillorum defluuio, quos etiã denigrare tradunt, ex amygdalino oleo & melle trita. Dantur, Actuario teste, binum aut ternum drachmarum pondere trita. Pondus.

Colutea quæ Theophrasto, ni fallor, Mauritanis autem & Barbaris Sena dicitur, ramis est exilibus, folio fœnigræci, membraneo folliculo, pellucente, prætumido, & veluti quodam spiritu distendente turgido, ita vt digitis si prematur crepitans dissiliat, in quo semen atrum, durum, latum, lentis magnitudine, pisi gustu. Citra noxam, Actuario autore, pituitam & bilem trahit. Reliquos humores modestissimè purgat, retorridam atramq; bilem, earumq; suffusiones ex gallinaceo iure depellit. Vetusto capitis dolori, scabiei, comitialibus, impetigini succurrit. Sed decoctum eius potius, quàm farina propinatur. Pulueris põdus drachma vna, in decocto vero semuncia. Colutea. Sena. Vis. Pondus.

Polypodium bilem, & præsertim atram, & pituitam extrahit. Dantur purgatæ radicis drachmę duæ affusa aqua mulsa. Mediocriter vero aluum ciet, & citra molestiam, tum in gallinaceo iure, tum in cremore ptisanæ cocta radix. Nostri vim eius infrenare conantur cum odoratis, semine nimirũ anisi, zingibere, garyophyllis, & cinnamomo. Polypodium. Pondus. Infrenantia.

Epithymum atram bilem euocat, vitiis flatu turgentibus, & hypochondriorum noxis opitulatur, & quibus iecur aggrauatur, & qui spirandi vexãtur difficultate. Datur adultis tusum & cribro excussum scrupulorum quinq., aut duarum drachmarum pondere, cum passo vel aceto mulso, & salis pauxillo, Actuario autore. Epithymum. Vis. pondus.

Scammonium. Vis.

Scammonium flauam euacuat bilem sed cordis dolorem mouet. Est enim odore graui gustu iniucundum siticulosum. Siquidem cum omnia quæ aluum deiiciunt medicamenta aloë excepta, ventriculo infesta sint, scammonium illi plus cæteris aduersari constat. Proinde cauendum iis qui stomachi sentiunt imbecillitatem, & iis qui febre laborant quippe suapte natura leuissimum, in corpus facile rapitur residemq; spurcitiã omnẽ in eo, colluuiemq; cõmouet. Datur iis qui febri vacant, & stomacho valent iis deniq; quibus ægrè vomitus eliciuntur nec facile linquũtur animo. Permiscendus & sal, Actuario teste aut thymus aut pulegiũ aut quippiam ex iis quæ gratũ spirant odorẽ, & stomachũ roborant verbi gratia anisum mastiche, & similia. Datur per se ex melle, vel ptisanæ cremore. Pondus scrupuli duo. Paululum quid adiici, aut detrahi pro viriũ ratione potest. Hinc constat scammonii succum quem recentiores Græci διακρύδιον, barbari autem corrupto vocabulo diagrydium appellant non esse genuinum: neq; enim ea quantitate quę ab Actuario & aliis Gręcis præscripta est, tuto dari potest. Consistendum enim quemadmodum recentiores tradunt, intra duodecim grana. De qua re lib. 1. Paradoxorum cap. 10. plura diximus.

Quibus scãmoniũ nõ dandũ.

Infrenantia.

Pondus.

Diacrydion.

Agaricum.

Agaricum pituitam & bilem, sed non celeriter, pellit. Aduersatur ventriculo quod sua leuitate emergens enatet. Infrenatur eius malitia adiecta tertia parte zingiberis aut salis fossilis saxei quem gemmæ vocant. Dantur binæ drachmę cũ aqua mulsa vel oxymelite. Macerati pondus est drachmæ ad summum quinq;.

Pondus.

Euphorbium.

Euphorbiũ pituitam subducit sed potius aquã

Est autem celerrimum & maxime ignea vi flagrãs: vnde colicis, & aluum frigidiorem habẽtibus datur. Cæteros vehementer conturbat sitim maxime ciet. Nonnihil ex odoratis seminibus aniso, mastiche & spica nardi, ei est commiscendum. Datur ex aqua mulsa. Præstat autem cum melle cocto in catapotia digerere. Pondus Actuario teste, triobolare est. Nostri Mesues præscriptum sectantes, intra duodecim consistunt grana: qua de re in Paradoxis etiam nostris, loco paulo antè citato nonnihil diximus. Infrenantia. Pondus.

Colocynthis pituitam bilem, humoremq; mucosum purgat: vnde neruosa corpora peculiariter purgat. Datur itaq; conuenienter in omnibus quę caput obsident incõmodis, & orthopnoïcis, ac cõsimilibus. Item coxendicũ cruciatibus morbis articularibus, longis renum & vesicæ valetudinib. Insuper iis qui renitentes & præduros cõceperũt affectus, sic vt nõ nisi ægrè possint excuti. Deligenda est cãdida eius & recens medulla: aridior enim & nigricans, vt vitiosa damnatur. Infrenat illius vim mastiche & galla. Datur ex ea, Actuario autore scrupulus cũ aqua mulsa. Dioscorides quatuor obolorum pondere dandam esse censet. Colocynthis. Infrenantia. Pondus.

Elleborus niger atrã flauamq; bilem è toto corpore trahit deorsum, nec tamen citra vllã difficultatem pellit: ideo febribus circuitu repetẽtibus & longis obiicimus. Datur quoq; insaniẽtibus altera in parte capitis existentibus doloribus diutinis cõmodissimus, præsertim visceribus, vtero, & vesica purgatorium medicamentum postulantibus. Maxima autem eius vis est peculiariter educere quicqd sanguini cõmixtum eum corrumpit: ideo veterascentibus arquatis morbis vtilis, & quibus in Ellebor' niger.

superficie summatim asperitudines emerserunt, velut lepris, impetiginibus & horum similibus: elephantia quoq; laborantibus accommodatus est. Verum suauitatis gratia, & vt vehementiam eius remittant, quædam ex odoratis seminibus inserẽda. Datur ex passo, aut aceto mulso scrupulorum ternum, seu drachmæ vnius pondere, aut paulò minus, pro corporis habitu.

Pondus.

Armenius lapis.

Armenius lapis, quo pictores vtuntur, atram bilem & omnem lentum crassumq; humorem sanguini commixtum educit. Quare melancholicis, elephanticis, & similibus dari solet. Item in renũ vitiis, & spirandi difficultate. Citra vero molestiam alui deiectionem mouet, neq; vllus strangulationis timor subest, neq; deliquium animi sequetur, quæ ferè in purgationibus vehementioribus accidere consueuerunt. Pondus eius, Actuario autore, est sextula, hoc est scrupuli quatuor, aut paulò plus minus'ue, prosumentis viribus.

Pondus.

Hermodactyl.

Hermodactylus alui deiectionem molitur, priuatimq; in articularibus doloribus quum humores defluunt exhibetur, Paulo autore: verũ stomacho nimis quàm aduersatur. Proinde aliqua quæ eius vehementiam coërceant huic miscẽda sunt, verbi gratia cinnamomum, mastiche, zingiber, aut piper longum. Datur cum oxymelite scyllitico, aut melle rosaceo, pondere drachmæ vnius aut paulò plus minus'ue pro sumentis viribus. Nemo tamen putet nos hoc in loco (quod monẽdum esse propter imperitos duxi) de eo hermodactylo loqui, qui in Germania nostra passim in omnibus ferè pratis prouenit: is enim venenum est, vt in cõmentariis nostris de plantarum historia docebimus, atq; adeò penitus ingeri non debet.

Infrenantia.

Duplex hermodactylus.

Tithymali,

Tithymali, ex quorum genere est esula hodie vocata, barbaris pituitam & bilem eliciunt. Vires illorum ramuli, Actuario autore, fictili paulatim torrendi sunt, tritiq; cum polenta scrupulorũ ternum pondere miscendi in aqua, & in potu prębendi; quippe quod exiccati surculi impotentiores habentur. Admiscenda tamen iis erunt odorata aliqua medicamenta, & quæ vehementiam illorum coërcere possunt. Sunt qui hodie plus de tithymalis in puluerem redactis exhibent. Tutius tamen est, vt intra pondus ab Actuario præscriptum consistamus. Tithymali. Esula. Pondus.

Elaterium, hoc est, succus è fructib. cucumeris syluestris expressus, pituitam & bilem detrahit. Dantur oboli terni, hoc est, scrupulus vnus & semis, cum lacte recens emulcto. Elaterium. Pondus.

Turpetum, vel vt hodie loquuntur, turbit, glutinosam purgat pituitam, longis morbis medetur, quos frigus, vel atra bilis attulerit. Item attonitis, comitialibus, insaniæ, & furori. Nostri eius vehementiam tertia zingiberis parte infrenant. Datur melle rosaceo, vel passularum decocto, pondere drachmæ vnius, aut paulo' plus minus'ue pro accipientis viribus. Turpetum. Infrenantia.


Lathyris, quam hodie catapotiam minorem nominant, vehementius pituitam purgat. Dantur, Actuario autore, grana eius maiora quindecim, minora vero viginti. Idem iis qui efficacius purgari cupiunt mandenda præcipit iis vero qui deiectionem non desiderant copiosam, vt integra deuorent, præsertim si qui sumit, malo fuerit ventriculo. Dioscorides ad purgandum septem aut octo grana sufficere tradit, intra quod pondus consistere tutius est. Lathyris. Pondus.

Cnici. Cnici, quem cartamum vocant, semen pituitam expurgat, sed vt Actuarius inquit, non sine molestia. Seminis triti drachmas tres, eodem autore, in gallinacei decocti ius, vel ptisanæ cremorem indere oportet, colatumq́. præstare bibendum. Rosarum succus leniter aluum deiicit. Datur pondere vnciæ vnius, aut duarum vnciarum.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPONENDORVM, MISCENDORVMque medicamentorum ratione liber secundus, LEONHARTO Fuchsio autore.

PROOEMIVM.



Vperiore libro breuiter admodum, & quantum instituto nostro sufficere arbitrati sumus, simplicicium, quibus in componendis medicamentis nostri temporis medici frequenter vtuntur, nomina perstrinximus, quo scilicet paratiores rei medicamentariæ studiosi ad composita struenda medicamenta venirent. Nunc reliquum est vt in altero huic operi dicato libro, præcepta tradamus quæ ad compositiones medicamentorum attinent. Cæterum quum in vniuersum duo sint compositorum medicamentorum genera, vnum quidem eorum quę intra corpus sumuntur, alterum vero eorum quæ extra corpus adhibentur, secundo huius tractationis libro primi generis medicamentorum duntaxat præceptiones docebimus. Verum priusquam ad eas accedamus, primum monebimus, in omnibus medicamentorum formulis id nos vnicè studuisse, vt præteritis barbaris & ineptis vocibus, quoad fieri potuit, receptis græcis aut latinis vteremur, vt scilicet assuefaceremus hac ratione huius artis studiosos, vt dediscerent tãdem impura ac barbara, atq; pro iis pura & latina vsurparent. Verum

Duo compositorũ medicamentorum in vniuersum genera.

cum interdum ob imperitiam Seplasiariorum necessitas ipsa uti nobis quibusdam barbaris medicamentorum simplicium nomenclaturis imponat, facile quiuis easdem iuxta latinas libro primo ordine commemoratas reperiet. Hoc enim potissimum nomine vt passim ibidem vtrasq; coniungeremus dedimus operam.

De ponderibus Cap. I.

Cognitio ponderum ad rationem componendorum medicamentorum necessaria.

QVum citra ponderum cognitionem ratio componendorum medicamentorum intelligi haud queat, initio breuiter de iis, quantum institutinostri ratio exigit, differemus. Neq; enim omnium hoc in loco mentionem faciemus, sed eorũ tantum, quorum hodie in officinis frequens existit vsus. Cæterum quũ definita certaq; sint quorundam medicamentorum pondera, adeo vt si quis in iis error accidat, is nunquam non cum aliqua corporis noxa, nonnunquam etiam cum summo vitæ dispendio contingat, danda opera studiosis vt eorundem exactam plenamq; cognitionem habeant. Pondera vero quibus hodie medici vtuntur, hæc sunt: libra, vncia, quarta, drachma, scrupulus, siliqua: & hęc quidem à Græcis atq; Romanis mutuarunt. Præter hæc sunt alia, quæ à barbaris atq; Arabibus desumpserunt, qualia sunt manipulus, pugillus, aureus, kist, kirath, & dauic, quorum nominibus Mesuen potissimum vti constat.

Pondera medica.

Libra. Pondo.

Libra itaq;, quæ & pondo etiam dicitur, in duodecim vncias diuiditur. Animaduertendum tamen erit pondo interdum idem quod pondus significare, id quod tum fit, cum alteri vocabulo ponderis adiicitur. Sin solum ponitur, idem quod libra, quam duodecim esse vnciarum diximus, significat. Errant itaq; indocti huius ætatis pharmaco-

Error seplasiariorum in libra.

plæ, qui libram sed etim vnciarũ, quot sanè mercatoria ac negociatoria est, in medicamentis conficiendis accipiunt. Ea autem illos vti libra facile ex quartis colligitur, quibus vncias quatuor assignant, quas si quater sumpseris, sedecim prodibũt vnciæ. Quartam autem libræ partem latini quadrantem nominant, sicuti tertiam trientem, sextã sextantem. Quadrans itaq; vel vt nostri loquuntur, quarta, pondus existit trium vnciarum. Triens vero quatuor; veluti sextans duarum vnciarum. Hinc erroris manifeste conuincuntur medicamentarii ferè omnes Germaniæ, quod nimirum triente pro quadrante vtantur. Memini tamen Monachenses seplasiarios vero quadrante, dum illic medicinam factitarẽ, vsos esse. Porro vncia, octo drachmas cõstituit. Drachma scrupulos tres. Scrupulum vero, qui Græcis γράμμα dicitur quasi primum ponderis elementum, nonnulli scriptulum etiam nominant. Habet vero obolos duos. Obolus pendet siliquas, quæ Græcis κεράτια vocantur, tres. Siliquæ itaq; sex grana, scrupulum pendent. Vnum vero siliquæ granum sex lentis seminibus, quod nos experti sumus, pondere respondet: quæ si sexies sumpseris, prodibunt in vniuersum trigintasex, quæ scrupulum constituunt. Hæc ideo commemorare volui, vt studiosi cernerent locum Rhemni Fannii Palæmonis de ponderibus esse deprauatum, qui sic habet:

Quadrans.
Triens.
Sextans.
Vncia.
Drachma.
Scrupulus.
γράμμα.
Obolus.
Siliqua.
Rhemni Fannii locus emendatur.

Semina sex alii siliquis latitantia curuis,
Attribuunt scrupulo, lentes veraciter octo.

Neq; enim octo lentis semina scrupulum pẽdent, sed q̃tuor & q̃ter octo q̃ faciũt trigintasex. Leuiora enim sunt, quàm vt scrupulo põdere suo respõdere queãt. Quare ita Fãnii loc⁹ restituẽdus erit:

Attribuūt ſcrupulo, léteſ quatuor, quater octo,
Aut totidem ſpeltas numerāt, triſtes'ue lupinos
Bis duo.

Sic ſe habent pōdera quæ Græcoꝝ medici etiam vſurparunt. Nunc ad ea quibus Arabes & recentiores vſi ſunt veniemus, inter quæ primum manipulus nobis occurrit. Sic aūt vocant herbaꝝ faſciculū qui manu deprehēdi & cōplecti poteſt. Neq; eſt cur eam vocem minus latinam eſſe quiſpiā putet, hac enim ſæpe rei ruſticæ ſcriptores vſi ſunt pro faſciculo, quem manu quis apprehendit metendo, ſiue id fiat in ſegete, ſiue in prato. Sic Columella lib. 11. de re ruſt. vſurpat ſcribens: In villā fœnū portet, aut ī manipulos colligat. Pugillo autē perperàm pro pōdere vtunť recētiores, cum ſit diminutiuum potius à pugno, qui cōpreſſis fit digitis. Deſināt itaq; deinceps hac voce pro pōdere quantū pugno capi poteſt vti medici. Aureus illis pōdus vnius drachmæ cū dimidia ſignificat. Danic pōdus ſex granoꝝ. Kirat vero trium. Horū meminiſſe libuit propter Meſuen, qui frequenter iis vti ſolet. Reliquum eſt vt notas ponderum, quoꝝ hodie vſus eſt, ſubiiciamus, quæ ſunt eiuſmodi.

Manipulus. Pugillus. Aureus. Danic. Kirat. Ponderū notæ.

Grani	haec nota	Gr.	eſt.
Scrupuli		℈	
Drachmæ		ʒ	
Vnciæ		℥	
Quadrantis		Q.	
Libræ		lib.	
Semis		S.	

Catalogus medicamentorū compoſitorū quæ intra corpus ſumunť. Cap. II.

PAulo antea à nobis commemoratum eſt medicamentorum compoſitorum in vniuer-

sum esse duo genera, vnum quod intra corpus sumitur, cuius quidem species hoc libro explicabimus. Alterum quod extra corpus adhibetur, cuius tractationem in sequẽtem librum differemus. Primi itaq; generis hæ sunt species.

Genera medicamentorũ quæ intra corpus sumuntur.

1 Antidota	12 Catapotia
2 Purgantia	13 Glandes
3 Vomitum elicientia	14 Clysteres
4 Sacchara & condita	15 Collyria
5 Eligmata	16 Gargarizatus
6 Zulapia	17 Dentifricia
7 Succi medicati	18 Pessi
8 Serapia	19 Errhina
9 Decocta	20 Apoflegmatismi
10 Pulueres seu trituræ	21 Odoramenta
11 Pastilli	22 Suffimenta.

Nunc de iis, eo quo à nobis posita sunt ordine, differemus.

De antidotis, letalibus aduersantibus. Cap. III.

Antidota quæ.

ANtidota, Galeno lib. 1. de antidotis teste, medicamenta quæ non extrinsecus imposita, sed intra corpus assumpta malis medentur, veteres medici nominant. Tres autem ipsorum in vniuersum sunt differentiæ. Quædam enim lætalium gratia medicamentorum offeruntur: quædam propter bestias virus iaculantes: quædam vero malis ex prauo victu obortis auxiliantur. Quare primum de iis quæ priuatim sic, quod contra venena dentur, nominari solent, dicemus. Hæc quidem à medicis qui hodie medicinam factitant, confectiones magnæ, quod nimirũ à clarissimis, magniq; nominis viris inuentas esse constet, vocantur. Vtuntur hodie iis interdum se

Tres antidotorũ differentiæ.

Confectiones magnæ. Vsus antidotorũ lætalibus aduersantium.

solis, citra reliquorum medicamentorum commistionem. Nonnunquam eadem inter se miscet. Aliquando, quo in suauitas illorum retundatur, condita, & alia quædam quæ ex sacchare factitantur, adiiciuntur. Sunt qui eadem stillatitiis aliisq; liquoribus diluant. Vnicè quoq; proderit vnum aut plura ex iis, quæ antidoton constituunt διὰ τεσσάρων nominatum, quod scilicet ex quatuor rebus constet, gentiana videlicet, myrrha, aristolochia, & baccis lauri tritis & melle exceptis, addere. Nunc aliquot formulas, prædictis lucem afferentes, subiiciemus.

I.

Theriaces Andromachi } singulorum. ℥. ii.
Antidoti mithridatii }

Misceantur.

II.

Mithridatii antidoti. ʒ. ii.
Saccharis è buglosso. ʒ. i. S.
Ramentorum eboris } fing. ℈. S.
Seminis feselis }
Serapii de acido citri succo quod satis sit ad antidoti constitutionem.

III.

Theriaces Andromachi ℈. i.
Mithridalii antidoti ℈. i.
Boli armenicæ ℈. S.
Liquoris stillatitii rosarum. ℥. i.
Buglossi } singulorum. ℥. S.
Scabiosæ }
Misceantur singula, & fiat potio.

IIII.

Antidoti mithridatii. ℥. ii.
Theriacæ veteris. ℥. i.

Gentianæ
Aristolochiæ longæ } singulorum. ʒ. ii.
Myrrhæ

Cum serapio è succo citri quod satis est, fiat antidotum. Non idem est omnium exhibendi modus, neq; cum iisdem liquorib. præbentur. Siquidē ex vino, aqua mulsa, stillatitio aut alio quodam liquore, prout affectus exigit, datur. Nam ad affectuum differentiam, congruum misturæ liquorem iudicamus, quemadmodum Galenus in lib. de theriaca ad Pisonem, & post hunc iii libro de compos. medic. Actuarius, docent. Mēsura aliàs alia rectè vteris. Interdum enim fabæ Aegyptiacæ magnitudinem capies, vbi exiguum ad coctionem ipsorū interuallum erit. Interim vero auellanæ, aut ponticæ nucis magnitudine sumes, quum plus temporis ad medicamenti distributionem habiturus es. Porro inspicere & anni tempus & regionē oportet, vbi antidota assumuntur. Per æstatem enim, aut florentem ætatis iuuentam, præbere nequaq̄ oportet. Quippe ex antidotis corpus longe calidius euadens, offenditur: nisi impendens periculum vrgeat, quamuis neq; tum demum copiosum, aut frequens medicamentum sit ministrandum. Verum iis qui transacta iam iuuenta declinant, & ad senectam spectant, aut ætate confecti sunt, & multum & sæpe, non ex aqua modo, sed ex vino quoq; ad vnam vsq; drachmam sumere cōuenit, vt corporis virtus iam emarcescens, & natiuus calor extinctus, refocillari, accendiq; ipsius beneficio possit. At in pueris omnino medicamenta hæc sunt fugienda. Quippe horum magnitudo, pueriles vires longe superat, & corpus facile resoluit, natiuumq; spiritum celeriter extinguit. Dare vero

Modus exhibitionis.

Mensura exhibitionis.

Anni tēpora & regiones in antidotorū assumptione spectandæ.

Tempus exhibitionis.

antidota oportet, cum qui sumit probam fecerit concoctioně, nec cibis lenus fuerit. A ieiunis itaq; minimeq; crudis, atq; adeo appetente diluculo, id genus medicamenta sumenda erũt. Saturis igitur, nisi sic vrgeat necessitas, minimè præbenda. Porro nostro tempore vsitatorum antidotorum tum nomina tum facultates nunc subiiciemus, præterita componendi ratione, quæ tamen vnde & à quibus autoribus petenda sit, non hoc solum in loco, verum in aliis omnibus, monstrabimus.

THERIACE.

Theriace, quæ in omnibus antidotis ob multiplicem vsum potiores partes obtinet, exitialibus venenis & ferarum virus eiaculantium ictibus aduersatur, Inueteratis etiam capitis doloribus, vertiginibus, aurium grauitati, comitialibus attonitis, resolutis, oculorum hebetudinibus, voci amissę, asthmaticis, recenti & vetustæ tussi, sanguinẽ reiicientibus, ventriculi imbecillitatibus ac inflationibus, colicis cruciatibus, & ileosis, cholericis, coeliacis, regio morbo correptis opitulatur. Induratum lienem absumit, calculos in renibus cõminuit, vrinæ difficultati, & vesicæ exulcerationibus medetur. Febrium horroribus & rigoribus, hydropicis, elephantia laborantib. sæpe præsenti est auxilio. Menstrua ciet, mortuum foetum excutit. Articulorum doloribus adiumento est. Non autem corpus modo, sed & animi ægritudines persanat. Melancholicis itaq;, lymphaticis, aquæ pauoribus, & id genus aliis iugiter data succurrit. Cęterum in pestifera lue vix aliud præsentius magisq; idoneũ pręsidium hac ipsa inueniri potest. Vtendum autem est ea quam Andromachus Nęronis primatius medicus composuit. Modum autem conficiẽ-

di exactissimè Galenus in lib. de theriaca ad Pisonem,& in lib. 1. de antidotis tradit.

MITHRIDATIOS.

Mithridatios antidotus,Galeno lib. 1. de antidotis autore,ad eadem ad quæ theriaca valet, & ad pleraq; pernitiosa medicamenta est efficacior: in viperæ aũt morsus curatione,theriaca inferior. Priuatim vero facit ad antiquas ventriculi fluxiones, itemq; thoracis & ad omnes inueteratas in profundo corporis exulcerationes, aut abscessus. Emendat & reducit appetentiã,& bonum corpori colorẽ reddit. Acuit visum eorum qui eam accipiunt. Vtendũ autem cõpositione ea quam tradit Galenus lib. 2. de antidotis,& Aëtius lib. 13. cap. 98. Nam Nicolai nõ probatur primũ quod ab ea quam veteres describunt variet, dein quod multa quæ eius compositioni miscentur non satis cognita sint,nec hoc tempore inueniri queant.

ESDRA.

Esdræ antidotum non id quod à Nicolao, sed quod à recentioribus Græcis describitur,mirificè contra letalia venena prodest,aliosq; vsus multos habet,quos apud eos autores qui huius compositionem tradunt reperies: digna hoc nomine vt in vsum quotidianum reuocetur. Modum conficiendi docet Aëtius lib. 13. cap. 101. Paulus lib. 7. cap. 11. Actuarius in lib. de compos. medic.

AVREA ALEXANDRI.

Antidotum aureum Alexandri cõtra defluxiones capitis frigore conceptas,efficax: oculorũ lachrymas exiccat, dentium dolores lenit,aduersus capitis cruciatum summopere prodest,illitum fronti. Comitiales,insanos,vertiginosos,& in vniuersum omnem capitis noxam mulcet. Tabidis,

tussiculosis, humorem à thorace reiicientibus, cardiacis, sanguinem excreantibus, præsenti est auxilio, ischiadicis, coli & renum cruciatibus. Aduersus iliorum noxam, difficultatem vrinæ, & eiusdẽ stillicidium valet: calculos comminuit, omni ventris malo liberat, quotidianis & tertianis febribus circa accessionis initium, sufferuefacto stœchadis iusculo medetur. Hæc Actuarius lib. de compos. medic. cap. de antidotis: quo sanè in loco eius cõpositionem, quæ à Nicolai nihil variat, tradit. Plura alia contra virulentorum animantium ictus antidota veteribus in frequenti vsu fuerunt, quæ nostratibus officinis ne nomine quidem nota sunt. Expedit itaq; optima ex iis, & paratu facilia, in vsum reuocare.

De antidotis stupefacientibus & dolorem sedantibus. Cap. IIII.

NVnc ad ea progrediendum nobis erit antidota, quæ malis ex praua victus ratione natis succurrunt. Inter ea autem, quum varia admodum sint, primum nobis occurrunt quæ à Græcis ναρκωτικὰ καὶ ἀνώδυνα, καὶ παρηγορικὰ ἢ παραῦντικὰ, hoc est, stupefacientia, & dolorem sedantia, lenientia, aut mitigantia, barbaris vero ac recentioribus opiata, quod illorum compositioni opium addatur, nuncupantur. Differunt tamen aliqua inter se ratione. Anodyna enim proprie sunt ea quæ partium existunt tenuium, & non multo calidiora quàm quæ symmetra sunt: ideoq; necesse est vt euacuent ac discutiant, tum rarefaciant, extenuẽt, concoquant, & æquabile reddãt quicquid in partib. dolore vexatis aut humorum acrium, aut lentorum, aut crassorum, aut multorum meatibus infarctorum, aut etiam vaporosi, aut crassi, aut ad-

ναρκωτικά.

ἀνώδυνα.

modum frigidi spiritus exitum commodum non inuenientis, cohibitum atq; inclusum est. Itaq; nihil prorsus adstrictionis habeant oportet, ne si pars quidem, aut etiam affectus exposcant. Ex quibus liquet, quod interdum affectionem non iuuabunt, sed dolorem tantummodo mitigabunt, quando videlicet reuera dicentur anodyna. Interdum vero etiam affectum ipsum adiuuabunt, & facultatem habebunt duplicem, nempe anodynam, & sanantem. In summa, anodyna proprie nuncupata primi sunt ordinis excalfacientium. Quæ vero ναρκωτικὰ vocantur, temperiem sortiuntur velsummè aduersam iis quæ reuera sunt anodyna: refrigerant siquidem omnia corpus, & sensum eousq; obstupefaciunt, vt si paulo liberalius ebibantur, mortem afferant. Ex horum genere sunt quæ Græcis ὑπνωτικὰ, hoc est, somnifera, soporem ue molientia, aut somnum concilia ntia appellantur. Huiusmodi medicamentis magni doloris, aut vigiliarũ gratia vti consueuimus, aut ne quis propter violentam tussim conuellatur, vt in sanguinis eruptione nonnunquam, & difficilibus destillationibus accidit. Cæterum de compositione prædictorũ medicamentorum id erit sciendum. Etsi scopus componendi eiusmodi medicamenta sit stupefacere sensum eorum quæ dolent, tamen ne cum magno detrimento id fiat, & vt frigiditas corpora dolentia altius penetret, calefacentia miscentur, quæ refrigerantium stupefactionem deducere possunt, quũ illa per se tardi transitus sint. Quum vero, Galeno libro 7. de compos. medic. κατὰ τόπους cap. 5. autore, duplex sit genus sedantium dolorem medicamentorum. vnum quod colicis ob magnitudinem doloris duntaxat conuenit: alterum quod

ὑπνωτικά.

Calida quæ stupefacientibus miscentur.

Duo sedantium dolorẽ medicamentorũ genera

sanguinem reiicientib. & tabidis aptum est, itemq; ad dolores affectusq; qui circa pulmones, arteriã, thoracem, atq; alias quasdam partes, colicis exceptis, consistunt: sciendum colica medicamenta ob vim stupefactoriam quam ex multitudine refrigerantium obtinent medicamẽtorum, qualia sunt hyoscyami semen, & cicuta, & papaueris succus, & cortex radicis mandragorę, esse aliis vehemẽtiora, vt quæ odoratorum & vrinam cientium seminum, qualia sunt cuminum, daucus, seseli, apium & anisum, mistura constant. Hodie crocum, castoriũ, & casiam magna ex parte adiiciunt. Vehementioribus, & colicis nominatis, non nisi maxima necessitate vrgente vtendum. Nam corpora viuentium simile quid mortificationi ab omnibus quæ ex opio, hyoscyamo, & mandragora fiunt medicamẽtis patiuntur, nimirum causis dolorem infligẽtib. insensibilib. factis. Et multi sanè qui assidue talia accipiunt ad immedicabilem frigiditatem particulas perducunt. Nõ igitur continuis diebus, sed ex interuallis danda sunt eius generis medicamina. Præterea cauendum vnicè ne vnquam partibus iis quæ in corpore principatũ aliquẽ obtinẽt, verbi gratia, cerebro, cordi, aut iecori, adhibeantur. Cõsultius demum est eadẽ prius extrinsecus admoueri quàm intra corpus sumãtur. Pueris etiam, senioribus, & aliis imbecillioribus, itemq; grauidis ac vterum gerentibus mulieribus ne applicator. His hodie sic vtutur, vti magna ex parte seorsim & citra aliorũ cõmistionẽ præbeant. Interdum aũt purgãtia quædã eisdẽ inserũtur medicamẽta, vt scilicet non solũ dolorẽ obtundamus, verumetiam vt humores noxios morbumq; fouentes purgemus. Qui sanè modus miscendi non recens admodum

Colicis medicamentis quando utendum

Quibus partibus non adhibenda.

Vsus.

Stupefaciẽtibus interdũ purgãtia miscentur.

est, sed Actuario etiam, vt ex libro eiusdem de compos. med. cap. de antidotorum vsu liquet, vsitatus. Sunt qui in supprimendo sanguine, aut alui profluuio, prædictis medicamentis alia quædam, verbigratia, pastillos, & huiusmodi adstrictoria facultate præditos, commisceant, ac sub inde serapiis ac aliis liquoribus excipiant. Nunc quæ diximus formulis aliquot planiora reddem⁹.

I.

Philonii. ʒ. i.
Croci, castorii, singulorum gr. ii.
Cum zulapio violaceo in vnitatem coëant.

II.

Diaphœnicon. ʒ. iii S.
Compositionis indi maioris. ʒ. ii. S.
Philonis antidoti. ʒ. i.
Vini quod satis est ad excipiendum.

III.

Athanasiæ antidoti ʒ. ii.
Pastillorũ è succino, è terra lemnia, singul. ʒ. i. S.
Lapidis hæmatitis, radicis symphyti maioris, singulorum. ℈. ii.
Serapii myrtini quantũ ad ea excipiẽda satis erit.

ALIA.

Micletæ. ʒ. iii.
Dialibani, diacotoneon, singulorum. ℥. S.
Succi medicati è ribes. ʒ v.
Balaustiorum, geranii sexti generis, sing. ʒ. i.
Cum serapio rosaceo quantum satis erit redigantur ad formã antidoti. Dantur ex iis scrupuli duo, aut drachma vna. Veteres ad summum nucis auellanæ magnitudine præbebãt. Sumũtur vespe ri dum cubitũ itur, in vino, aut alio liquore cõue-

Pondus.
Tempus assumptionis narcoticorum.

Somnifera. niente. Quod vero ad somnifera medicamenta ipsa leuia, & hoc tempore vsitata attinet, quæ eiusdem cum iam dictis generis existunt, inter ea numerari possunt serapium violaceum, è papauere, succi lactucę, solani, portulacæ, aut eorundem liquores stillatitii. Item diacodion cū sacchare nymphææ, violaceo, & similibus. Pręstat tamen nonnunquā vnguento aliquo tēporibus illito somnū accersere. Formulis res tota plana fiet.

I.

Serapii violacei ℥. i. è papauere. ℥. S.
Liquoris stillatitii semperuiui, lactucæ, singul. ℥. i.
Intybi satiui. ℥. S. Misceantur singula, & fiat potio.

II.

Diacodii. ℥. S.
Saccharis è nymphęa, violacei, sing. ℥. i.
Misceantur singula.

III.

Vnguenti populei, olei violacei, sing. ℥. i.
Seminis hyoscyami, corticis mādragorę, sing. ℈. i.
Opii gr. iii. Croci, castorei, singulorum gr. i.
Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.

Nunc vsitata hoc tempore antidota stupefacientia & auodyna ordine, & quid quoduis illorū possit, commemorabimus.

PHILONIS ANTIDOTVM.

Pollet contra colicos cruciatus, inflammationes costarum, & omnem intestinorum dolorē. Somnū accersit. Datur stomachicis, nausea vexatis, vomituriensibus, & vellicato mordicus ventriculo, resolutis in quotidiana febre, sanguinem excreantibus, tabidis, tussientibus, destillationeq; laborantibus. In summa, medicamentum est quod dolorem mirificè sopit. Eius compositionem è lib. 9. de cōpos. med.

med. κατὰ τόπους Galeni pete, cui respōdet ea quā Paulus & Actuarius tradit. Nicolai & Mesues, vt pote quæ à vera Philonii compositione absunt, relinquendæ sunt.

ATHANASIA ANTIDOTVS.

Dolorem lenit, hæmoptoicis, oculis diuturna fluxione laborantibus, sanguinis è naribus profluuio affectis, mensibus nimium promanantibus, & dysentericis prodest. Eius compositionem quæ cæteris antecellere videtur, Nicolaus tradit.

DIALIBANI ANTIDOTVM.

Lachrymas mirabiliter sistit, mediç caluariæ dolorem, & ilei, cum vino albo datum mitigat. Anginæ cum ptisanæ cremore sumptum medetur, similiter & destillationes sanat. Describit̃ ab Actuario, quem Nicolaus per omnia secutus est.

DIACODION.

Prodest iis qbus tenui fluxiōe à capite deuoluta tussis excitat̃, & qbus vēter acria & biliosa excernit, itē calidæ intēperiei, & cholera laborātib⁹, necnon ꝑuigilio vexatis. Auxilio etiā est cœliacis, dysentericis, leuitati īteſtinoꝝ alui ꝓfluuio. Cōpositionē eius pete ab Actuario, quā Nicolaus planè imitat̃, nisi quod mēdæ quædam in Nicolao sint.

MICLETA.

Hęmorrhoidibus profluentibus cōducit, ventrisq; torminibus, lienteriæ, dysenteriæ, & alui profluuio.

De antidotis diuersa corporis mala sanantibus. Cap. V.

Antidora quę diuersis malis passionibus'ue medentur, aut sunt liquida, aut solida. Liquida melle, solida vero sacchare excipiuntur. Pondus autem eorum tale esto, vt ad Liquida. Solida.

Libram vnam — ℥.iii. —
Libram semis — ℥.i.S. —
Quadrantẽ vnũ — Mellis aut — ʒ.vi. — specierũ
Quadrãtẽ semis — sacchari — ʒ.iii. — sumatur
Vnciam vnam — ʒ.ii.

Officinarũ error.

Hodie minus accipiunt de speciebus officinæ, at non sine errore: magis enim student iucunditati ac suauitatis medicamentorũ, quàm vtilitati ægrorum. Hodie eius generis antidota ferè omnia saccharo conficiuntur, nominanturq́; confectiones

Confectiones.

solidæ à recentioribus. Liquida vero iisdem electuaria vocantur. Vtunt iis variis modis: aut enim se solis exhibent aut cum aliis, verbi gratia sacchari generibus conditis, medicamentisq́; cum simplicibus tum compositis miscent, quæ serapio aut alio liquore excipientes, efficiunt medicamentum quod priuatim mixturam appellant. Neq; enim iis mixtura aliud est quàm compositio quæ è variis medicamentis simplicibus & compositis aliquo liquore exceptis constituitur, vt ex sequentibus patebit formulis, quæ recipiunt.

Electuaria.

Liquidorũ usu

Mixtura.

I.

Sacchari rosacei, violacei, buglossi — singulorum. ℥.S.
Diatragacanthes. ℥.I.
Diatrionsantalon, Manus Christi cum margaritis — sing. ʒ.iii.
Compos. è pruni: damasceni simplicis. ℥.S.
Specierum diarhodon Abbatis. ʒ.I.
Pastillorum è violis. ʒ.I.S.
Serapii violacei quantũ ad excipiẽdum sufficiet.
Fiat mixtura.

Alia quæ ℞.

Saccharis pæoniæ. ℥. ii.

Rosmarini. ℥. i. S.

Lauandulæ }
Betonicæ } sing. ℥. i.

Acori conditi. ℥. vi.

Pleresarchigon. ℥. iii.

Specierum diambar }
diamoschi } sing. ℥. i. S.

Stichadis. ℥. i.

Granorum pæoniæ numero. vi.

Visci quercini. ʒ. i.

Florum tiliæ. ℥. i.

Serapii è stichade quod satis erit ad excipiendũ. Modus exhibitionis. ℥. i. S. aut. ℥. ii. pro sumentis habitu & affectu. Dantur diluculo, & vesperi, tribus aut quatuor à cœna horis elapsis.

Solidorum hodie duplex est forma, rotunda videlicet & oblonga. Quę rotundã orbicularẽ've formã accipiunt, orbiculi siue placentæ dici possunt à nostris rotulæ & tabulæ vocantur. Quæ oblonga forma effinguntur antidota, morselli & lozengiæ barbaris nominantur vocib. Morsuli forte rectius appellabuntur. Componuntur magna ex parte è speciebus multorum antidotorum adiectis quibusdam nouis & recẽtib. Interdum, potissimũ vbi amissas vires recuperare studemus, caporum & perdicum pulpas (sic enim Latini vocant partes animalium carnosiores) nuces pineas, vuas passas, & id genus alia commiscentur, adiecto sacchare, quod liquorib. stillatitiis diluitur. Non raro etiam compositis, & à seplasiariis iampridem formatis, tantũ, citra aliorũ cõmistionẽ, vtuntur. Nos formulam vnam aut alteram subiiciemus, quæ recipiũt:

Solidorũ antidotorũ forma.

Rotulæ & tabulæ.

Morselli & lozengiæ.

Morsuli.

Compositionis ratio.

Pulpæ.

I.

Specierum diamoschi } sing.ʒ.i.
diambar }
Odorati rosacei.ʒ.i.S.

Nucis moschatæ }
Maceris } sing.℈.ii.
Carpesiorum }

Cinnamomi.ʒ.S.

Garyophyllorum }
Calami odorati } singulorum.℈.i.
Piperis longi }

Cum sacchari.℥.v.dissolutis in liquoribus stillatitiis saluiæ & maioranæ,formentur orbiculi.

II.

Specierum diarhodon Abbatis } sing.ʒ.i.S.
Diatrionsantalon }

Pastillorum è spodio.℥.i.

Seminum vtriusque intybi satiui }
Cucumerum } ana.℈.ii.
Portulacæ }

Ossis ceruini cordis.℈.i.

Santali albi } singulorum.ʒ.S.
rubri }

Saccharis.℥.iiii. diluti in liquoribus cassuthæ & intybi satiui,fingantur orbiculi aut morsuli.

III.

Pulpæ capi.℥.i.
perdicis.℥.S.

Testiculorum galli.ʒ.iii.

Nucis pineæ } singulorum.℥.i.S.
Amygdalorum }

Pistaceorum in liquore stillatitio ros. maceratorum ʒ.i.

Seminum quatuor frigidorum maiorum,sing.ʒ.S.

Specierum diamargari }
Dianthon } sing. ℈ .ii.
Lætificantis Galeni }
Cinnamomi selecti }
Ligni aloës } sing. ℈ .i.
Maceris }
Sacchari quantum esse satis videbitur dissoluti in liquore stillatitio buglossi formentur morsuli.

Tempus exhibitionis idem quod liquidorũ. Dant ex iis orbiculos duos aut tres, plus aut minus pro morbi conditione. Morsulus vnus, nisi admodum exiguus sit, pro vice sufficit. Reliquũ est vt ordine vsitata hodie antidota, eorundemq; facultates percenseamus.

DIARHODON ANTIDOTVM.

Id est, è rosis. Valet aduersus ventriculi calorẽ, iecinoris, lienis pulmonumq;: contra viscerum dolores, & omnẽ totius corporis noxam à calore proficiscentem. Huius compositionem pete ab Actuario. Quanquam enim Nicolai, quod ad simplicia medicamenta attinet, nihil ab ea quam Actuarius habet variare videatur, tamen in ponderibus non parum distat, vt parebit vtrasq; conferenti. Præstat itaq; ab Actuarii præscripto pendere.

DIATRAGACANTHES.

Hoc est, è tragacanthe antidotũ. Medetur omnibus pulmonum & thoracis vitiis aridis, maxime tabidis, macie confectis, inflammatione lateris laborãtibus, oibusq; tussibus calidis & siccis, exasperationi linguæ & fauciũ. Deuoratũ tam diu ægrotans in ore contineat, quoad liquefactum perfecte exugatur. Compositionem habes apud Actuariũ.

DIAPENIDION.

Valet aduersus omnem thoracis noxã, tussem à

frigore contractam vocis iacturam:tabidis deniq; & purulenta excreantibus succurrit:Eius compositionem tradit Actuarius; non tamen integram, quam quidem ex Nicolao facile perficies.

DIATRIONSANTALON.

Id è tribus santalis antidotum, pollet aduersus iecinoris & ventriculi calorem mirum in modum tabidis, & regio morbo correptis prodest. Eius cōpositionem à Nicolao require.

MANVS CHRISTI ANTIDOTVM.

Sic hodie barbari vocant. Bifariam ab iisdem conficitur, sine vnionibus seu margaritis, & cum vnionibus. Postremi generis antidotum Manus Christi perlatum nominant. Medetur deiectis viribus, ardentibus febribus, & imaginationes falsas abolet. Descriptiones pete à vulgaribus antidotariis.

DIAMBAR.

Hoc est ex ambare antidotum. Contra omnem corporis imbecillitatem efficax, omnem corporis Perfrictionem discutit, natiuum suscitat calorē, & rediuiuum recreat, resarcitq;: eos qui frigido torquentur humore iuuat, articulis & membris omnibus magnifice subuenit, ventriculum fastidientē; quiq; cibum continere non potest, roborat, & inappetentiam cibi summe corrigit. Cor ipsum roborat. Compositionem ab Actuario petes.

DIAMOSCHI.

Id est, è moscho antidotum Prodest contra cordis palpitationem: ei quoq; cui tumultuosa insomnia obuersantur, auxiliatur: item iis qui incertis tumoribus corripiuntur. Malis cerebri frigidis, vertigini, comitialibus, & difficulter spirantibus succurrit. Compositionem tradit Actuarius.

DIAMARGARI.

Hoc est, ex vnionibus antidotum. Omnẽ viriũ imbecillitatem firmat iis quos animus deficit, siue à corde, siue à stomacho deliquium originem ducat: omnem noxæ causam vitalium partiũ discutit, insuper asthmaticis, tussientibus, tabidis auxiliat: longo morbo deiectos, & imbecillitate languẽtes recreat, & ad robur pristinum reducit. Eius compositionem ab Actuario petendam censeo, non obstãte quod Nicolaus illud etiam sub nomine diamargariton descripserit, quod quiuis ex vtriusq; collatione facile deprehendet: nam nonnihil ab Actuarii, propter ponderum mutationem variat.

DIANTHON.

Id est, è floribus antidotum. Prodest præter rationem tribulatis, cardiacis, animi lætitiam auget. Eos roborat qui à longo morbo debiles adhuc sese recolligunt. Ventriculum perpulchre emendat. Compositionem ab Actuario require, in quo pondera rectius quàm in Nicolao, qui idẽ antidotum describit, se habent.

DIACOMERON.

Antidotũ à Latinis nominatũ efficaciter ꝓdest difficulter spirãtibus, arteriacis, tussientibus, tabidis, & omni thoracis & stomachi offensæ, aquæ subter cutem fusæ, renum doloribus, voluptatem parit, corporaq; saginat. Compositionem habes apud Actuarius. Nicolaus vocat diacameron.

DIACVMINON.

Arteriacis, difficultati spirandi, tussiculosis, inflationibus efficaci est adiumento, noxam ventriculi corrigit, concoctionem adfert, adstrictionum vitia sanat. Huius compositionem Actuarius habet, à Nicolai nonnihil dissidentem.

DIACALAMINTHES.

Auxiliatũ iis quos cibi faſtidiũ vrget, appetentiã reuocãs: ægre quoq; ſpirantibus, ventriculo refrigerationẽ ſentienti, & flatib. diſtento cõfert. Cõpoſitio ab Actuario petẽda, quia huic quã Nicolaus habet multa acceſſerunt, & temere adiecta ſunt.

DIALACHA.

Antidotum facit aduerſus frigus ventriculi, obſtructiones, inflationes, iecinoris & renum duritias ſanat, aquæ inter cutem cauſas omnes diſcutit, mẽſes ciet, flatuoſos ſpiritus ab alto corporis abigit. Compoſitio Meſues hodie eſt vſitata, ſed conſultius eſt ſequi eam quam Actuarius tradit, quod videatur eſſe legitima, nec vt Meſues aliquorũ ſimplicium acceſſione deprauata.

DIAIREOS.

Id eſt, ex iri antidotum. Tuſſiculoſis, difficulter ſpirantibus auxiliatur: abſciſſæ vocis iacturam reſarcit, quæ refrigeratione contracta ſit. Compoſitio traditur ab Actuario. Nicolaus aliqua præter neceſſitatem adiecit.

DIAPRASSII.

Hoc eſt, è marrubio antidotum. Prodeſt tuſſiculoſis, & pituitoſiorib. noxis. Compoſitio Actuarii in vſum reuocanda, quod breuis admodum atq; efficax ſit. Nicolai quæ hodie vſitata eſt, è centũ propemodum ſimplicibus medicamentis concinnata, ob multas cauſas repudianda, quas commemorare nihil attinet.

DIATRION PIPEREON.

Id eſt, è tribus piperũ generibus antidotũ. Refrigerato vẽtriculo, & acido ructui, quartanis, exolutis, iecinoroſis, & inflationibus auxiliatur, item tuſſientibus. Compoſitionem pete ab Actuario, nam

huic quam Mesue tradit nonnulla adiecta sunt.

DIASATYRION.

Hoc est, è satyriis antidotum. Tollet contra vesicæ & renũ imbecillitatem: iis etiam auxilio est qui vrinam reddere nequeunt. Venerem mirum in modum stimulat, eamq́; certa de causa cessantem haud segniter restituit. Eius compositionem Actuarius docet. Nicolaus aliqua temere adiecit.

DIANACARDON.

Id est, ex anacardis antidotum. Proficit vertiginosis, comitialibus, difficulter spirãtibus, ileosisq́., menses pellit, incipientem aquam inter cutem, aut malum corporis habitum abigit. Mesue habet cõpositionem sub nomine confectionis Anacardinæ, sed reuocanda in vsum Actuarii.

AROMATICVM ROSATVM

Recentioribus vocatum, ventriculo imbecillo, aliisq́; nutritioni deseruientibus instrumentis succurrit. Vẽtriculi humiditatem, omnemq́; in eo putredinem emendat. Cerebrum & corroborat, appetentiam excitat, concoctionem iuuat, & ex morbo conualescentibus auxiliatur. Compositionem eius Mesue tradit.

DIAGALANGAE.

Valet aduersus crassiores flatus, acidos ructus, prauamq́; concoctionem, item actiones ventriculi & iecoris à frigiditate impeditas robustiores reddit, easdemq́; emendat. Vtendum, cum aliam non habeamus, compositione Mesues.

DIAXYLOALOES.

Hoc est, è ligno aloës antidotum. Prodest malis vẽtriculi, cordis & iecinoris frigidis, animæ defectioni, concoctioniq́;. Oris fœtorem abigit, lætitiamq́; parit. Mesues vtendum compositione.

DIAGEMMAE.

De gemmis electuarium uocant: malis cordis, uẽtriculi, cerebri, iecinoris, & uteri frigidis auxiliatur. Item palpitationi cordis, defectioni animæ, ac concoctioni: tristitiam denique citra causam ortã amouet. Eius compositio à Mesue petenda.

DIAMARGARITON.

Id est, ex unionibus antidotum. Animo deficientibus, supraq; modum tristibus auxiliatur. Ventriculi, fastidia tollit, cõcoctionemq; eiusdem iuuat. Asthmaticis, difficulter spirantibus, tabidis, & ex diuturno morbo extenuatis confert. Nicolaus eiusdem compositiomem docet.

PLERESARCHIGOT.

Barbari plirisarcoticõ nominant, uocib. haud dubie deprauatis. Puto enim dicendum esse πλήρης ἀρχηγοῦ, hoc est, principis absolutum & perfectum antidotum: uel πλήρης ἀρχηγῶν, id est, principum perfectum antidotum, ut ex Nicolai exposito re colligi potest. Tristibus, melancolicis, imbecillo nutriculo, deliquio animi à corde proficiscẽti succurrit. Memoriam amissam recuperat, sensus acuit comitialibus, asthmaticis prodest, omnemq; cerebri debilitatem aufert. Cõpositionem tradit Nicolaus, sed ex nomine liquet Grçcorũ esse inuẽtum.

LAETIFICANS GALENI.

Lçticiam colorisq; bonitatem efficit. Concoctionem iuuat, & caniciem arcet. Nicolaus compositionem illius docet, & ad Galenum autorem refert, qui tamen, quod sciam nusquam illius meminit.

DIANISON.

Crassis flatibus i uẽtriculo natis, eiusdẽq; pfrictioni succurrit. Itẽ pituitam in eo crudã absumit, tussiq; diuturnç pdest. Cõpositionẽ à Mesue pete.

DIACOTONEON.

Proficit aduersus imbecillitatem ventriculi ex frigiditate natam, appetentiam excitat, vomitum reprimit, flatus hypochondriorum discutit, coloris bonitatē efficit: idq; si accesserit species. Quod si vero citra has paratum fuerit, alui profluuio, & leuitate intestinorum laborantibus potissimū prodest. Compositionem require apud Nicolaum.

Hæc ferè sunt omnia hoc tempore vsitata antidota, diuersa corporis mala sanantia.

De purgantibus medicamentis liquidis & solidis. Cap. VI.

Quanquam purgantium medicamentorum, quæ Græcis καθαρτικὰ nominantur, variæ sint excogitatę formæ, tamen haud secus atq; antidota quæ in diuersis malis exhibentur, dupliciter potissimum modo effinguntur. Aut enim liquida forma, aut solida formantur, & in vsum reposita in officinis seruantur. Liquidis vero sic magna ex parte vtuntur. Commiscent inuicem duo aut plura, eaq; in vino, liquoribus stillatitiis, decocto aut id genus aliis bibenda præbent. Sunt qui compositis iis medicamentis purgantibus simplicia quædam, quo facultas eorum valentior reddatur adiiciunt, verbi gratia rhabarbarum, agaricum, turpetum, diacrydium, pastillos Arabibus & Barbaris nominatos alhandal, nunquā non additis iis quæ vehementiam eorundem remittunt. In commiscendis medicamētis purgantibus cōpositis liqdis nullus certus modus præscribi potest. Nam non omnes, eadem etiam medicamenta, cōsimili sensu percipiunt. Alii enim ob eam quā induit corpus sensuum duritiam, præpotētiora vix sentiunt medicamenta: alii rursus vel quęuis sensu

Cōpositionis medicamentorū purgantium forma.

Liquidorū vsus.

Modus cōmiscēdorum purgantium medicamentorum.

percipiunt: quemadmodum alii propter fluxam lubricamq́; meatuum natiuam inanitatem, aut cedentis materię promptitudinem, & instrumentorum mollitiem, mediocribus purgatoriis parent. Quare non à potentioribus, sed à mitiorib. in omnibus quae adsumuntur medicamentis vsum decet auspicari, simul vt laborantis sensus exploretur, simul vt vehementiora tolerare, exercitante vsu, condiscat, & si quādo validioribus oporteat vti, ne vires labefactent intolerabiliorum medicamentorum transitus. Qui vero hæc inconsiderantervsurpant medicamenta, interdum dolores, tormine, vertigines, conuulsiones, perfrictiones, animi deliquia, & alias non dissimiles noxas inferūt. Frequenter autem hodie de paulo' validioribus drachmas sex, aut paulo' plus minus'ue, pro ætatis, sexus, anniq́; temporum ratione, & pro sumentis viribus exhibent. De mitioribus, & iis quæ aluū leuiter mouent, atq; sine tumultu exonerant, qualia sunt compositio è damascenis prunis, è manna, catholicum, & similia plus præbent, nimirum vnciam integram. Vnice etiam obseruandum vt purgantibus medicamentis aliquid commisceatur, quod iniucunditatem retundat, & quod stomachum firmet quod pleraq; purgantia medicamenta stomacho aduersentur, & eidem negocium facessant. Interdum, re ipsa exigente, aliqua quæ viam faciant & transitum præbeant, atq; adeo' humorum crassitiem incidant, adiicienda. Hæc singula formulis aliquot ostendemus, quæ recipiunt.

A mitioribus vsus auspicandus.

Pondus hodie vsitatum.

Odorata & firmantia stomachum purgantibus medicamētis miscēda.

Incidentia aliquādo commiscenda.

I

Compositionis indi maioris. ℥. iii.

Diaphœnicon. ℥. ii. S.

M. Misceantur.

II.

Compositionis è psyllio.ʒ.iii.
è succo rosarum.ʒ.ii.
diaphœnicon.ʒ.i.
Liquoris stillatitii intybi satiui
Cichorii } sing.℥.i.
Buglossi.℥.S.
Commisceantur singula,& fiat potio deiectoria.

III.

Agarici selecti.ʒ.i.
Zingiberis.℈.i.
Salis fossilis saxei.℈.S.
Tritis diligenter adiiciatur,
Compos.indi maioris.ʒ.ii.S.
Liquoris stillatitii hyssopi
calaminthę } sing.℥.i.
Oxymelitis scyllitici.℥.S.
Misceantur.

IIII.

Turpeti mediocriter triti.ʒ.i.
Zingiberis.℈.i.
Compos.indi maioris.ʒ.i.S.
Decocti vuarum passarum.℥.ii.
Mellis rosacei.℥.i.
Misceantur.

V.

Medullę casiæ fistularis.ʒ.vi.
Diaphœnicon.ʒ.ii.
Compos.à succo rosarum.ʒ.i.
Decocti cichorii
Fœniculi } singulorum.℥.i.S.
Commisceantur,& fiat potio purgatoria.

VI.

Compos.hamech.ʒ.iii.

Diaphœnicon.ʒ.ii.
Catholici.ʒ.iii.
Vini optimi.℥.ii.
Zulapii violacei.℥.i.
Misceantur.

Tempus exhibitionis. Instar illarum infinitæ aliæ effingi possunt. Propinanter omnia purgantia medicamēta diluculo, cū scilicet ventriculus copia ciboꝝ haud grauatur.

Medicamentorum purgantiū solidorū vsus. Quod vero ad ea medicamēta quæ solida cōponuntur forma attinet, sciendū quatuor dūtaxat esse medicamēta purgātia quæ hac specie cōponuntur, nimirū diaphœnicon, diaturpeti, è succo rosarum, & diacartamu, eaq; passim in oibus officinis venalia ꝓstant.

Pondus. Non datur ex iis vt plurimum nisi semūcia, interdū vero plus minusq; pro sumentis viribus de iis accipitur. Propinantur aūt magna ex parte ea qua parata sunt forma, citra vllius liquoris adiectionē. Nonnunquā trita prius in iusculo capi galli ue exhibentur. Formulis nihil opus est, quod res ipsa per se plane, & intellectu facilis sit. Restat itaq; vt eorum medicamentorū purgātiū quæ hodie vsitata sunt, noīa & vires explicemus.

COMPOSITIO E PSYLLIO.

Flauam bilem euocat, febribus ardentibus & curatu difficilibus auxiliatur, dolori capitis & vertigini à biliosorum humorū euaporationibus procreatis, morbo regio, & iecori supra modum calefacto. Eius compositionem Mesue tradit.

E SVCCO ROSARVM.

Expellit flauam bilem citra molestiam: ad morbos articulorum ex biliosis & calidis humoribus natos, febresq́. tertianas confert: alia quoq; quæ præcedens efficere pōtest. Compositionem habet Nicolaus.

EPRVNIS DAMASCENIS.

Bifariam componitur,cum & fine diacrydio. Quod cum diacrydio paratur,acutis & peracutis morbis, ardentibus potiſſimum febribus ſuccurrit Citra diacrydium leniter aluū mollit & humectat. Compoſitionum pete à Nicolao.

E MANNA.

Flauam bilem detrahit citra omnem moleſtiam iisq́; potiſſimum cōuenit quibus iecur,renes,aliaq; uiſcera ſupra modū incaleſcunt. Eius compoſitio à Meſue petenda.

INDVM MAIVS.

Excrementa humorum, maxime pituitoſorum ac putridorum, à ventriculo, & aliis nutritoriis inſtrumentis educit. Craſſos in iis etiam flatus diſſoluit,malaq́; hinc nata ſanat,verbi gratia, inflationem ventriculi,colicos & renum dolores. Compoſitionem habet Meſue.

BENEDICTA LAXATIVA.

Sic enim hodie compoſitionem hanc in officinis paſſim nominant. Humores pituitoſos,potiſſimum ad articulos decumbentes,elicit. A renibus quoq; & veſica purgat. Nicolaus huius compoſitionem habet.

DIATVRPETV.

Pituitam paulo vehementius ducit. Compoſitionem petent ſtudioſi è pharmacopolarum libris medicamentariis.

DIASENAE.

Succurrit melancholicis,mania vexatis,& quartana triſtitiaq́; affectis: lienoſis, & omnibus malis ex atra bile procreatis. Compoſitionem eius Nicolaus docet.

CATHOLICVM.

Confert acutis & peracutis morbis, emollit enim, alterat, roburq; addit: iecinorosis & lienosis. Eius compositionis autor Nicolaus.

D'IAPHOENICON.

Febribus compositis & diuturnis auxiliatur, bilem enim flauam & pituitam ducit. Colicis cruciatibus mirifice confert, item doloribus ventriculi, & aliis malis ex crudo humore ortis. Compositionem pete à Mesue.

HAMECH.

Morbis omnibus ex flaua bile & pituita salsa natis uempe impetigini, scabiei, elephantiæ, & cancro succurrit. In summa, omni fœditati cutis à biliosis & adustis humoribus procreatæ conuenit. Eius Mesue autor est.

EPISCOPI.

Elescoph. Hodie passim elescoph, rectius eselskopff, digno sanè ipsis nomine, barbaram sectantes medicinam seplasiarii nominant. Bilem flauam & pituitam, sicut præcedentia duo, elicit flatus quoq; expellit: doloribus articulorum, laterisq; prodest, itemq; colicis cruciatibus. Ad renes etiam & vesicam decumbentes humores expurgat. Compositionem reperies apud Mesuen.

CATHARTICVM IMPERIALE.

Sine molestia vtranq; bilem & pituitam educit. Obesis autem & crassis, quiq; magna ex parte aluo constricta ac dura sunt, ileosis, & iis quorũ ventriculus atq; intestina flatibus distenduntur, conuenit. Eius compositionem Nicolaus tradit.

DIACARTAMV.

Flauæ bili & pituitæ educendæ mirifice conducit. Compositionem require à medicamentariis sepla-

riis seplasiariorum libris: magistralis enim, ut illi loquuntur, exstit.

HIERA PICRA.

Aduersus humores qui altius uentriculo impacti sunt, atque adeo ægre reuelluntur, auxilium affert eos nanque sine molestia extrahit. Confert etiam iis qui suffusorum imaginationes, aut symptomata ex stomachi affectu patiuntur. Præterea quibus alius adstricta est, et mulieribus quæ non probe purgatur.

De bolo purgatorio. Cap. VII.

Inter uarias medicamentorum purgantium à medicis excogitatas formas ea etiam commemoratur quæ bolos hodie nominatur. Sic autem uocant frustulum eorundem medicamentorum esui aptum, quantum scilicet bucca cómode capere potest. Nec uocabulum hoc à latinis auribus adhorret, cum in eadem significatione à Terẽtio usurpatum esse constet, dum inquit: Crucior bolũ tantum mihi esse ereptũ subito è faucibus. Græci, potissimum Hesiodus, βλωμὸν καὶ ψωμὸν, Latini buccеam vocant, cuius quidem diminutiuum buccella. Cæterum bolus variis formatur modis. Interdũ enim ex simplicibus tantum medicamentis cõponitur nonnunquam ex antidotis purgantibus liquidis, iisq; solis: nunc vero sacchara certorũ medicamentorum simplicium adiiciuntur: aliquãdo ex antidotis purgantibus solidis, additis pulueribus seu speciebus simpliciũ quorundã medicamẽtorum purgantiũ, ac vehementiam eorundẽ corrigentium cõponuntur, atq; serapio vel alio quodam liquore excipiuntur, & in formam boli di ge runtur. In iis autem componendis diligenter tam simplicium quàm compositorum medicamento-

Bolus quid.

Buccea.

Boli componendi ratio.

rum purgantium pondera sunt expendenda, ne scilicet plus vel minus quàm expediat medicamentorum inferamus. Porro vniuersa buccæ boli'ue quantitas vncias duas nunquam excedat: nam vniuersa vna deuoranda vice erit. Formulis subiectis studiosi rem rectius assequentur, quæ recipiunt

Pondera.

I.

Turpeti.ʒ.I.
Zingiberis, Masticheς, singulorum.℈.S.
Sacchari.℈.ii.
Cū melle rosaceo quod satis est, formetur bolus.

II.

Compositionis indi maioris.ʒ.iii.
Diaphœnicon.ʒ.ii.S.
Sacchari quantum satis, fingatur buccea.

III.

Medullæ casię fistularis.ʒ.vi.
Compos.è succo rosaceo ʒ.iii.
Sacchari buglossacei.ʒ.ii.
Excipiantur singula saccharo, & formetur bolus.

IIII.

Diacartamu placentarū.ʒ.iii. Turpeti selecti.ʒ.S.
Zingiberis, Masticheς, singulorum.℈.S.
Excipiantur serapio ex hyssopo, & formetur buccella.

De diluto purgatorio. Cap. VIII.

Dilutū quid. Infusio.

Dilutum est liquor in quo aliquid certo tempore citra elixationem maceratur. Nostris hodie infusio appellatur. Purgatoria itaq; diluta, sunt liquores in quibus medicamenta purgantia concisa, trita, vel in puluerem redacta, vel solida

etiam integraq; macerantur. Principibus magnatibus, & eius generis tenerioribus & delicatioribus hominibus exhibentur, quod minor in iis quàm cæteris medicamentis purgantibus vis, atque adeo vsus eorundem tutior esse putetur. Porrò quod ad horum compositionem attinet, primum omnium necesse est purgantium medicamentorum modum ac pondus rectè teneamus: maius enim est maceratorum, quàm vbi per se propinantur, vt libro primo monstrauimus. Dein obseruandum vt semper purgantibus medicamentis commisceantur quæ vehementiam eorum infrenare possunt. Quandiu quoq; maceranda sint scire oportet. Vt plurimum autem duodecim horas, nonnunquam etiam integras noctem & diem macerantur. Tempore ad macerandum præscripto præterito, medicamenta quæ macerata fuerunt colantur ac valide exprimuntur, & subinde à nonnullis compositiones purgantes liquidæ & serapia vt suauior fiat potio, iis commiscentur. Sunt qui decoctum aliquod iuxta humorum præter naturam in corpore redundantiam, pro macerandis medicamentis purgantibus conficiũt. Verbi gratia, si sanguis plus iusto auctus incaluerit, decoctum è prunis, oxyphœnicis, myxis, ziziphis, & id genus aliis adornant. Sin pituita exuperat è seminibus atq; radicibus quæ obstructiones tollunt crassósq; humores incidunt, decoctum parant. Si flaua bilis exundare cœperit, è violis, intybis, lactuca, & eiusmodi quæ feruórem bilis obtundere possunt, decocta faciunt. Prior tamen modus macerandi medicamenta purgantia vsitatior est posteriori. Formulis totum quod diximus patebit; quæ recipiunt

Dilutorum cõponendi ratio.

I.

Rha barbari selecti.ʒ.iii.
Agarici candidi.ʒ.i.S.
Spicæ.ʒ.i.
Zingiberis.℈.i.
Concidantur singula minutatim,& macerentur in liquoribus stillatitiis intybi satiui
Cassuthæ } singul.℥.i.
Buglossi
Durent in his horas duodecim,dein linteolo mũdo exprimantur valide,& colentur,adiectaq; serapii intybi satiui semuncia,fiat potio.

II.

Rha barbari selecti ℥.ii.
Spicæ ℈.ii.
Agarici in pastillos redacti ℈.ii.
Zingiberis ℈.S.
Concisa macerentur horis octo in liquoribus stillatitiis intybi satiui.℥.ii.
Apii.℥.i.
Vini optimi.℥.i.S.
Postea probe exprimãtur & colentur, adiiciãturq;
Compositionis e succo rosarum.ʒ.i.
Diaphœnicon.ʒ.ii.
Fiat potio purgatoria.

III.

Agarici optimi.ʒ.ii.
Zingiberis.℈.i.
Salis gemmæ gr.ii.
Trita macerentur horis duodecim in
Vini albi odoriferi
Liquoris stillatitii absinthii } singulorum.℥.i.
Fœniculi
Exprimantur subinde & colentur, atq; adiiciãtur

Compos. indi maioris. ʒ. ii. S.
Oxymelitis scyllitici. ℥. S.
Formetur potio.

III.

Turpeti selecti. ʒ. I. S.
Zingiberis. ℈. I.
Trita macerent horis octo in vini odoriferi. ℥. iii. deinde probè exprimantur, & colo transfundantur, adiiciaturq;
Compos. Indi. ʒ. iii.
Mellis rosacei. ℥. S.
Misceantur.

V.

Myrobalanorum flauorum. ʒ. ii.
Seminis anisi } singulorum. ℈. S.
Spicæ }
Trita in decocti vuarum passarum. ℥. iii. diu noctuq; macerentur, postea valide exprimantur, & addantur.
Compos. è succo rosaceo. ʒ. ii.
è prunis purgatoriæ. ʒ. iii. S.
Zulapii violarum. ℥. S.
Misceantur, & fiat potio.

VI.

Ficuum numero decem.
Vuarum passarum. ℥. I.
Glycyrhizæ purgatæ. ℥. S.
Myxarum } singul. numero. vii.
Ziziphorū }
Cinnamomi selecti. ʒ. I.
Intybi satiui vtriusq; }
Violarum } singul. M. I.
Rosarum }
Coquantur tantisper in aqua iustæ quantitatis

dum medietas relinquatur. Deinde in decocti per colum transfusi. ℥. iii. maceretur nocturna barbari selecti. ʒ. iiii. Spicae. ʒ. i. Postea probe expressis, & per colum transfusis addatur semuncia zulapii violarum, & fiat potio.

De iis quae vomitum eliciunt. Cap. IX.

Leuia. MEdicamentorum quae vomitum eliciunt triplex est ordo. Quaedam enim idipsum leuiter admodum possunt, vt sunt inter simplicia medicamenta aqua calida, hordei decoctum, ficuum recentium multa comestio, oleum digitis aut pinnis in id intinctis, demissum in guttur, & id genus alia. Inter composita vero serapiu acidum, oxymel, & hydromel. Alia mediocriter vomitionem ciunt, qualia sunt anethi flos & semen, rapi item, atriplicis, & erucae semina. Raphani denique radix & semen radix betonicae, & cucumeris sativi. Nonnulla sunt quae cum vehementia vomitum eliciunt, veluti vterque elleborus, cucumeris sylvestris radix, sesamoides, daphnoidis folia, sparti flores, semina & siliquae, nux vomica vocata, & alia quaedam. Formulis res omnibus perspicua fiet, quae recipiunt

Mediocria.

I.

Decocti hordei. ℥. ii. S.
Olei communis } singulorum. ℥. i.
Oxymelitis simplicis
Misceantur.

II.

Florum anethi } singulorum M. S.
Atriplicis
Seminis raphani. ʒ. i.
Raporum. ʒ. S.
Radicis betonicae. ʒ. i. S.

Coquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias, & dein colo transfundantur, & sumantur
Decocti colo transfusi. ℥.iii.
Oxymelitis. ℥.i.S.
Misceantur, & fiat potio.

Cæterum qui elleborum, aut alia ualidiora medicamenta sumpturi sūt, iis confert exilem cibūm præsumere: id quod tum præsertim faciendū, vbi strāgulatus suspicio imminet, aut imbecillitas subest. Sic enim vomitus nihil piculi minatur, munitis alio cibo corporibus. Sciendū vero potiones quæ vomitus eliciēdi gratia bibunt, tepidas affatimq; sumendas esse. Quomodo vero elleborus tuto propinari queat, in medendi ratione diximus. — Præparatio ad vomitum. — Sumendi ratio.

De saccharibus & conditis. Cap. X.

SAcchara olim non tantū ex floribus, vt hoc tempore, verumetiā succis plantarū conficiebantur: quod ex Actuario Græcorum recētissimo scriptore satis liquet, qui iosacchar ex violarū succo & sacchare factitatum medicamentum esse tradit. Quod vero ad eorundem ac conditorū vsum attinet, sciendum interdum iis per se citra aliorum accessionem hodie vti medicos. Vtplurimum vero illis commiscentur antidota robur certis corporis partibus addentia, cum earundem speciebus, & serapio aliquo excipiuntur: id quod formulis aliquot ostendemus, quæ recipiunt. — Sacchara vt olim confecta. — Vsus saccharorum.

I.

Sacchari rosacei veteris } sing. ℥.i.S.
Diacotoneon sine speciebus }
Diatrion santalon. ℥.i.
Succi medicati è ribes. ℥.iii.
Pastillorum è spodio } sing. ℥.i.
è terra sigillata }

Radicis symphyti maioris. ℥. i. S.
Balaustiorum. ℈. ii. Boli armenicæ. ℥. S.
Serapii myrtini quātū ad ea excipiēda satis est.

II.

Sacchari florum betonicæ
Lauandulæ
Rosmarini
Saluiæ
Pæoniæ
} sing. ℥. ii. S.

Antidoti diambar. ℥. S.
Acori conditi. ℥. i.
Zingiberis conditi. ℥. iii.
Corticum myrobal. cepulorum conditorum. ℥. i.
Specierum diamoschu
aromatici rosacei } sing. ℥. i.
Serapii è stichade quantū ad excipiendū sufficit.

Tempus & modus assumendi. Nullus in iis sumendis præscriptus modus, usus tamen obtinuit ut diluculo & uesperi nucis iuglandis quantitate exhibeantur. Nunc quæ in officinis vsitata sunt ordine cōmemorabimus.

IOSACCHAR.

Saccharū violaceum. Id est, saccharum violaceum. Bilis acrimoniam obtundit sitim restinguit, aluum lenit, & thoracis uitiis; asperitatiq; ac siccitati faucium & gutturis auxiliatur.

SACCHARVM NYMPHAEAE.

Saccharūm nenupharis. Hodie nenupharis vocant. Vehementioribus febribus subuenit, & doloribus quos bilis creat, & capitis ardores sopit, somnumq; accresit.

SACCH. ROSACEVM.

Refrigerat stomachum & firmat: irrepentes in arcem cerebri vapores reprimit. Contra iecinoris calorem valet, tabidis & sanguinem reijcientibus auxilio est.

SACCH. E CICHORIO.

Valet aduersus iecinoris calorem.

SACCH. EX OXALIDE.

Nunc ex acetosa nominant: Contra stomachi, iecinoris calorem auxilio est. Saccharum ex acetosa.

OXOSACCHARVM.

Vide infra de serapiis.

SACCH. E BVGLOSSO.

Confirmat, eiusdem palpitationi auxiliatur, melancholicis item, & tristibus succurrit.

SACCH. E PRVNELLA.

Irrepentes in cerebrum vapores calidos reprimit, & ad omnia oris gutturisq; vitia vtile est.

COTONEA CONDITA.

Corpus refriegerant, roborant ventriculum, & appetentiam inuitant, iecur & cor in æstate, refrigerant.

MYROBAL. CEPVLA, condita.

Ventriculum firmant appetẽtiam excitant, sensus corroborant, visum acuunt, & vniuersi corporis vires tuentur.

MYROBAL. EMPELITICA cõdita.

Roborant ventriculum, nimiamq; eius humiditatem absumunt, mentis aciem exacuunt, prosunt neruis, sitimq; sedant.

SACCH. E ROSMARINO.

Anthos barbari vocant: cerebrum refrigeratum ac humectũ firmat, item omnes corporis partes neruosas.

SACCH. E LAVANDVLA.

Aduersus comitialem morbum, apoplexiam, & id genus alia frigida capitis & neruorum mala valet.

SACCH. E SALVIA.

SACCH. E SALVIA.

Vterum firmat,aliaq; ,poteſt quæ ſaccharum præcedens.

SACCH. E BETONICA.

Malis capitis frigidis confert,uentriculum atq; uterum purgat,calculoſis renibus auxilio eſt,conceptionemq; iuuat.

SACCH. E PAEONIA.

Comitiali malo aduerſatur,ea deniq; quæ præcedens poteſt.

ACORVS CONDITVS

Cerebrum roborat ac neruos,maliſq; eorum frigidis auxilio eſt.

ZINGIBER CONDITVM.

Refrigerato uentriculo confert,concoctionem eiuſdem iuuat,aliaq; ferè omnia quæ acorus côditus præſtat.

CITRIA CONDITA.

Cor & uentriculum firmant,concoctionem iuuant,oriſq; ſuauitatem efficiunt.

PIMPINELLA CONDITA.

Calculoſis rénibus auxiliatur,mulieres à partu purgat,morbo regiô laborantibus ſuccurrit,& à peſtilentiæ contagione incolumes ſeruat.

De eligmatis. Cap. XI.

ἐλίγματα. ἐκλείγματα.

GRæci ἐλίγματα καὶ ἐκλίγματα καὶ ἔκλειχτα uocât medicamenta quæ liguntur ac lambuntur uerius quàm deuorâtur,& retenta in ore aut linguæ ſubdita paulatim liqueſcunt tabeſcunt'ue. Latinè illinctus appellâri poſſunt. Noſtræ ætatis medici Mauritanam ſectantes medicinam,loch nominant. Vſus obtinuit ut eiuſmodi medicamenta inuicem cômiſceantur, etſi interdum perſe citra reliquorum miſtionem ſumantur. Adiiciuntur iis alia

Illinctus.
Loch.
Vſus eligmatû

quædam medicamenta tum simplicia tum composita, quæ pulmonis vitiis auxiliantur, qualia sunt diatragacanthes antidotum, diapenidion, pastilli pectorales vocati; catapotia bechica, succus glycyrhizæ, tragacantha, gummi Arabicum, & id genus alia, vt ex sequentibus patebit formulis, quæ recipiunt

I

Ecligmatis è pineis nucibus }
è pulmone vulpino } sing. ʒ.ii.S.
Eligmatis sani & experti.ʒ.ii.
è scylla.ʒ.i.
Diapenidion }
Diatragacanthes } singulorum.ʒ.S.
Specierum diaireos.ʒ.i.
Pastillorum pectoralium,ʒ.iii.
Succi glycyrhizæ.ʒ.i.S.
Radicum inulæ.℈.ii.
dracontii.℈.i.
Serapii è marrubio quantũ satis est ad excipiendũ.

II.

Sacchari violacei }
nymphææ } singulorum. o.i.
rosacei }
Diarhodon Abbatis.ʒ.S.
Eligmatis è papauere.ʒ.iii.
Specierum diatrionsantalon.ʒ.i.S.
Tragacanthes.ʒ.i.
Zulapii violacei quantũ ad excipiendum sufficit.

Exhibentur quouis tempore, ante & post cibũ, nucis auellanæ aut fabæ quantitate, potissimum vero diluculo & vesperi: melius vero vt vnciæ vnius pondere lambendo sumantur. Detinentur in ore donec sua sponte liquescat, atq; adeo paulatim descendant. Hoc tẽpore non nisi quatuor in

Exhibitionis tempus.

officinis parata offenduntur, quæ ordine, adiectis eorundem viribus, recensebimus.

ELIGMA E SCYLLA

Crassos & lentos humores, quiq; difficile coquuntur in thorace, incidit & extenuat, ideo'que asthmaticis & difficulter spirantibus auxiliatur. Compositionem eius pete ex Actuarii de compos. medicamentorum libro.

ELIGMA E PINEIS.

Tussi diuturnæ, difficultati spiritus, & asthmati succurrit. Humores in thorace crassos incidit, & extenuat. Eius compositionem tradit Mesue.

ELIGMA SANVM & expertum.

Tussi, vocisq; asperitati à frigiditate natæ auxilio est. Crassos in thorace & pulmone humores extenuat. Eius compositio à Mesue petenda erit.

ELIGMA E PVLMONE VVLPIS.

Eiusdem cum præcedentibus facultatis. Compositionem eius habet Mesue.

ELIGMA E PAPAVERE.

Tussi à caliditate & siccitatę ortæ, gutturisq; asperitati auxiliatur. Plurimum autem valet ad tenues salsasq; è capite destillationes. Tabidis etiã & peruigilibus succurrit. Compositio apud Mesuen habetur.

De zulapiis. Cap. XII.

Zulapium. ZVlapium Actuarius & alii recentiores Græci barbara voce appellant id quod hodie iuleb itidem barbaro vocabulo nuncupamus. Fit è stillatitio liquore, aut quod rectius est, è succis & saccharo tantum, vt ex Mesue satis constat. Seplasiariorũ error. Seplasiarii ab ea forma compositionis, auaritiæ stimulis agitati, nonnihil discesserunt. Curabunt itaq; medici vt legitima componendi ratione zulapiorũ

illis à Mesue præscripta vtantur. In horum vsu medici quidam religiose obseruant, vt simplo zulapiorum ponderi stillatitiorum liquorum quadruplum respondeat: verbi gratia, si zulapiorum pōdus sit ℥.iii. erunt liquorū stillatitiorum ℥.xii. Actuarius ex multis variisq; simplicibus medicamentis componit zulapia, non ex vno duntaxat, vt hodie fieri solet. Ad hunc componendi modum respiciunt nonnihil, qui è serapiis & stillatitiis liquoribus, adiectis odoratis & speciebus, conficiunt zulapia. quod ex formulis subiectis patebit, quæ recipiunt. Vsus zulapiorū

I.

Zulapei violacei } singulorum ℥.i.S.
rosacei }

Liquorum stillatitiorum intybi satiui } sing. ℥.4.
oxalidis }
buglossi }

Misceantur singula pro potione.

II.

Zulapii violacei } sing.℥.i.
Serapii glycyrhiza }

Decocti ordeacei ℥.iiii.

Liquorum stillatitiorum tussilaginis } sing. ℥.ii.
scabiosæ }

Misceantur singula pro potione.

III.

Serapii è mentha ℥.i.
ex eupatorio ℥.i.S.
ex hyssopo ℥.S.

Liquorum stillatitiorum origani } sing. ℥.iiii.
menthæ }
buglossi }

Cinnamomi electi } singulorū.℈.ii.
Garyophyllorum }

CATHOLICVM.

Confert acutis & peracutis morbis, emollit enim, alterat, roburq́; addit: iecinorosis & lienosis. Eius compositionis autor Nicolaus.

DIAPHOENICON.

Febribus compositis & diuturnis auxiliatur, bilem enim flauam & pituitam ducit. Colicis cruciatibus mirifice confert, item doloribus ventriculi, & aliis malis ex crudo humore ortis. Compositionem pete à Mesue.

HAMECH.

Morbis omnibus ex flaua bile & pituita salsa natis uempe impetigini, scabiei, elephantiæ, & cancro succurrit. In summa, omni fœditati cutis à biliosis & adustis humoribus procreatæ conuenit. Eius Mesue autor est.

EPISCOPI.

Elescoph. Hodie passim elescoph, rectius eselskopff, digno sanè ipsis nomine, barbaram sectantes medicinam seplasiarii nominant. Bilem flauam & pituitam, sicut præcedentia duo, elicit flatus quoq; expellit: doloribus articulorum, laterisq́; prodest, itemq́; colicis cruciatibus. Ad renes etiam & vesicam decumbentes humores expurgat. Compositionem reperies apud Mesuen.

CATHARTICVM IMPERIALE.

Sine molestia vtranq; bilem & pituitam educit. Obesis autem & crassis, quiq́; magna ex parte aluo constricta ac dura sunt, ileosis, & iis quorū ventriculus atq; intestina flatibus distenduntur, conuenit. Eius compositionem Nicolaus tradit.

DIACARTAMV.

Flauæ bili & pituitæ educendæ mirifice conducit. Compositionem require à medicamentariis sepla-

riis seplasiariorum libris: magistralis enim, ut illi loquuntur, exstit.

HIERA PICRA.

Aduersus humores qui altius uentriculo impacti sunt, atque adeo ægre reuelluntur, auxilium affert eos nanque sine molestia extrahit. Confert etiam iis qui suffusorum imaginationes, aut symptomata ex stomachi affectu patiuntur. Præterea quibus alius adstricta est, et mulieribus quæ non probe purgatur.

De bolo purgatorio. Cap. VII.

INter uarias medicamentorum purgantium à medicis excogitatas formas ea etiam commemoratur quæ bolos hodie nominatur. Sic autem uocant frustulum eorundem medicamentorum esui aptum, quantum scilicet bucca cómode capere potest. Nec uocabulum hoc à latinis auribus adhorret, cum in eadem significatione à Terētio usurpatum esse constet, dum inquit: Crucior bolū tantum mihi esse ereptū subito è faucibus. Græci, potissimum Hesiodus, βλωμὸν καὶ ψωμὸν, Latini buccεam uocant, cuius quidem diminutiuum buccella. Cęterum bolus uariis formatur modis. Interdū enim ex simplicibus tantum medicamentis cōponitur nonnunquam ex antidotis purgantibus liquidis, iisque solis: nunc vero sacchara certorū medicamentorum simplicium adiiciuntur: aliquādo ex antidotis purgantibus solidis, additis pulueribus seu speciebus simpliciū quorundā medicamētorum purgantiū, ac vehementiam eorundē corrigentium cōponuntur, atque serapio vel alio quodam liquore excipiuntur, & in formam boli diguntur. In iis autem componendis diligenter tam simplicium quàm compositorum medicamento-

Bolus quid.

Buccea.

Boli componendi ratio.

rum purgantium pondera sunt expendenda, ne scilicet plus vel minus quàm expediat medicamentorum inferamus. Porro vniuersa buccæ boliue quantitas vncias duas nunquam excedat: nam vniuersa vna deuoranda vice erit. Formulis subiectis studiosi rem rectius assequentur, quæ recipiunt

Pondera.

I.

Turpeti.ʒ.I.
Zingiberis, Masticehs, singulorum.℈.S.
Sacchari.℈.II.
Cũ melle rosaceo quod satis est, formetur bolus.

II.

Compositionis indi maioris.ʒ.iii.
Diaphœnicon.ʒ.ii.S.
Sacchari quantum satis, fingatur buccea.

III.

Medullæ casię fistularis.ʒ.vi.
Compos.è succo rosaceo ʒ.iii.
Sacchari buglossacei.ʒ.ii.
Excipiantur singula sacchro, & formetur bolus.

IIII.

Diacartamu placentarũ.ʒ.iii. Turpeti selecti.ʒ.S.
Zingiberis, Mastiches, singulorum.℈.S.
Excipiantur serapio ex hyssopo, & formetur buccella.

De diluto purgatorio. Cap. VIII.

Dilutũ quid. Infusio.

Dilutum est liquor in quo aliquid certo tẽpore citra elixationem maceratur. Nostris hodie infusio appellatur. Purgatoria itaq; diluta, sunt liquores in quibus medicamenta purgantia concisa, trita, vel in puluerem redacta, vel solida

etiam integraq; macerantur. Principibus magnatibus, & eius generis tenerioribus & delicatioribus hominibus exhibentur, quod minor in iis quàm cæteris medicamentis purgantibus vis, atque adeo vsus eorundem tutior esse putetur. Porro quod ad horum compositionem attinet, primum omnium necesse est purgantium medicamentorum modum ac pondus recte teneamus: maius enim est maceratorum, quàm vbi per se propinantur, vt libro primo monstrauimus. Dein obseruandum vt semper purgantibus medicamentis commisceantur quæ vehementiam eorum infrenare possunt. Quandiu quoq; maceranda sint scire oportet. Vt plurimum autem duodecim horas, nonnunquam etiam integras noctem & diem macerantur. Tempore ad macerandum præscripto præterito, medicamenta quæ macerata fuerunt colantur ac valide exprimuntur, & subinde à nonnullis compositiones purgantes liquidæ & serapia vt suauior fiat potio, iis commiscentur. Sunt qui decoctum aliquod iuxta humorum præter naturam in corpore redundantiam, pro macerandis medicamentis purgantibus conficiũt. Verbi gratia, si sanguis plus iusto auctus incaluerit, decoctum è prunis, oxyphœnicis, myxis, ziziphis, & id genus aliis adornant. Sin pituita exuperat è seminibus atq; radicibus quæ obstructiones tollunt crassósq; humores incidunt, decoctum parant. Si flaua bilis exundare cœperit, è violis, intybis, lactuca, & eiusmodi quæ feruórem bilis obtundere possunt, decocta faciunt. Prior tamen modus macerandi medicamenta purgantia vsitatior est posteriori. Formulis totum quod diximus patebit, quæ recipiunt

Dilutorum cõponendi ratio.

I.

Rha barbari selecti.ʒ.iii.
Agarici candidi.ʒ.I.S.
Spicæ.ʒ.I.
Zingiberis.℈.I.
Concidantur singula minutatim,& macerentur in liquoribus stillatitiis intybi satiui
Cassuthæ } singul.℥.I.
Buglossi
Durent in his horas duodecim,dein linteolo mũdo exprimantur valide,& colentur,adiectaq; serapii intybi satiui semuncia,fiat potio.

II.

Rha barbari selecti ℥.ii.
Spicæ ℈.ii.
Agarici in pastillos redacti ℈.ii.
Zingiberis ℈.S.
Concisa macerentur horis octo in liquoribus stillatitiis intybi satiui.℥.ii.
Apii.℥.I.
Vini optimi.℥.I.S.
Postea probe exprimãtur & colentur, adiiciãturq;
Compositionis e succo rosarum.ʒ.I.
Diaphœnicon.ʒ.ii.
Fiat potio purgatoria.

III.

Agarici optimi.ʒ.ii.
Zingiberis.℈.I.
Salis gemmæ gr.ii.
Trita macerentur horis duodecim in
Vini albi odoriferi
Liquoris stillatitii absinthii } singulorum.℥.I.
Fœniculi
Exprimantur subinde & colentur, atq; adiiciãtur

Compos. indi maioris. ʒ. ii. S.
Oxymelitis scyllitici. ℥. S.
Formetur potio.

III.

Turpeti selecti. ʒ. i. S.
Zingiberis. ℈. i.
Trita macerent. horis octo in vini odoriferi. ℥. iii. deinde probè exprimantur, & colo transfundantur, adiiciaturq́;
Compos. Indi. ʒ. iii.
Mellis rosacei. ℥. S.
Misceantur.

V.

Myrobalanorum flauorum. ʒ. ii.
Seminis anisi } singulorum. ℈. S.
Spicæ }
Trita in decocti vuarum passarum. ℥. iii. diu noctuq́; macerentur, postea valide exprimantur, & addantur.
Compos. è succo rosaceo. ʒ. ii.
è prunis purgatoriæ. ʒ. iii. S.
Zulapii violarum. ℥. S.
Misceantur, & fiat potio.

VI.

Ficuum numero decem.
Vuarum passarum. ℥. i.
Glycyrhizæ purgatæ. ℥. S.
Myxarum } singul. numero. vii.
Ziziphorú }
Cinnamomi selecti. ʒ. i.
Intybi satiui vtriusq; }
Violarum } singul. M. i.
Rosarum }
Coquantur tantisper in aqua iustæ quantitatis

Coquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias, & dein colo transfundantur, & sumantur.
Decocti colo transfusi. ℥. iii.
Oxymelitis. ℥. i. S.
Misceantur, & fiat potio.

Cæterum qui elleborum, aut alia ualidiora medicamenta sumpturi sūt, iis confert exilem cibum præsumere: id quod tum præsertim faciendū, vbi strangulatus suspicio imminet, aut imbecillitas subest. Sic enim vomitus nihil piculi minatur, munitis alio cibo corporibus. Sciendū vero potiones quæ vomitus eliciēdi gratia bibunt, tepidas affatimq; sumendas esse. Quomodo vero elleborus tuto propinari queat, in medendi ratione diximus. Præparatio ad vomitum. Sumendi ratio.

De saccharibus & conditis. Cap. X.

SAcchara olim non tantū ex floribus, vt hoc tempore, verumetiā succis plantarum conficiebantur: quod ex Actuario Græcorum recētissimo scriptore satis liquet, qui iosacchar ex violarū succo & sacchare factitatum medicamentum esse tradit. Quod vero ad eorundem ac conditorū vsum attinet, sciendum interdum iis per se citra aliorum accessionem hodie vti medicos. Vtplurimum vero illis commiscentur antidota robur certis corporis partibus addentia, cum earundem speciebus, & serapio aliquo excipiuntur: id quod formulis aliquot ostendemus, quæ recipiunt. Sacchara vt olim confecta. Vsus sacchararum.

I.

Sacchari rosacei veteris } sing. ℥. i. S.
Diacotoneon sine speciebus }
Diatrionsantalon. ℥. i.
Succi medicati è ribes. ℥. iii.
Pastillorum è spodio }
è terra sigillata } sing. ℥. i.

Radicis symphyti maioris. ʒ. i. S.
Balaustiorum. ℈. ii. Boli armenicæ. ʒ. S.
Serapii myrtini quātū ad ea excipiēda satis est.

II.

Sacchari florum betonicæ
Lauandulæ
Rosmarini
Saluiæ
Pæoniæ
} sing. ʒ. ii. S.
Antidoti diambar. ℥. S.
Acori conditi. ℥. i.
Zingiberis conditi. ℥. iii.
Corticum myrobal. cepulorum conditorum. ℥. i.
Specierum diamoschu
aromatici rosacei } sing. ℥. i.
Serapii è stichade quantū ad excipiendū sufficit.

Tempus & modus assumendi.

Nullus in iis sumendis præscriptus modus, usus tamen obtinuit ut diluculo & uesperi nucis iuglandis quantitate exhibeantur. Nunc quæ in officinis vsitata sunt ordine cōmemorabimus.

IOSACCHAR.

Saccharū violaceum.

Id est, saccharum violaceum. Bilis acrimoniam obtundit sitim restinguit, aluum lenit, & thoracis uitiis; asperitatiq; ac siccitati faucium & gutturis auxiliatur.

SACCHARVM NYMPHAEAE.

Saccharum nenupharis.

Hodie nenupharis vocant. Vehementioribus febribus subuenit, & doloribus quos bilis creat, & capitis ardores sopit, somnumq; accresit.

SACCH. ROSACEVM.

Refrigerat stomachum & firmat: irrepentes in arcem cerebri vapores reprimit. Contra iecinoris calorem valet, tabidis & sanguinem reijcientibus auxilio est.

SACCH. E CICHORIO.

Valet aduersus iecinoris calorem.

SACCH. EX OXALIDE.

Nunc ex acetosa nominant: Contra stomachi, iecinoris calorem auxilio est. Saccharum ex acetosa.

OXOSACCHARVM.

Vide infra de serapiis.

SACCH. E BVGLOSSO.

Confirmat, eiusdem palpitationi auxiliatur, melancholicis item, & tristibus succurrit.

SACCH. E PRVNELLA.

Irrepentes in cerebrum vapores calidos reprimit, & ad omnia oris gutturisq; vitia vtile est.

COTONEA CONDITA.

Corpus refriegerant, roborant ventriculum, & appetentiam inuitant, iecur & cor in æstate, refrigerant.

MYROBAL. CEPVLA. condita.

Ventriculum firmant appetẽtiam excitant, sensus corroborant, visum acuunt, & vniuersi corporis vires tuentur.

MYROBAL. EMPELITICA cõdita.

Roborant ventriculum, nimiamq; eius humiditatem absumunt, mentis aciem exacuunt, prosunt neruis, sitimq; sedant.

SACCH. E ROSMARINO.

Anthos barbari vocant: cerebrum refrigeratum ac humectũ firmat, item omnes corporis partes neruosas.

SACCH. E LAVANDVLA.

Aduersus comitialem morbum, apoplexiam, & id genus alia frigida capitis & neruorum mala valet.

SACCH. E SALVIA.

SACCH. E SALVIA.

Vterum firmat,aliaq; ,poteſt quæ ſaccharum præcedens.

SACCH. E BETONICA.

Malis capitis frigidis confert,uentriculum atq; uterum purgat,calculoſis renibus auxilio eſt,conceptionemq; iuuat.

SACCH. E PAEONIA.

Comitiali malo aduerſatur,eā deniq; quæ præcedens poteſt.

ACORVS CONDITVS

Cerebrum roborat ac neruos,maliſq; eorum frigidis auxilio eſt.

ZINGIBER CONDITVM.

Refrigerato uentriculo confert,concoctionem eiuſdem iuuat,aliaq; ferè omnia quæ acorus cōditus præſtat.

CITRIA CONDITA.

Cor & uentriculum firmant,concoctionem iuuant,oriſq; ſuauitatem efficiunt.

PIMPINELLA CONDITA.

Calculoſis renibus auxiliatur,mulieres à partu purgat,morbo regiō; laborantibus ſuccurrit,& à peſtilentiæ contagione incolumes ſeruat.

De eligmatis. Cap. XI.

Ἐλίγματα. Ἐκλίγματα.

GRæci ἐλίγματα καὶ ἐκλίγματα καὶ ἔκλεικτα vocāt medicamenta quæ liguntur ac lambuntur ue rius quàm deuorātur,& retenta in ore aut linguæ ſubdita paulatim liqueſcunt tabeſcunt ue. Lannè illinctus appellari poſſunt. Noſtræ ætatis medici Mauritanam ſectantes medicinam,loch nominant. Vſus obtinuit ut eiuſmodi medicamenta inuicem cōmiſceantur, etſi interdum per ſe citra reliquorum miſtionem ſumantur. Adiiciuntur iis alia

Illinctus. Loch. Vſus eligmatū

quædam medicamenta tum simplicia tum composita, quæ pulmonis vitiis auxiliantur, qualia sunt diatragacanthes antidotum, diapenidion, pastilli pectorales vocati, catapotia bechica, succus glycyrhizæ, tragacantha, gummi Arabicum, & id genus alia, vt ex sequentibus patebit formulis, quæ recipiunt I

Ecligmatis è pineis nucibus }
è pulmone vulpino } sing. ℥.ii.S.
Eligmatis sani & experti. ℥.ii.
è scylla. ℥.i.
Diapenidion }
Diatragacanthes } singulorum. ℥.S.
Specierum diaireos. ℥.i.
Pastillorum pectoralium. ℥.iii.
Succi glycyrhizæ. ℥.i.S.
Radicum inulæ. ℈.ii.
dracontii. ℈.i.
Serapii è marrubio quantū satis est ad excipiendū.

II.

Sacchari violacei }
nymphææ } singulorum. o.i.
rosacei }
Diarhodon Abbatis. ℥.S.
Eligmatis è papauere. ℥.iii.
Specierum diatrionsantalon. ℥.i.S.
Tragacanthes. ℥.i.
Zulapii violacei quantū ad excipiendum sufficit.

Exhibentur quouis tempore, ante & post cibū, nucis auellanæ aut fabæ quantitate, potissimum vero diluculo & vesperi: melius vero vt vnciæ vnius pondere lambendo sumantur. Detinentur in ore donec sua sponte liquescāt, atq; adeo paulatim descendant. Hoc tēpore non nisi quatuor in

Exhibitionis tempus.

officinis parata offenduntur, quæ ordine, adiectis eorundem viribus, recensebimus.

ELIGMA E SCYLLA

Crassos & lentos humores, quiq; difficile coquuntur in thorace, incidit & extenuat, ideo que asthmaticis & difficulter spirantibus auxiliatur. Compositionem eius pete ex Actuarii de compos. medicamentorum libro.

ELIGMA E PINEIS.

Tussi diuturnæ, difficultati spiritus, & asthmati succurrit. Humores in thorace crassos incidit, & exteuuat. Eius compositionem tradit Mesue.

ELIGMA SANVM & expertum.

Tussi, vocisq; asperitati à frigiditate natæ auxilio est. Crassos in thorace & pulmone humores extenuat. Eius compositio à Mesue petenda erit.

ELIGMA E PVLMONE VVLPIS.

Eiusdem cum præcedentibus facultatis. Compositionem eius habet Mesue.

ELIGMA E PAPAVERE.

Tussi à caliditate & siccitate ortæ, gutturisq; asperitati auxiliatur. Plurimum autem valet ad tenues salsasq; è capite destillationes. Tabidis etiá & peruigilibus succurrit. Compositio apud Mesuen habetur.

De zulapiis. Cap. XII.

Zulapium. ZVlapium Actuarius & alii recentiores Græci barbara voce appellant id quod hodie iuleb itidem barbaro vocabulo nuncupamus. Fit è stillatitio liquore, aut quod rectius est, è succis & saccharo tantum, vt ex Mesue satis constat. Seplasiarii ab ea forma compositionis, auaritiæ stimulis agitati, nonnihil discesserunt. Curabunt itaq; medici vt legitima componendi ratione zulapiorú

Seplasiariorũ error.

illis à Mesue præscripta vtantur. In horum vsu medici quidam religiose obseruant, vt simplo zulapiorum ponderi stillatitiorum liquorum quadruplum respondeat: verbi gratia, si zulapiorum pōdus sit ℥.iii. erunt liquorū stillatitiorum ℥.xii. Actuarius ex multis variisq; simplicibus medicamentis componit zulapia, non ex vno duntaxat, vt hodie fieri solet. Ad hunc componendi modum respiciunt nonnihil, qui è serapiis & stillatitiis liquoribus, adiectis odoratis & speciebus, conficiunt zulapia. quod ex formulis subiectis patebit, quæ recipiunt. Vsus zulapiorū

I.

Zulapei violacei } singulorum ℥.i.S.
rosacei }

Liquorum stillatitiorum intybi satiui } sing. ℥.4.
oxalidis }
buglossi }

Misceantur singula pro potione.

II.

Zulapii violacei } sing. ℥.i.
Serapii glycyrhiza }

Decocti ordeacei ℥.iiii.

Liquorum stillatitiorum tussilaginis } sing. ℥.ii.
scabiosę }

Misceantur singula pro potione.

III.

Serapii è mentha ℥.i.
ex eupatorio ℥.i.S.
ex hyssopo ℥.S.

Liquorum stillatitiorum origani } sing. ℥.iiii.
menthæ }
buglossi }

Cinnamomi electi } singulorū ℈.ii.
Garyophyllorum }

ro hodie hunc in modum vtuntur. Commiscent eos antidotis corroborantibus, tum liquidis tum solidis, saccharisq. adiectis interdum aliquod simplicibus medicamentis serapio aliquo exceptis. Sunt qui eosdem cum stillatitiis liquoribus instar serapiorum permisceant quemadmodum ex formulis sequentibus patebit, que recipiunt. Vsus succorum medicatorum.

I

Sacchari rosacei veteris ℥. I.
Succi meditati è ribes } sing. ℥. S,
Diamoron. }
Diacotoneon sine speciebus ℥. I.
Hydromali ℥. S.
Pollinis radicis symphyti maioris } singul. ℈. ii.
balaustiorum }
boli armenicæ }
Pastillorum è spodio } sing. ʒ. I.
è terra lemnia }
Misceantur singula, & cum serapio myrtino quod satis est in mellis consistentiam coëant.

II.

Succi meditatis è ribes } singulorum. ℥. S.
Hydromali simplicis }
Diacaryon }
Liquoribus stillatitii plantaginis } sing. ℥. I.
oxalidis }
fragorum }
Misceantur pro potione.

SVCCVS MEDICATVS è Ribes.

Rob è riibes vocant hodie. Ventriculum firmat, vomitum biliosum reprimit, sitim restinguit, aliasq. excretiones biliosas sistit. Compositionem pete à Mesue. Rob è ribes

SVCCVS MEDICATVS EX oxyacantha.

Rob è berberis

Rob è berberis nominant. Easdem quas praecedens facultates obtinet. Compositio est apud Mesuen.

DIACARYON.

Rob nucum viridium.

Hoc est, è nucibus compositio. Seplasiarii rob nucum viridium appellant. Destillationi tenuium humorum à capite, & inflammationem excitantium confert. Duplex vero existit hæc compositio, scilicet simplex & composita. Vtraque describitur à Paulo lib. 7. cap. 14. quem imitatus est subinde Mesue. Cōpositam etiā describit Actuarius.

DIAMORON.

Contra depascentia oris vlcera, ad dentiū affectus & gingiuarum noxas atq; ad omnia oris vitia gargarizatu proficit. Est itidem duplex, nimirum simplex & compositum. Vtriusque compositionem habes apud Paulum loco iam citato.

DYDROMALON.

Miua cotoneorum.
Simplex.
Composita.

Miua cotoneorum à pharmacopolis vocatur. Est duplex, simplex & composita. Simplex aduersus alui profluuia biliosa valet; Ventriculum firmat, aliasq; excretiones biliosas sistit. Compositio est apud Paulum libro paulo ante citato cap. 15. Composita & cum speciebus, ventriculum & alia instrumenta nutritioni seruientia corroborat appetentiam excitat, coctionem iuuat, vomitum, & per aluum excretiones sistit.

De serapiis. Cap. XIIII.

Serapium.

SErapium vocat Actuarius potionem eam quam hodie syrupum voce magis barbara nominant. Sic vero vocant quando medicamenta cum melle vel saccharo donec concreuerint coquuntur. Nostri in breue & longum (sic

enim

enim loquuntur) diuidunt ſerapium. Breue, quod parum aquei humoris in ſe habet appellāt, alioq; nomine commune vocant. Longum, quod humoris aquei multum obtinet eſſe aiunt, nominantq; alia voce decoctum. Cæterum ſerapia omnes propemodum hodie medici cum ſtillatitiis liquoribus commiſcent, ac ſic potanda præbēt: atq; tum religioſe obſeruant vt ſit dupla liquorum ſtillatitiorum ad ſimplam ſerapiorū menſura, quod ex formulis luculenter apparebit. Serapiorū vero ac liquorū miſtionis quantitas vniuerſa nō tranſcendat. ℥. iiii. S. Vſus etiam ſerapiorum eſt in excipiendis antidotis, vt ex eorundem formulis ſupra poſitis patet. Nunc ſerapiorum formulas ſubiiciemus, quæ recipiunt — Breue ſerapiū. Longum. Vſus ſerapiorū

I.

Serapii violacei. ℥. I.
intybi ſatiui. ℥. S.
Liquoris ſtillatitii cichorii, intybi ſatiui, buglosſi — ſing. ℥. I.
Miſceantur.

II.

Mellis roſacei, Oxymelitis ſcyllitici, Serapii è calamintha — ſingulorum. ℥. S.
Liquoris ſtillatitii hyſſopi, calaminthæ, fœniculi — ſingulorum. ℥. I.
Commiſceantur.

III.

Serapii è mentha. ℥. I.
Hydromali compoſiti ℥. S.
Liquoris ſtillatitii abſinthii. ℥. ii. S.
Commiſceantur.

Exhibitionis tempus.

Exhibentur frequẽter diluculo appetẽte, prius quidem calefacti, vt omnia reliqua medicamenta quæ ieiunis potanda præbentur. Nonnunquam etiam vesperi, potissimum vbi somni conciliandi gratia sumuntur. Nunc ordine vsitata officinis serapia recensebimus, auspicati à violaceo.

SERAPIVM VIOLACEVM.

Easdem quas zulapium violaceum facultates obtinet. Compositio est apud Mesuen.

SERAPIVM ROSACEVM.

Idem quod zulapium rosaceum potest. Compositionem petes à Mesue.

SERAPIVM EX NYMPHAEA.

Serapium e nenuphare.

Bilis flauę feruorem extinguit, ideoq; mirifice in ardentibus aliisq́, acutis febrib. auxiliatur. Somnum quoq; conciliat.

SERAPIVM ACIDVM SIMPLEX.

Febribus à bile natis auxiliatur, bilis enim feruorem restinguit ac sitim, obstructiones tollit, vrinam mouet, putredini aduersatur, sudoremq́; euocat. Compositionem docet Mesue.

SERAPIVM EX INTYBO SATIVO.

Aduersus calorem immodicum iecinoris, aliorumq́, instrumentorũ nutritioni seruientium valet. Item morbo laterali succurrit: id quod de simplici vocato intelligendum venit, non composito, quod à pharmacopolis parandum non erit.

SERAPIVM EX OMPHACIO.

Serapium ex agresta.

Hoc est, ex agresta, vt nostræ ætatis medici loquunt. In magnis æstibus ad sitim restinguẽdã mirifice cõfert, vomitũ & alui profluuiũ biliosum sistit, febribus biliosis succurrit, grauidarum vomitũ etiam reprimit, ac ventriculũ earundẽ firmat, venenisq́; aduersatur. Compositionem tradit Mesue.

SERAPIVM EX ACIDO citri succo:

Aestū ac feruorē bilis flauæ febriumq́; ardentium & pestilentialium mitigat; sitim quoq; vehementē restinguit. Compositio est apud Mesuen.

SERAPIVM MYRTINVM.

Ventriculum firmat atq; omnia alia viscera: cōtra ventris profluuia, & dysenteriam valet: menstrua supprimit, tussimq́; à calidis & tenuibus humoribus excitatam sanat. Eius compositio est apud Mesuen.

OXOSACCHARVM.

Concalefacta corpora potum iuuat: longis febribus quas sanguis aut bilis creauit, & calori iecinoris auxilio est, & lienis obstructiones tollit. Est duplex, simplex & compositum. Simplicis compositio est apud Nicolaū: compositi apud Actuariū.

SERAPIVM E PAPAVERE.

Aduersus tenuis humoris à capite defluxionē ad thoracem & pulmonem tussim siccam, gutturis & faucium asperitatem valet: sitim restinguit, somnumq́; conciliat. Est duplex, simplex & compositum. Vtriusque compositionem apud Mesuen est inuenire.

OXYMELI SIMPLEX.

Latinis acetum mulsum dicitur. Humores crassos, lentos ac pituitosos incidit, extenuat & abstergit, atq; adeo obstructiones aufert. Sputū educit, spiritumq́; faciliorem reddit. Eius compositionem tradit Galenus lib. 4. de tuenda valetudine. Acetū mulsum

OXYMELI COMPOSITVM.

Humores crassos & pituitosos incidit, extenuat & abstergit. Obstructiones tollit iecinoris, lienis ac renum: vrinam mouet, sudoremq́; euocat. Sunt qui serapium de radicibus nominent. Actuarii Serapium e radicibus.

videtur esse serapium è decocto radicum. Compositionem ab eodem petes.

OXYMELI SCYLLITICUM.

Humores frigidos, & eradicatu difficiles abstergit, incidit, & extenuat, ideoq. ad ciendum vomitum efficax. Dentes vacillantes ac mobiles firmat, & oris suauitatem efficit. Ab illius vsu caueat tunc tabidi, tum febribus acutis laborantes. Compositionem habet Mesues. Paulus tamen & alii Græci diuersam docent.

SERAPIUM ACIDUM COMPOSITUM.

Alias de radicibus dicitur. Pituitosos incidit, abstergit, & extenuat humores. Obstructiones quę sunt in iecinore, liene, & renibus, aufert. Compositio petenda à Mesue.

SERAPIUM E STOECHADE.

Omnibus cerebri & neruorum vitiis à frigiditate natis, resolutioni nimirum neruorum, conuulsioni, morbo comitiali, & similibus auxilio est. Destillationibus etiam à capite in thoracem, quas frigidus excitauit humor, conducit, ventriculumq; firmat. Eius compositionem tradit Mesue.

SERAPIUM BYZANTINUM.

Humores crassos & lentos incidit, atq; extenuat, obstructiones aufert morboq; regio succurrit Eius compositionis Mesue autor est.

SERAPIUM EX EUPATORIO.

Frigidis iecinoris vitiis, ac eiusdem obstructionibus, aqnæ inter cutē, maloq; corporis habitui succurrit. Humores enim crassos extenuat, roburq; iecinori adiicit. Vrinas mouet, & hypochondriorū tensionē demolitur. Cōpositio est apud Mesuen.

Serapium è liquiritia.

SERAPIUM E GLYCYRHIZA.

Barbaris nunc è liquiritia vocatur. Thoracem

& pulmonem expurgat, ideoq; diuturnæ tussi, & pleuritidi auxiliatur. Compositionē pete à Mesue.

SERAPIVM E MARRVBIO.

Hodie quidem è prasio, græca vtentes voce, medici appellant. Vitiis thoracis & pulmonis diuturnis, & à frigido tenaciq; humore excitatis, atq; eradicatu difficilibus succurrit. Hinc est quod senibus & asthmaticis plurimum conducat. Compositionem eius docet Mesue. Serapium e prasio.

SERAPIVM EX HYSSOPO.

Ad vitia thoracis & pulmonis efficax est, humoresq; excreatu difficiles extenuat & educit. Eius compositionis autor est Mesue.

SERAPIVM E CALAMINTHA.

Lienosis & aliis qui ex humoribus crassis ac lentis obstructione laborant, asthmaticis, & diutina tusse affectis, retentisq; mensibus succurrit. Compositio est apud Mesuen.

SERAPIVM E MENTHA.

Firmat ventriculum frigidum, eiusq; concoctionem iuuat, vomitum nauseamq; reprimit, singultū sanat, aluiq; profluuium à frigidis humoribus ortum sistit. Compositio petenda à Mesue.

SERAPIVM EX ABSINTHIO.

Ventriculum roborat & iecur, aliaq; instrumenta nutritionis appetentiamq; excitat. Cōtra regiū morbū prodest, flatus discutit, humoresq; per vrinam pellit. Compositionē tradit Mesue. Actuarius habet optimam, quam velim in vsum reuocari.

MELICRATVM.

d est, aqua mulsa. Cruda vtimur in iis quibus alui deiectionem moliri, aut vomitionē ciere libet: quemadmodum in iis etiam qui venenatū aliquid hauserunt, ex oleo eam præbentes. Cocta vero A qua mulsa.

exhibetur imbecillis & animo exilibus, itē tussien tib. pulmonariis, & iis qui immodico sudore digeruntur. Compositio petenda erit à Dioscoride.

SERAPIVM E FVMARIA.

Serapium e fumoterræ.

Ventriculū & iecur firmat, eiusq; obstructiones tollit. Vitia cutis ex salsis ac perustis humoribus excitata, verbi gratia, scabiem & impetiginem, emendat. Compositio est apud Mesuen.

SERAPIVM EX EPITHYMO.

Aduersus scabiem gallicam, lepram cancrū, & alia vitia cutis ab atra bile prouenientia valet. Eius compositionis autor est Mesues.

Tēpus exhibitionis serapiorū.

Exhibentur serapia magna ex parte diluculo appetente, nonnunquam etiam vesperi, ea potissimum quæ somni conciliandi gratia sumuntur.

De decoctis. Cap. XV.

Decoctorum compositio.

DEcocta parantur è radicibus, foliis, seminibus, & floribus plantarū, vsusq; obtinuit vt foliorum quantitas fasciculorum manualium, seu manipulorum, fructuum numeri reliquorum autē ponderis adiectione æstimetur. Radicum vero quantitas vncias tres, ad summum quinq; foliorū fasciculorum manualium quinq; seminum drachmarum quatuor aut sex: florum manipulorū quatuor non excedat. Aquæ mensura in qua singula nunc commemorata coquuntur, raro libras duas, vel summum tres, superet, quod maior eius quantitas non solam prædictorum vim obtundat, imo etiam efficiat vt antequam ab ægrotante tota absumatur, corruptionē induat. Cæterum cuilibet libræ aquæ, libra semis sacchari & mellis adiiciatur. Quod si etiam decoctum odoramentis quibusdā vt suauius fiat condire volueris, cuiuis libræ decocti, drachmas duas odoramentorum permi-

sceas. Formulis aliquot, rem planam faciemus, quæ recipiunt I.

Florum violarum }
rosarum } singulorum M. I.
buglossi }
Nymphææ M. S.
Foliorum intybi satiui latifolii }
angustifolii } sing. M. I. S.
Lactucæ }
Portulacæ } M. I.
Vuarum passarum exemptis vinaceis. ℥. I.
Prunorum damascenorum numero. xi.
Oxyphœnicon. ℥. I.
Seminum intybi satiui vtriusque }
Melonum } sing. ʒ. I. S.
Cucurbitę }
Portulacæ. ʒ. S.
Radicis cichorii. ℥. S.
Cinnamomi selecti. ʒ. I. S.
glycyrhizæ. ℥. I.

Coquantur singula in tribus aquæ fontanæ libris donec dimidiũ absumatur. Dein colo trãsfusis saccharo adiecto iuri decocti dulcedo ac suauitas inducatur, alboq́; oui purificetur addanturq́; serapii ex intybo satiuo. ℥. ii. Zulapii violacei. ℥. I. S. & fiat potio. II.

Radicum apii }
acori legitimi }
iridis } singul. ℥. I.
inulæ }
Seminum oreoselini }
dauci }
anisi } sing. ʒ. ii.
rusci }

Fœniculi.ʒ.I.
Chamæmeli
Adianti
Origani
Hyssopi
} sing. manus plenæ fasciculum.
Menthæ
Absinthii
} sing. M.S.
Casiæ.ʒ.I.
Cinnamomi.ʒ.ii.
Iunci odorati.ʒ.S.
Florum melissophylli
sambuci
scabiosæ
} singulorum. M. I.

Coquantur in aquæ libris duabus ad tertias, deinde colo transfundantur, & sacchari adiectione ius decocti dulce reddatur purificeturq́; addi-tis serapiorũ è marrubio & hyssopo sing.ʒ.ii. fiatq́; potio. Prædictorum decoctorum iura, vtpote iam medicamentosa, instar serapiorum assumuntur appetente diluculo pondere trium aut quatuor vnciarum. Interdum etiam vesperi. potissimum vbi frequentes potiones ægroto nõ fuerint molestæ.

Tempus sumptionis.

Componuntur etiam decocta quędam purgantia, haud multum ab iis quæ iam commemorauimus variantia, nisi quod in illorum compositione diligenter ad pondus purgantium medicamentorum sit respiciendum, adiectis semper iis quæ vim eorundem infrenant, atque vehementiam remittunt, quemadmodum ex formulis sequentibus manifeste deprehendent studiosi quæ recipiunt.

Decoctorũ purgantium cõponendi ratio.

I.

Hermodactylorum
Turpeti
} sing.ʒ.I.

Polypodii
Follicurum fenæ } fing.ʒ.ii.
Zingiberis
Maſtiches } ſingulorum.℈.ı.
Cinnamomi
Sem. dauci } ſingulorum ℈.S.

Conciſa minutatim coquantur in libra vna & ſemis aquæ tantiſper, dum tertia pars abſumatur, dein colo transfundantur.

De præſenti decocto dentur vice vna ℥.iii. diluculo.

II.

Florum violarum
roſarum
bugloſſi
cirſii } ſing.M.ı.

Prunorum damaſcenorum numero.xi.
Oxyphenicon
Vuarum paſſarum } ſing.℥.ı.
Fumariæ M.ı.S.
Seminum melonum
cucurbitæ
intybi ſatiui vtriuſq;
cucumeris } ſing.ʒ.ı.S.
Polypodii
Senæ } ſing.ʒ.vi.
Corticum myrobalanorum flauorũ
cæruleorum } ſing ℥.S.
Agarici ſelecti ʒ.iii.
Rhabarbari optimi.ʒ ı.S.
Spicæ
Zingiberis } ſingulorum.ʒ.S.

Coquantur in aqua iuſtæ quantitatis donec dimidium abſumatur, & decocta noctu ſimul perſtent, poſtea colo transfundatur, adiectoq; ſaccha-

ri conuenienti quantitate ius decocti dulce reddatur, & cum oui albo ab omni spurcitia mundetur, in eoq; diluantur mannæ selectissimę ℥.ii. atq; condiatur cum rosis, santalis, & xyloaloë, de singulis accipiendo ℈.i. & fiat potio.
De ea quotidie ieiuno ℥.iiii. exhibeantur.

De pulueribus. Cap. XVI.

Puluerum compositio.

MEdicamentis in puluerem redactis, quæ Græcis ξηρία nominantur, varie hodie vtuntur. Primū enim medicamenta ex antidotorum speciebus, odoratisq; aliis rebus & medicamentis simplicibus in puluerem redactis, saccharo adiecto componunt, quæ ab iis trageæ roborantes, voce haud dubie corrupta ac deprauata, vocantur. Puto autem à græco vocabulo τραγήματα deflexam esse hāc vocem: sic enim illi bellaria & secundas mensas appellant in quorum sanè numero etiam ea de quibus nunc agimus medicamenta sunt. Solent enim & illa à nonnullis in secundis mensis apponi. Et quidem Germani nostri ad hoc nomen nonnihil alludentes, trizenet sua lingua nominant. Latini trituras etiam appellare licebit.

Trageæ roborantes. τραγήματα.

Trituræ.

Nunc vt studiosi componendi rationē teneant, aliquot formulas subiiciemus, quæ recipiunt
Speciarum diambar ℈.i.
aromatici rosacei } singul. ℈.ii.
diagalangæ }
diamoschi dulcis } sing. ʒ.S.
diacinnamomi }
Cinnamomi selecti ʒ.ii.
Maceris }
Nucis moscatæ } sing. ʒ.i.S.
Garyophyllorū }

Piperis longi
Radicis odorati calami } sing. ℥. i.
Pæoniæ ℥. S.
Sacchari candidissimi ℥. vi.
Misceantur singula, fiatq; tritura.

II.

Specierum diarhodon Abbatis
diatrionsantalon } sing. ℥. i. S.
Seminum intybi satiui vtriusq; sing. ℥. i.
melonum
citrulli
cucurbitæ } sing ℥. i. S.
Rosarum rubearum ℥. S.
Santalorum omnium, singulorum ℈. i.
Sacchari ℥. v. & fiat tragema.

Exhibentur drachmæ vnius aut duarũ pondere cũ pane tosto & in vino optimo macerato. Cæterum fiunt etiã pulueres seu trituræ purgãtes ex simplicib. medicamentis purgãtibus, vel specieb. compositorum additis semper iis quæ vehementiã eorundem remittunt & facchato. Singulorum vero simplicium medicamentorum purgantiũ põdera ex lib. I. petenda sunt. Nos formulis aliquot quæ diximus perspicua reddemus.

Pondus assumptionis.

Trituræ purgãtes vt cõponendæ.

I.

Rhabarbari selecti. ℥. ii.
Spicæ
Masiches } singulorum gr. vi.
Sacchari ℈. ii.
Misceantur singula fiatq; puluis purgatorius.

II

Turpeti optimi & candidi. ℥. i.
Zingiberis
Cinnamomi } singulorum ℈. S.

Sacchari ʒ.i.

Tritis omnibus & cõmixtis fiat tragema purgãs.

II I.

Specierum diaphenicon
antidoti è psyllio } sing. ʒ. S.
Sacchari.

Commisceantur singula fiatq; tritura.

Tempus exhibitionis.

Dantur in vino, iusculo, aut alio liquore conueniente, idq; ieiunis, & diluculo appetente.

De Pastillis. Cap. XVII.

Pastilli. τροχίσκοι.

Pastillorum vsus.

PAstilli Græcis τροχίσκοι, hoc est, rotulæ a figura vocantur. Neq; enim τροχίσκος seu pastillus aliud est nisi medicamentum planum in rotæ aut circuli formam coactum. Pastilli vero qui in officinis parati habentur, cum postulat vsus, triti ex aqua, aut vino, aut alio quouis liquore, vt cõgruere videtur, præstantur ebibendi. Nonnunquam antidotis, succis medicatis saccharis, catapotiis, clysteribus, vnguentis, aliisq; eius farinæ commiscentur. Porro vtiles sunt pastilli qui ab inferioribus partibus iniiciuntur, ad eos potissimum affectus qui infra vmbilicum infestant. Nã superius vis illorum peruenire non potest. Pastillorum vero qui citra aliorum medicamentorum commistionem sumuntur pondus, haud excedat drachmam vnam, vel ʒ. i. S. Et ii sanè quorum compositionem opium ingreditur, pondere ℈. i. aut ʒ. S. dantur. Nunc singulorum quæ diximus formulas studiosorum oculis subiiciemus, prætermissis nonnullis, ea scilicet quæ pastillorum cum antidotis, succis medicatis, & saccharis commistionẽ docet, quæ ex cap. 13. huius libri petẽda erit: atq; ea quæ horum in clysteribus mistionem ostendit, & ea quæ cum vnguentis commistionẽ exhibet,

Pondus.

quæ suis habentur locis. Aliæ sunt eiusmodi, quæ accipiunt

I.

Catapotiorum fœtidorum
è benedicta laxantiua } sing. ʒ. S.
Pastilli è myrrha ℈. i.
Cum liquore stillatitio artemisię quod satis est formentur catapotia numero xiii,

II.

Pastillorum è spodio
è succino } sing. ʒ. ii.
Radicis symphyti maiori.
Boli armenicæ
Balaustiorum } singulorum. ʒ. i.
Tusis & cribratis singulis commisceantur, fiatq; puluis.

Nunc ordine, vt in aliis medicamentis feci/mus, & nomina & vires pastillorum commemorabimus.

PASTILLVS EX EVPATORIO.

Iecur & ventriculum adiuuat, inflationes discutit, obstructiones tollit, & horrores febrium, quas pituita creauit, demulcet. Compositione hactenus Mesues vsi sunt medici. Ego Actuarii vtendum esse deinceps censeo, quod melior esse videatur.

PASTILLVS EX RHEOBARbaro.

Aduersus iecinoris & lienis obstructiões aquã inter cutem & malum corporis habitum prodest. Compositio est apud Mesuen. Poterit ea in vsum reuocari quæ ab Actuario tradita est.

PASTILLVS EX ABSINTHIO.

Ventriculum roborat, iecinoris tollit obstructiones, & lienis, appetentiam excitat, diuturnis febribus succurrit. Compositio à Mesue petenda.

PASTILLVS E MYRRHA.

Menses potenter euocat, adeo vt si qua eo frequenter vtatur, fœtum etiam excutiat. Compositionem Rhazes tradit.

PATILLVS E GALLIA moschata.

Ventriculum cor, & iecur firmat. Vomitum & alui profluuium sistit. Compositionis eius Mesue est autor.

PASTILLVS E SPODIO.

Contra febrim acutam & biliosam, iecinorisq́; excalfactionem, atque aduersus sitim quæ continenter excruciat, & alui profluuium ac dysenteriam valet. Autor eius compositionis est Mesue. Actuarius vero illius qui sine semine oxalidis cōponitur.

PASTILLVS EX Oxyacantha.

Pastillus e berberis.

E berberis hodie vocant Aduersus febres ardentes prodest: sitim extinguit, & eam quidē maximam. Compositionem require à Mesue. Actuarius paulo diuersam habet.

PASTILLVS E VESICARIA.

Pastillus ex alchechengi.

Seu halicacabo. Nostris alchechengi dicitur. Aduersus renum & vesicæ exulceratione pollet, mictum q. sanguinis. Mucosa excernentib. strigmēta, & vehementi conflictatis dolore auxiliatur. Compositionem docet Mesue. Actuarii ab ea non nihil variat.

PASTILLVS E SVCCINO.

Pastillus e charabe.

E charabe hodie nominant. Auxiliatur sanguinem expuentibus, tabidis & purulenta excreantibus, cœliacis, dysentericis: & sanguinem vndecūq; emanantem supprimit. Eius compositio est apud Actuarium, verum ab ea quam Mesue tradit non nihil variat.

PASTILLVS E LEMNIO sigillo.

Seu, terra lemnia. Nostrè terra sigillata vocāt. Cruenta expuentibus & omni sanguinis profluuio succurrit, veluti is qui hunc præcedit. Compositionis autor est Mesue. Pastillus e terra sigillata.

PASTILLVS E VIOLIS.

Excalfactiones mitigat, aluumq; emollit. Compositio est apud Nicolaum.

PASTILLVS E CAPHVRA.

Febrib. ardentibus, feruoribusq; flauæ bilis, vētriculi & iecinoris excalfactionibus, atq; adeo hectica molestatis febre auxiliatur.

De catapotiis. Cap. XVIII.

Κατaπότια Græcis medicamentum est quod deglutiendo sumitur. Latinis à paruæ pilæ similitudine pilula dicitur. Porro catapotia ad fallendam medicamenti insuauitatem, & quo iniucunditatis copia magna ex parte deuorantes lateat: simul ne ventriculus adscititiis grauetur humoribus, vernaculis intuendum alioqui satis oneratus, à medicis excogitata sunt. Quod vero ad eorundem vsum attinet, sciendum aliqua iis esse quæ in hoc potissimum dantur vt caput expurgent. Hæc quod ad quantitatem pertinet, cæteris maiora sunt, quo scilicet diutius ventriculo immorata vehementius ad se noxios humores trahant. Quædam minima forma parantur, vt sunt quæ alephangina & pestilentialia vocantur, vt nimirum celeriter in ventriculo dissoluantur permutenturq;. Hæc quidem plus confortant vētriculū, minus autem purgant. Nonnulla mediocri quantitate formantur. Quæ autem ex iam dictis maiuscula forma parantur, hæc vesperi tribus horis à cœna assumuntur. Minora totidem ante cœnā ho

κατaπότια. Pilula. Catapotia quare excogitata. Catapotiorum vsus. Capitalia. Minima. Mediocria quātitate. Tempus assumptionis.

ris. Mediocria appetente diluculo, & summo ma-ne exhibentur. Sic vsus hodie obtinuit. Sed præstat omnia ea quæ aluum deiiciunt, appetente diluculo assumere, vt Paulus etiā libro septimo cap. 4 docet. Cæterū raro hodie fit vt vnius generis catapotiis vtantur, verum varia, potissimum autē tria, inter se commiscent, atq; quod vehementiam illorum augere queat, vt est diacrydium, agaricū in pastilli formam digestum, & eius generis alia, adiiciunt, ac cum stillatitio aliquo liquore aut serapio in catapotiorum formam cogunt. Interdum catapotiis simplicia quædam medicamenta purgantia, adiectis iis quæ vehementiam eorundem corrigunt, adduntur. Magna etiam ex parte in cinnamomo redacto in puluerem volutantur catapotia, aut auro obducuntur, vt scilicet minori molestia assumi queant. Modus tamen exhibitionis raro drachmam vnam excedat. Nos vt studiosi quę diximus rectius assequi possint, formulas aliquot subiiciemus, quæ accipiunt

Vsus.

Pondus.

I.

Pilularum alephāginarum, aggregatiuarum, de hiera simplici — singulorum ℈.i.

Aloës optimæ ℈.S.

Cum stillatitio liquore fœniculi formentur catapotia xiii.

II.

Catapotiorum ex agarico, stomachicorum — sing. ℈.S.

Agarici in pastillos digesti ℈.S.

Diacrydii. gr. ii.

Cum stillatitio liquore ex hyssopo formentur pilulæ numero ix.

Pilularum

III.

Pilularum azaiaret ʒ.ii.
Alephanginorum ʒ.i.
Agarici in pastillos redacti ℈.ii.
Myrobalanorum cepulorum ℈.i.
Mastiches ℈.S.
Turpeti selecti ℈.i.
Zingiberis ℈.S.
Cranorum pæoniæ numero.iii.
Stichadis ℈.S.
Castorii gr.ii.
Cum serapio è stichade formentur catapotia ex vna drachma.vii.& obducantur auro.

Nunc catapotiorum quæ hoc tempore vsitata sunt,nomina & vires ordine commemorabimus.

CATAPOTIA AVREA.

Caput expurgant, aciem oculorum exacuunt, flatus ventriculi & intestinorum dissoluunt, ac citra molestiam aluum deiiciunt. Compositio petenda à Nicolao.

CATAPOTIA EX EVPATORIO.

Mirifice prosunt in febribus intermittentibus biliosis,morbo regio,iecinorisq; obstructionibus. Autor compositionis Mesue.

CATAPOTIA E RHABARBARO.

In febribus diuturnis, iecinoris obstructionib. & aquæ inter cutem initiis conferunt.Mesue compotionis est autor.

CATAPOT. E CYNOGLOSSA.

Alii vocant pilulas ad omnes morbos. Magnā vim obtinent in tenuibus sistendis destillationibus,ac doloribus mitigandis. Vsum istorum catapotiorum in libris de medendi ratione indicauimus, Compositio est apud Nicolaum. Pilulæ ad oēs morbos.

CATAPOTIA COCHIA.

Cephalica. Cephalica puto rectius appellari, quod scilicet caput magna efficacia expurgent, ex eoq́, ac neruis humores crassos euacuent. Horum autor est Razes.

CATAPOTIA EX AGARICO.

Auxiliantur asthmaticis, & aliis thoracis vitiis à crassis & pituitosis humoribus natis. Compositio est apud Mesuen.

CATAPOTIA E HIERA composita.

Opem ferunt vitiis capitis, neruorumq́; ab humoribus pituitosis procreatis.

CATAPOTIA LVCIS MAIORA.

Excrementa capitis pituitosa educunt, visumq́; roborant. Compositionem habet Mesue.

CATAPOTIA LVCIS MINORA.

Idem quod priora possunt, atram tamen bilem magis vacuãt. Cõpositionis idẽ Mesue autor est.

CATAPOTIA ARTHRITICA.

Valent ad podagram, aliosq́; articulorum dolores. Compositio est apud Nicolaum.

CATAPOTIA è Hermodactylo.

Aduersus podagram & arthritin prosunt. Mesue compositionis est autor.

CATAPOTIA FOETIDA maiora.

Humores crassos & pituitosos per aluum deiiciunt. Conferunt doloribus articulorũ podagræ, & neruorum. Colicis item cruciatibus, & vteri succurrunt. Compositionem docet Mesue.

CATAPOTIA EX EVPHORBIO.

Ad emittendam hydropicorum flauam aquã & materiam tumoris discutiendam valent. Opem quoq; adferunt lumborum doloribus, & podagrę humida causa concitatæ. Compositionis vsitatæ

Mesue est autor: puto autem eam quæ ab Actuario recensetur in vsum esse reuocandam.

CATAPOTIA INDA.

Ad vitia ex atra bile procreata, cancrũ nimirũ, elephantiam, melancholiã, & ad omnia ferè cutis vitia prosunt. Cõpositio illorum est apud Mesuẽ.

CATAPOTIA AZAIARET.

Bilem flauam & pituitam vacuant. Compositionis autor est Auicenna.

CATAPOTIA ALEPHANGINA.

Valent ad ventriculi dolorem à pituita excitatum, humores enim crassos ac putridos educunt. ventriculoq; robur adiiciũt. Compositio est apud Mesuen.

CATAPOTIA STOMACHICA.

Biliosos & pituitosos vacuant humores, eos potissimum qui caput & ventriculum obsident. Mesue compositionis est autor.

CATAPOTIA AGGREGATIVA.

Valent ad diuturnas febres, & vitia capitis, ventriculi, & iecinoris. Humores item biliosos & pituitosos educunt. Compositionem habet Mesue.

CATAPOTIA E HIERA simplici.

Aduersus vitia ventriculi ex humoribus biliosis & pituitosis nata prosunt. Autor compositionis Galenus.

CATAPOTIA E FVMARIA.

Educunt è corpore humores biliosos, acres, & salsos, ideoq; aduersus omnia cutis vitia valent. Compositio est apud Auicennam.

CATAPOTIA SINE quibus esse nolo.

Mirificè ad oculorum claritatem conducunt, atq; adeo suffusionibus auxiliantur, auriumq; doloribus atq; tinnitui. Ileosis quoq; nõ sine magna

vtilitate dantur. Compositionem docet Nicolaus.

CATAPOT. E BENEDICTA.

E corpore eiiciunt humores biliosos ac pituitosos, obstructiones quæ sunt in instrumentis nutritioni seruientibus tollunt. Auxiliantur etiam iis qui lapide renum & vesicæ molestantur. Compositionem tradit Nicolaus.

CATAPOTIA ARABICA.

Valent ad capitis dolorem, vertiginem, hemicraniamq́; Lætitiam generant, mentisq́; vigorem conseruant, visum acuunt, auditumq́; amissum reparant, ac stomachum à vitiosis humoribus purgant. Nicolaus compositionis autor.

CATAPOTIA COMMVNIA.

Pestilentiales pilulæ. Alio nomine pestilentialia vocant, & Rufi, inuentoris nomine. Mirifice aduersus pestifere luis contagia populatim grassantia pollent. Humores etiam ventriculo immersos educunt. Alia tamen est compositio Rufi, ab ea qua hodie sub hoc nomine vtuntur: siquidem Rufi crocum non habet, sed pro eo guttam ammoniacam. Forma præterea differunt, cum Rufi potio fuerit, hæc vero in catapotia digesta, vt ex Pauli libro secundo cap. 31. satis constat.

Rufi compositio qualis.

CATAPOTIA BECHICA.

Aduersus tussim veterem pollent, & gutturis ac faucium asperitatem.

De glandibus. Cap. XIX.

Glans. QVod Græci βάλανον, Latini glandem, hoc barbari huius temporis medici, hauddubie à subiiciendo aut supponendo, suppositorium vocant. Porro non raro necessitas ipsa exiguit vt glandes subiiciamus, nempe cum ægri ob imbecillitatem clysteris iniectionem non tole-

Suppositoriū.

rant, & quando ab aridis excrementis rectum intestinum obstruitur. Interdum quod iniectio clysterum non sit necessaria. Harum autem vsus potissimum probatur in ardentibus febribus, & in soporiferis capitis morbis. Item ad educenda quæ per clysterem iniecta non redduntur. Proinde animaduertendum triplices genere esse glandes. Quædam enim leues, atque adeo multis in quotidiano ferè vsu familiares, quales sunt quæ ex betæ radice melle perunctæ, suillo adipe sale conspersо, ficu inuersa, & butyro adiecto sale, & id genus aliis parantur. Quædam vero mediocres, vt sunt quæ è vitello oui, croco, additis melle & sale, componuntur. Item quæ è sale & melle duntaxat construuntur. Nonnullæ sunt vehementiores, quales sunt quæ scammonium, colocynthida, euphorbium, iisq; similia accipiunt. Cæterum cum omnis ferè generis glandibus mel accedat, sciendum erit illuc sic esse commiscendum, vt pondere suo speciebus respondeat. Quare danda opera vt drachmæ vni specierum, & salis, vncia vna mellis addatur. Neq; dum cōponuntur glandes, sunt admouendæ species, nisi postquam mel satis cōcretum fuerit, quod aliàs vis illarum ignis vehementia dissipetur. Species autē quas glandium cōpositiones accipiunt, aut aluum deiiciendi, aut flatus discutiendi, aut stupefaciendi facultatem obtinēt: quod formulæ abunde docebunt, quæ accipiunt

Differentia glandium.

Mellis ad species & salem proportio.

I.

Mellis cocti & concreti ℥.ii.
Puluerum euphorbii ℈.S.
colocynthidos gr.iiii.
ellebori albi gr.ii.
salis vulgaris.

Misceantur singula, & digerantur in glandes.

II.

Mellis ℥. I.
Specierum hieræ picræ. ℥. I.
Salis gemmæ ʒ. S.

Decoquatur mel donec crassitudinem iustam accipiat, dein addantur species & sal, formenturq́; glandes.

III.

Seminum anisi, cumini, fœniculi, sing. ℈. I.
Seminis carei ℈. ii.
Colocynthidos ℈. I. Salis vulgalis ʒ. I.

Tundantur singula, cribroq́; secernantur, & cum mellis concreti ℥. I. S. coëant, digeranturq́; in glandes.

IIII.

Opii ℈. I.
Croci, Castorei, singulorum ℈. S.

Tusa & cribrata cum melle cocto, aut cera, & oleo nympheæ in vnum coëant, formenturq́; glandes quibus filum appensum est.

Dum glandes subiiciuntur, prius oleo, butyro aut alia pinguitudine illitas esse oportet: sic enim minori molestia induntur.

De clysteribus. Cap. XX.

κλυστὴρ. ἔνεμα.

Κλυστὴρ Latinis idem est quod lauamen seu ablutio, à verbo κλύζειν, quod abluere & lauare significat. Alio nomine græcis ἔνεμα dicitur, quæ vox Latinis iniectionem sonat, ab ἐνίημι, quod iisdem initio significat. Medici huius temporis cly-

steris & enematis græcis vocibus, potius quàm Latinis vtuntur. Quanquam autem varia sunt enematum genera, tamen quatuor potissimum rebus ad eorundem compositionem opus erit. Primum liquore aut iusculo aliquo, carnium, verbi gratia, pisorum, cicerum, pulli gallinacei, capi, aut decocti, quod subinde iuxta morbi diuersitatem variari solet. Nunc enim ex iis quæ abstergendi, aut obstructiones tollendi, aut astringendi, aut glutinandi facultatem obtinent paratur. Dein ad clysteris cõpositionem medicamenta purgantia nõ raro requiruntur, quæ si ad ea quæ deuorantur cõferas, duplo planè pondere adhibentur. Tertio autem olea & pinguitudines, quæ itidem pro morbi diuersitate variãtur. Quarto salis genera, quæ ĩ hoc potissimum adiiciuntur, vt facultatem excretoriã excitent, ne scilicet quæ iniecta sunt diutius q̃ par sit in ventre morata, pentius retineantur, id quod ægrotantib. non raro noxæ non cõtemnendæ occasionem præbet. Præter ea tamen quæ nunc cõmemorauimus, interdum mel, maxime quod colo transfusum fuerit, aut saccharum, aut vitelli ouorum, aut butyrum aliaq; huius generis prout morbus exigit, adiiciuntur. Singulorum tamen quæ recensuimus certum aliquod pondus sit necesse est. Nempe iuris decocti libra vna aut pro corporis constitutione plus minus'ue. Medicamentorũ tale, quale paulo ante dictum est. Oleorum ℥. iii. Pinguitudinum, mellis, butyri, sacchari ℥. i. aut semuncia. Vitelli ouorum magna ex parte duo aut tres: salis vero ʒ i. S. plus minus'ue, prout res postulat, adhiberi solent. Ex iam commemoratis nũc leues, nunc vero vehementiores clysteres cosficiuntur. Leuibus vtimur in febribus, & debilibus

Quæ clysteriũ componendi ratio.

Pondera eorũ quæ clysteres componunt.

Clysterũ vsus.

qui ex longo morbo reualescunt, item in intestinorum mordicationibus, & torminibus, & extremo senio confectis, in quibus stercus induruit. Vehementioribus autem & acribus in coxendicum doloribus, lethargicis, attonitis, & id genus aliis frigidis morbis, atque in iis qui exitiale venenum sumpserunt, quemadmodum fusius docet Aëtius lib. 3. cap. 168. Hæc vero & alia quoque quæ à nobis antea sunt dicta, ex formulis sequentibus patebunt, quæ accipiunt

I.

Iusculi capi libr. 1.
Mellis colo transfusi ℥. 1.
Vitellos oui quatuor.
Olei ex oliuis expressi ℥. iii.
Cõmisceantur singula, fiatq; clyster.

II.

Maluæ
Altheę
Atriplicis — singulorum M. 1.
Mercurialis
Acanthi
Seminis lini
fœnigræci — sing. ℥. ii.
Coquantur ad tertias, & colo diffundantur, accipiaturq;
Iuris decocti libr. 1.
Medullæ casiæ fistularis ℥. 1.
Hieræ picræ ℥. S.
Mellis rosacei colo transfusi ℥. iii. S.
Olei ex oliuis expressi ℥. iii.
Salis vulgaris ʒ. 1. S.
Commistis omnibus fiat enema.

III.

Plantaginis
Equiseti
Polygoni
Ophioglossi } singulorum M. I.
Alceæ
Consolidæ mediæ
Bellis minoris
Saniculæ } singulorum M. I. S.
Rosarum rub. M. I.
Oryzæ tostæ. ℥. I.
Gallarum
Rhois obsoniorum } singul. ℥. I. S.
Balaustiorum. ℥. S.
Acaciæ
Hypoisticidis } singulorum. ℥. I.
Radicis symphyti maioris. ℥. I.
Coquantur ad tertias, & colo transfundantur, accipianturq;
Iuris decocti. ℥. xiiii.
Succi plantaginis. ℥. S.
Pastillorum è spodio
è terra lemnia } singulorum. ℥. I.
Boli armenicæ
Sanguinis draconis
Aloës elotę } singulorum. ℈. ii.
Seui caprini. ℥. I.
Oleorum myrtini
rosacei
coroneorum } singulorum. ℥. I.
Commistis omnibus fiat clyster.

IIII.

Iuris hordei decocti, lib. I.
Mellis rosacei. ℥. I.
Sacchari rubei. ℥. vi.

Vitellorum ouorum numero.ii.
Olei irini. ℥.iii.
Commiſtis omnibus fiat enema.

V.

Betonicæ
Saluiæ
Maioranæ
S erpylli } ſingulorum M.I.
Calaminthæ
Hyſſopi
Rutæ
Centauri minoris } ſingulorum M.S.
Stichadis
Radicum polypodii.℥.S.
Agarici optimi.ʒ.iii.
Medullę colocynthidos ʒ.I.
Coquantur ad tertias.
Iuris decocti ℥.xv.
Hieræ picræ } ſingulorum ℥.S.
Benedictæ laxa
Antidoti indi } ſingulorum ʒ.ii.S.
diaphœnicon
Mellis roſacei colo transfuſi ℥.I.
Oleorum laurini } ſingulorum ℥.I.S.
rutacei
Salis foſſilis ſaxei ʒ.I.S.
Commiſtis omnibus fiat clyſter.

Alias plures formulas petent ſtudioſi è libri noſtris de medendi ratione inſcriptis.

Tēpus Iniicien di clyſteres. Detinendi.

Iniiciendi clyſteres tempus nullum eſt certum aut cōſtitutum modo duabus aut tribus horis aut longius à cibo ſumpto adhibeantur. Detinēdi etiā tempus non vnum idemq́, eſt, ſed pro eorundem diuerſitate variatur, Quibus enim abluendi & ex-

tergendi vis inest, hi supra horæ dimidium in corpore haud retineantur. Dolores mitigantes lõgiori tempore detineri debent. Omnium longissimo, quibus glutinandi est facultas. Quibus purgãdi vis inest, sua sponte erumpere solent. Quod si tamen diutius in corpore cunctantur, glandem supponere conuenit, vt scilicet facultas excretoria excitata, noxia tandem expellat.

De collyriis. Cap. XXI.

Collyria latinis medicamenta vocantur, quæ oculis admouentur. Græci κολλύρια nominant. Hæc vero duum generũ sunt: quædã enim liquida sunt, & hæc priuatim hodie ab iis qui medicinam factitant collyria nominantur; quædam vero arida, & hæc barbara voce iidem sieff vocãt. Græci hæc quidẽ ξηροκολλύρια illa vero ὑγροκολλούρια nominãt. Arida collyria pyramidis ferè formã accipiũt, licet raro in officinis parata reperiant. Horũ q̃dẽ oĩum materia ex qua cõponũtur varia est. Nã succi, liquores, semina, fructus, plantarũ partes, & metallica iis inseruntur, quæ pro affectuum magnitudine variantur. Vtimur enim iis in oculorũ diuersis morbis, vlceribus, vulneribus, fistulis, suffusionibus, & id genus aliis. Hinc est quod interdum iis adiiciamus ea quibus extergẽdi vis inest, nunc quibus acris: iam vero adstringentia, aliquãdo etiam discutientia commiscent, quorum copiã suppeditabit Galenus lib. 4. de compos. med. secũdum locos cap. 4. & Paulus Aegineta lib. 7. cap. 16. Cæterum collyria quibus reprimendi aut sedandi dolorẽ vis inest, in liquore aliquo stillatitio conueniẽti diluuntur, atq; adeo oculis instillãtur, aut linamẽti specie admouentur. Quæ vero vrẽdi facultatem obtinent, hæc vnguentis, pinguedini-

Collyria.

Sieff.

Arida collyria quæ formã parantur.

Materia collyriorum.

Vsus.

bus, oleisq; commixta adhibentur. Si qua collyria arida in officinis ad vsum retinentur, hæc trita, ac in cote leuigata, inq; tenuissimum pollinē coacta, aliquo stillatitio liquore dissoluta instillantur. Vltra vero vnam aut alteram guttam vix instillandum. Formulis res vniuersa clarior euadet, quæ accipiunt

I.

Collyrii aridi albi in cote leuigati. ʒ iii.
Stillatitii liquoris rosacei, plantaginis, sing. ℥. i.
Commixtis omnibus fiat collyrium.

II.

Liquoris stillatitii rosacei, plantaginis } singulorum. ℥. i. S.
Collyrii è glaucio. ʒ. i.
è rosis. ʒ. S.
Cerussæ elotæ, Boli armeniacæ } sing. ℈. i.
Opii gr. iii.
Croci gr. ii.
Commistis omnibus fiat collyrium liquidum.

III.

Cerussæ decies i liquore stillatitio rosarū elotę. ʒ. i
Sarcocollæ. ℈. ii.
Amyli, Tragacanthæ } sin g. i.
Opii gr. iiii.
Omnia leuigata & succo fœnigræci excepta, in collyria digerantur arida.

IIII.

Collyrii è glaucio. ʒ. vi.
Aloës, Acaciæ } sing. ʒ. i.
Licii, Boli armeniacæ } sing. ℈. i.

Gummi. ʒ. i. S.

Tritis omnibus ac cotoneorum succo commixtis informentur collyria.

V.

Liquoris stillatitiis rosarum
foeniculi
chelidonii maioris
euphragiæ
} singulorum. ℥. ii.

Vini optimi. ℥. i. S.

Aloës. ʒ. i.

Pompholygis lotæ. ʒ. S.

Sacchari. ℥. S.

Commistis omnibus fiat collyrium liquidum.

VI.

Collyrii viridis. ʒ. ii.

Auripigmenti
Mercurii vt vocant, sublimati } sing. gr. iii.

Vnguenti Aegyptiaci. ℥. S.
dialthææ. ℥. i.

Commistis omnibus fiat vnguentum.

Porro cum nonnullorum collyriorum aridorum à Rhaze compositorum in præscriptis formulis mentio facta sit, animaduertendum quod collyriorum rosacei & è glaucio tum potissimum vsus esse debet, quum adstringendi aut reprimendi necessitas vrget. Albi vero & rubri, quum glutinandi. Viridis vero, quum erodendi. — Collyriorū cōpositorū vsus.

De gargarizatu. Cap. XXII.

Gargarizatus variis componuntur modis. Nunc enim ex stillatitiis plantarum liquoribus, nunc vero ex iure decoctorum. His autem pro affectus diuersitate, diamoron, succi medicati è ribes, & oxyacantha, diacaryon, mel rosaceum, serapia, hiera picra, & id genus alia commiscētur. — Gargarizatus compositio.

Priora quatuor cum reprimendi indicatio adest admiscemus. Mel rosaceum, quum extergendi aût discutiendi: hieram picram, quũ è capite aliquid elicere conamur. Cæterum nullum in componendo gargarizatu certum & præscriptum pondus obseruatur. Sunt tamen qui superstitiose contendant, liquorum triplum pondus simplo antidotorum, succorum medicatorum, & serapiorum debere respondere. Verbi gratia, si serapiorum & antidotorum, succorumq́; medicatorum. ℥. ii. sint, liquorum esse debent. ℥. vi. Sed formulis res clarior erit, quæ accipiunt

Pondus.

I.

Liquoris stillatitii plantaginis, rosarum } singulorũ. ℥. i. S.
oxalidis, lactucæ, fragariæ } singulorum. ℥. i. S.
solani. ℥. i.
nymphææ. ℥. S.
prunellę. ℥. i.
Diamoron. ℥. i.
Succi medicati è ribes, ex oxyacantha, Serapii è papauere } singulorum. ℥. S.
Succi fragorum. ℥. iii.
Aceti optimi. ℥. S.

Commistis omnibus informetur gargarizatus.

II.

Plantaginis, Prunellæ, Fragariæ, Oxalidis, Polygoni, Saluię } singulorum M. i.

Rosarum rubearum M. S.
Gallarum }
Calyculorum glandiũ } singulorum. ℥. 1.
Rhois obsoniorum }
Balaustiorum } sing. ʒ. 1.
Radicis symphyti maioris. ℥. S.
Coquantur in aqua fontana iustæ quantitatis ad tertias, dein colo transfundantur, & iuri decocti adiiciantur,
Diacaryon }
Diamoron }
Serapii myrtini } singulorum. ℥. 1. S.
Aluminis liquidi. ʒ. 1.
Bulliant denuo, fiatq; gargarizatus.

III.

Maioranæ }
Origani }
Saluiæ }
Betonicæ } singul. M. 1.
Carpesiorum }
Piperis longi } sing. ʒ. 1.
Pyrethri }
Zingiberis } singulorum. ʒ. S.
Coquantur in libra vna aquæ tantisper dum tertia pars absumatur, colo transfundantur, & iuri decocti addantur
Mellis rosacei colo transfusi. ℥. 1. S.
Oxymelitis scyllitici. ℥. 1.
Commixtis omnibus fingatur gargarizatus.
Hieræ picræ. ℥. S. IIII.
Oxymelitis scyllitici. ℥. ii.
Liquoris stillatitii hyssopi }
betonicæ }
origani } singulorum ℥. 1. S.

Commiſceantur formeturq́; gargarizatus.

Vſus gargarizatus. In vſu gargarizatuum obſeruandum vt tepida quadam caliditate præditi ori admoueantur, id quod tamen in iis qui in deſtillatione capitis ex tenuibus & acribus humoribus excit ata adhiben/tur, haud fieri debet: nam in illa, quo ſcilicet citius ſiſtatur, frigidís etiam vti licet.

De dentifriciis. Cap. XXIII.

Dentifricia. ὀδοντοτρίμματα. Vſus. DEntifricia, quæ Græcis ὀδοντοτρίμματα dicuntur ad diuerſos vſus varia compo/nuntur. Vſus vero horum maxime in expoliendis extergendis'ue, & ſtabiliendis dentibus: etſi inter dum frigefactis, & dolẽtibus dentibus, gingiuisq́; laxis, item ad parulidas, omniaq́; oris vitia paren/tur, vt liquet ex iis quæ traduntur à Galeno lib. 5. de compoſ med. ſecundum locos cap. vltimo. Por

Compoſitionis dentifriciorum forma. ro triplici ferè forma hodie componuntur denti/fricia. Aut enim in tenuiſſimum puluillum redacta dentibus affricantur, aut adiectis liquoribus ali/quot, cum iis dentes abluuntur: aut in linimenti formam digeſta, dentibus circumlinuntur. Nos formulis aliquot quę diximus explicabimus, quæ accipiunt

I.

Nitri } ſing. ʒ. I.
Aluminis }
Myrrhæ, ℈. ii.
Radicis iridis illyricæ }
Cornu ceruini vſti } ſingulorum. ʒ. I. S.
Thuris }
Salis vulgarís toſti. ʒ. I.
Piperis } ſing. ℈. I.
Pyrethri }
Piſtolochiæ } ſing. ʒ. S.
Menthæ ſiccæ }

Teſtarum

Testarum sepiæ }
Pumicis } sing. ℈.ii.
Tusis & cribratis singulis fiat dentifricium.

II.

Liquoris stillatitii menthæ }
origani }
saluiæ } sing. ℥.iii.S.
abrotoni }
hyssopi }
apii }
Aluminis sciss. assati & vino austero extincti ʒ.ii.
Nitri ʒ.i.S.
Salis assi ʒ.ii.
Commixta sex horis simul perstent, & subinde igni admota per vasculum quod alembicum vocant stillent, liquorq́; ad vsum seruetur.

III.

Gallarum }
Putaminum mali punici dulcis } sing. ʒ.i.
Rosarum purpurearum ʒ.i.S.
Aluminis scissi ℈.ii.
Sanguinis draconis ʒ.i.
Thuris ʒ.i.S.
Balaustiorum }
Myrrhæ } sing. ℈.i.
Trita & cribrata excipiantur oxymelite scylliti co, & vsu exigente illinantur.

De pessis. Cap. XXIIII.

Πεσσοὶ Paulo & Aëtio testibus est lana concer pta, & ad digiti formam rotunda, in qua medicamenta excipiuntur, ac genitalibus mulierum partibus induntur. Latini id genus medicamenti pessum vocant. Qui vero hodie factitãt medicinã barbari medici pessariũ. Licet nonnulli hac voce, πεσσοί. Pessus. Pessarium.

non sine magna rerum confusione pro vteri cly-steribus abutantur, qui à pessis distant, peculia-rique nomine Græcis μετρεγχύτα apdellantur. Na-scalia vero nominant barbarissimo ac ineptissimo vocabulo, quos Græci & Latini pessos. Cæterum generales pessorum differentiæ tres existunt: alii siquidem emolliunt, alii adstringunt, alii ape-riunt. Emollientes vteri inflammationibus, exul-cerationibus, refrigerationibus, suffocationibus, auersionibus, & inflationibus accommodantur. Fiunt ex cera, oleis, pinguedinibus anseris aut gallinæ, butyro salis experte, resina, medulla ceruina, fœnogræco, & similibus. Aperienti-bus vtimur, quum suppressos menses euocare, aut vterum conniuentem aut compressam emen-dare conamur. Parantur hi ex melle, artemisia, dictamno, brassica, glycyrhiza, succo rutæ, por-ro, scammonia, & id genus aliis. Adstringentes contrarium aperientibus vsum præbent, nam flu-xum muliebrem cohibent, & apertum laxumue vterum contrahunt, prolapsumque reprimunt atque propulsant. Materia vero adstringentium supra libro primo comprehensa est. Cæterum quod ad pessorum compositionem etiam attinet, non sem-per lana excepta medicamenta induntur, sed nonnunquam aptis liquoribus, gummique ac re-sinis additis ad formam paulo ante dictam cogun-tur. Interdum etiam medicamenta subacta, bom-byce seu serico, aut linteo tenuissimo obducun-tur, & vtero subiiciuntur. Danda vero opera est vt pessi filum prælongum habeant alligatum, quo facile, quando vsum fuerit, possint extrahi. Re-liquum est vt nunc formulas pessorum & clyste-rium vteri subiiciamus, quæ accipiunt

μετρεγχύτα. Nascalia. Pessorum differentiæ. Emollientes. Aperientes. Adstringentes. Pessorum compositio.

I.

Butyri salis experti ℥.iii.
Medullæ ceruinæ
Adipis anseris
gallinæ } singulorum ℥.i.S.
Mastiches
Meliloti } sing. ℥.i.
Seminis lini
fœnigræci } sing. ℥.i.S.
Ouorum lutea tria.
Oleorum rosacei
irini } sing. ℥.S.
Ceræ quod satis est ad crassitudinem iustam inducendam. Dein lana duplicata in hoc medicamentum intincta vtero subiiciatur.

II.

Artemisiæ
Abrotoni
Dictamni } singulorum ℥.ii.
Radicum acori
rubiæ tinctorum } sing. ℥.i.S.
Nigellæ ℈.i.
Baccarum lauri ℥.S.
Rutæ ℈.ii.
Sabinæ ℈.i.
Castorei ℈.S.
Myrrhæ
Stactis } sing. ℥.i.
Sagapeni ℥.i.S.
Tusis & cribratis iis quæ opus est, mellis quantum satis est vt in coalitum crassiorem & vnitatem coeant, adiiciatur, & vbi opus est fingantur pessi qui in vuluam indantur.

Misceantur singula, & digerantur in glandes.

II.

Mellis ℥. I.
Specierum hieræ picræ. ʒ. I.
Salis gemmæ ʒ S.
Decoquatur mel donec crassitudinem iustam accipiat, dein addantur species & sal, formenturq; glandes.

III.

Seminum anisi, cumini, fœniculi, sing. ℈. I.
Seminis carei ℈. ii.
Colocynthidos ℈. I. Salis vulgalis ʒ. I.
Tundantur singula, cribroq; secernantur, & cum mellis concreti ℥. I. S. coëant, digeranturq; in glandes.

IIII.

Opii ℈. I.
Croci, Castorei, singulorum ℈. S.
Tusa & cribrata cum melle cocto, aut cera, & oleo nymphеæ in vnum coëant, formenturq; glandes quibus filum appensum est.

Dum glandes subiiciuntur, prius oleo, butyro aut alia pinguitudine illitas esse oportet: sic enim minori molestia induntur.

De clysteribus. Cap. XX.

κλυστὴρ. ἔνεμα. Κλυστὴρ Latinis idem est quod lauamen seu ablutio, à verbo κλύζειν, quod abluere & lauare significat. Alio nomine græcis ἔνεμα dicitur, quæ vox Latinis iniectionem sonat, ab ἐνίημι, quod iisdem initio significat. Medici huius temporis cly-

steris & enematis græcis vocibus, potius quàm Latinis vtuntur. Quanquam autem varia sunt enematum genera, tamen quatuor potissimum rebus ad eorundem compositionem opus erit. Primum liquore aut iusculo aliquo, carnium, verbi gratia, pisorum, cicerum, pulli gallinacei, capi, aut decocti, quod subinde iuxta morbi diuersitatem variari solet. Nunc enim ex iis quæ abstergendi, aut obstructiones tollendi, aut astringendi, aut glutinandi facultatem obtinent paratur. Dein ad clysteris cõpositionem medicamenta purgantia nõ raro requiruntur, quæ si ad ea quæ deuorantur cõferas, duplo planè pondere adhibentur. Tertio autem olea & pinguitudines, quæ itidem pro morbi diuersitate variãtur. Quarto salis genera, quæ ĩ hoc potissimum adiiciuntur, vt facultatem excretoriã excitent, ne scilicet quæ iniecta sunt diutius q̃ par sit in ventre morata, penitius retineantur, id quod ægrotantib. non raro noxæ non cõtemnendæ occasionem præbet. Præter ea tamen quæ nunc cõmemorauimus, interdum mel, maxime quod colo transfusum fuerit, aut saccharum, aut vitelli ouorum, aut butyrum aliáq; huius generis prout morbus exigit, adiiciuntur. Singulorum tamen quæ recensuimus certum aliquod pondus sit necesse est. Nempe iuris decocti libra vna aut pro corporis constitutione plus minus'ue. Medicamentorũ tale, quale paulo ante dictum est. Oleorum ℥.iii. Pinguitudinum, mellis, butyri, sacchari ℥.i. aut semuncia. Vitelli ouorum magna ex parte duo aut tres: salis vero ʒ i.S. plus minus'ue, prout res postulat, adhiberi solent. Ex iam commemoratis nũc leues, nunc vero vehementiores clysteres cõficiuntur. Leuibus vtimur in febribus, & debilibus

Quæ clysteriũ componendi ratio.

Pondera eorũ quæ clysteres componunt.

Clysterũ vsus.

qui ex longo morbo reualescunt, item in intestinorum mordicationibus,& torminibus, & extremo senio confectis,in quibus stercus induruit. Vehementioribus autem & acribus in coxendicum doloribus,lethargicis,attonitis,& id genus aliis frigidis morbis, atque in iis qui exitiale venenum sumpserunt, quemadmodum fusius docet Aëtius lib.3. cap.168. Hæc vero & alia quoque quæ à nobis antea sunt dicta,ex formulis sequentibus patebunt,quæ accipiunt

I.

Iusculi capi libr.1.
Mellis colo transfusi ℥.1.
Vitellos oui quatuor.
Olei ex oliuis expressi ℥.iii.
Cōmisceantur singula,fiatq; clyster.

II.

Maluæ
Altheę
Attriplicis } singulorum M.1.
Mercurialis
Acanthi
Seminis lini } sing.ʒ.ii.
fœnigræci
Coquantur ad tertias, & colo diffundantur,accipiaturq;
Iuris decocti libr.1.
Medullæ casiæ fistularis ℥.1.
Hieræ picræ ℥.S.
Mellis rosacei colo transfusi ʒ.iii.S.
Olei ex oliuis expressi ℥.iii.
Salis vulgaris ʒ.1.S.
Commistis omnibus fiat enema.

III.

Plantaginis
Equiseti
Polygoni
Ophioglossi } singulorum M. I.
Alceæ
Consolidæ mediæ
Bellis minoris
Saniculæ } singulorum M. I. S.
Rosarum rub. M. I.
Oryzæ tostæ. ℥. I.
Gallarum
Rhois obsoniorum } singul. ℥. I. S.
Balaustiorum. ℥. S.
Acaciæ
Hypocisticidis } singulorum. ℥. I.
Radicis symphyti maioris. ℥. I.
Coquantur ad tertias, & colo transfundantur, accipianturq;
Iuris decocti. ℥. xiiii.
Succi plantaginis. ℥. S.
Pastillorum è spodio
è terra lemnia } singulorum. ℥. I.
Boli armenicæ
Sanguinis draconis
Aloës elotę } singulorum. ℈. ii.
Seui caprini. ℥. I.
Oleorum myrtini
rosacei
cotoneorum } singulorum. ℥. I.
Commistis omnibus fiat clyster.

IIII.

Iuris hordei decocti, lib. I.
Mellis rosacei. ℥. I.
Sacchari rubei. ℥. vi.

Vitellorum ouorum numero.ii.
Olei irini. ℥.iii.
Commistis omnibus fiat enema.

V.

Betonicæ Saluiæ Maioranæ Serpylli Calaminthæ Hyssopi	singulorum M.I.
Rutæ Centauri minoris Stichadis	singulorum M.S.

Radicum polypodii.℥.S.
Agarici optimi.ʒ.iii.
Medullę colocynthidos ʒ.I.
Coquantur ad tertias.
Iuris decocti ℥.xv.

Hieræ picræ Benedictæ laxa	singulorum ℥.S.
Antidoti indi diaphœnicon	singulorum ʒ.ii.S.

Mellis rosacei colo transfusi ℥.I.

Oleorum laurini rutacei	singulorum ℥.I.S.

Salis fossilis saxei ʒ.I.S.
Commistis omnibus fiat clyster.

Alias plures formulas petent studiosi è libris nostris de medendi ratione inscriptis.

Tẽpus iniicien di clysteres. Detinendi.

Iniiciendi clysteres tempus nullum est certum aut cõstitutum modo duabus aut tribus horis aut longius à cibo sumpto adhibeantur. Detinẽdi etiã tempus non vnum idemq; est, sed pro eorundem diuersitate variatur. Quibus enim abluendi & ex-

tergendi vis inest, hi supra horæ dimidium in corpore haud retineantur. Dolores mitigantes lõgiori tempore detineri debent. Omnium longissimo, quibus glutinandi est facultas. Quibus purgãdi vis inest, sua sponte erumpere solent. Quod si tamen diutius in corpore cunctantur, glandem supponere conuenit, vt scilicet facultas excretoria excitata, noxia tandem expellat.

De collyriis. Cap. XXI.

Collyria latinis medicamenta vocantur, quæ oculis admouentur. Græci κολλύρια nominant. Hæc vero duum generũ sunt: quædã enim liquida sunt, & hæc priuatim hodie ab iis qui medicinam factitant collyria nominantur; quædam vero arida, & hæc barbara voce iidem sieff vocãt. Græci hæc quidẽ ξηροκολλύρια illa vero ὑγροκολλύρια nominãt. Arida collyria pyramidis ferè formã accipiũt, licet raro in officinis parata reperiant. Horũ qdẽ oium materia ex qua cõponũtur varia est. Nã succi, liquores, semina, fructus, plantarũ partes, & metallica iis inseruntur, quæ pro affectuum magnitudine variantur. Vtimur enim iis in oculorũ diuersis morbis, vlceribus, vulneribus, fistulis, suffusionibus, & id genus aliis Hinc est quod interdum iis adiiciamus ea quibus extergẽdi vis inest, nunc quibus acris: iam vero adstringentia, aliquãdo etiam discutientia commiscent, quorum copiã suppeditabit Galenus lib. 4. de compos. med. secũdum locos cap. 4. & Paulus Aegineta lib. 7. cap. 16. Cæterum collyria quibus reprimendi aut sedandi dolorẽ vis inest, in liquore aliquo stillatitio conueniẽti diluuntur, atq; adeo oculis instillãtur, aut linamẽti specie admouentur. Quæ vero vrẽdi facultatem obtinent, hæc vnguentis, pinguedini-

Collyria.

Sieff.

Arida collyria quæ forma parantur.

Materia collyriorum.

Vsus.

Gummi. ʒ. 1. S.

Tritis omnibus ac cotoneorum succo commixtis informentur collyria.

V.

Liquoris stillatitii rosarum fœniculi chelidonii maioris euphragiæ	singulorum. ℥. 11.

Vini optimi. ℥. 1. S.

Aloës. ʒ. 1.

Pompholygis lotæ. ʒ. S.

Sacchari. ℥. S.

Commistis omnibus fiat collyrium liquidum.

VI.

Collyrii viridis. ʒ. ii.

Auripigmenti Mercurii vt vocant, sublimati	sing. gr. iii.

Vnguenti Aegyptiaci. ℥. S.

dialthææ. ℥. 1.

Commistis omnibus fiat vnguentum.

Porro cum nonnullorum collyriorum aridorum à Rhaze compositorum in præscriptis formulis mentio facta sit, animaduertendum quod collyriorum rosacei & è glaucio tum potissimum vsus esse debet, quum adstringendi aut reprimendi necessitas vrget. Albi vero & rubri, quum glutinandi. Viridis vero, quum erodendi. *Collyriorũ cõpositorũ vsus.*

De gargarizatu. Cap. XXII.

Gargarizatus variis componuntur modis. Nunc enim ex stillatitiis plantarum liquoribus, nunc vero ex iure decoctorum. His autem pro affectus diuersitate, diamoron, succi medicati è ribes, & oxyacantha, diacaryon, mel rosaceum, serapia, hiera picra, & id genus alia commiscetur, *Gargarizatus compositio.*

Priora quatuor cum reprimendi indicatio adest admiscemus. Mel rosaceum, quum extergendi aut discutiendi: hieram picram, quũ è capite aliquid elicere conamur. Cæterum nullum in componendo gargarizatu certum & præscriptum pondus obseruatur. Sunt tamen qui superstitiose contendant, liquorum triplum pondus simplo antidotorum, succorum medicatorum, & serapiorum debere respondere. Verbi gratia, si serapiorum & antidotorum, succorumq; medicatorum. ℥.ii. sint, liquorum esse debent. ℥.vi. Sed formulis res clarior erit, quæ accipiunt I.

Pondus.

Liquoris stillatitii plantaginis } rosarum } singulorũ. ℥.i.S.

oxalidis, lactucæ, fragariæ — singulorum. ℥.i.S.

solani. ℥.i.

nymphææ. ℥.S.

prunellę. ℥.i.

Diamoron. ℥.i.

Succi medicati è ribes, ex oxyacantha, Serapii è papauere — singulorum. ℥.S.

Succi fragorum. ℥.iii.

Aceti optimi. ℥.S.

Commistis omnibus informetur gargarizatus.

II.

Plantaginis, Prunellæ, Fragariæ, Oxalidis, Polygoni, Saluię — singulorum M.i.

Rosarum rubearum M. S.
Gallarum } singulorum. ℥. I.
Calyculorum glandiū }
Rhois obsoniorum } sing. ʒ. I.
Balaustiorum }
Radicis symphyti maioris. ℥. S.
Coquantur in aqua fontana iustæ quantitatis ad tertias, dein colo transfundantur, & iuri decocti adiiciantur,
Diacaryon
Diamoron } singulorum. ℥. I. S.
Serapii myrtini
Aluminis liquidi. ʒ. I.
Bulliant denuo, fiatq; gargarizatus.

III.

Maioranæ
Origani } singul. M. I.
Saluiæ
Betonicæ
Carpesiorum } sing. ʒ. I.
Piperis longi
Pyrethri } singulorum. ʒ. S.
Zingiberis
Coquantur in libra vna aquæ tantisper dum tertia pars absumatur, colo transfundantur, & iuri decocti addantur
Mellis rosacei colo transfusi. ℥. I. S.
Oxymelitis scyllitici. ℥. I.
Commixtis omnibus fingatur gargarizatus.
Hieræ picræ. ℥. S. IIII.
Oxymelitis scyllitici. ℥. ii.
Liquoris stillatitii hyssopi
betonicæ } singulorum ℥. I. S.
origani

Commisceantur, formeturq; gargarizatus.

Vsus gargarizatus. In vsu gargarizatuum obseruandum vt tepida quadam caliditate præditi ori admoueantur, id quod tamen in iis qui in destillatione capitis ex tenuibus & acribus humoribus excitata adhibentur, haud fieri debet: nam in illa, quo scilicet citius sistatur, frigidis etiam vti licet.

De dentifriciis. Cap. XXIII.

Dentifricia. ὀδοντοτρίμματα. Vsus. DEntifricia, quæ Græcis ὀδοντοτρίμματα dicuntur, ad diuersos vsus varia componuntur. Vsus vero horum maxime in expoliendis extergendis'ue, & stabiliendis dentibus: etsi interdum frigefactis, & dolētibus dentibus, gingiuisq; laxis, item ad parulidas, omniaq; oris vitia parentur, vt liquet ex iis quæ traduntur à Galeno lib. 5. de compos. med. secundum locos cap. vltimo. Por-

Compositionis dentifriciorum forma. rò triplici ferè forma hodie componuntur dentifricia. Aut enim in tenuissimum puluillum redacta dentibus affricantur, aut adiectis liquoribus aliquot, cum iis dentes abluuntur: aut in linimenti formam digesta, dentibus circumlinuntur. Nos formulis aliquot quę diximus explicabimus, quæ accipiunt

I.

Nitri, Aluminis, sing. ʒ. i.

Myrrhæ, ℈. ii.

Radicis iridis illyricæ, Cornu ceruini vsti, Thuris, singulorum. ʒ. i. S.

Salis vulgaris tosti. ʒ. i.

Piperis, Pyrethri, sing. ℈. i.

Pistolochiæ, Menthæ siccæ, sing. ʒ. S.

Testarum

Testarum sepiæ }
Pumicis } sing. ℈.ii.
Tusis & cribratis singulis fiat dentifricium.

II.

Liquoris stillatitii menthæ }
origani }
saluiæ } sing. ℥.iii.S.
abrotoni }
hyssopi }
apii }
Aluminis scissi assati & vino austero extincti ʒ.ii.
Nitri ʒ.I.S.
Salis assi ʒ.ii.
Commixta sex horis simul persitent, & subinde igni admota per vasculum quod alembicum vocant stillent, liquorq; ad vsum seruetur.

III.

Gallarum }
Putaminum mali punici dulcis } sing. ʒ.I.
Rosarum purpurearum ʒ.I.S.
Aluminis scissi ℈.ii.
Sanguinis draconis ʒ.I.
Thuris ʒ.I.S.
Balaustiorum }
Myrrhæ } sing. ℈.I.
Trita & cribrata excipiantur oxymelite scyllitico, & vsu exigente illinantur.

De pessis. Cap. XXIIII.

Πεσσὸς Paulo & Aëtio testibus est lana concerpta, & ad digiti formam rotunda, in qua medicamenta excipiuntur, ac genitalibus mulierum partibus induntur. Latini id genus medicamenti pessum vocant. Qui vero hodie factitãt medicinã barbari medici pessariũ. Licet nonnulli hac voce,

πεσσός. Pessus. Pessarium.

μετρεγχύται.
Nascalia.
Pessorum differentiæ.
Emollientes.

non sine magna rerum confusione pro vteri clysteribus abutantur, qui à pessis distant, peculiariq́. nomine Græcis μητρεγχύται apdellantur. Nascalia vero nominant barbarissimo ac ineptissimo vocabulo, quos Græci & Latini pessos. Cæterum generales pessorum differentiæ tres existunt: alii siquidem emolliunt, alii adstringunt, alii aperiunt. Emollientes vteri inflammationibus, exulcerationibus, refrigerationibus, suffocationibus, auersionibus, & inflationibus accommodantur. Fiunt ex cera, oleis, pinguedinibus anseris aut gallinæ, butyro salis experte, resina, medulla ceruina, fœnograeco, & similibus. Aperientibus vtimur, quum suppressos menses euocare, aut vterum conniuentem aut compressam emendare conamur. Parantur hi ex melle, artemisia, dictamno, brassica, glycyrhiza, succo rutæ, porro, scammonia, & id genus aliis. Adstringentes contrarium aperientibus vsum præbent, nam fluxum muliebrem cohibent, & apertum laxumúe vterum contrahunt, prolapsumq́; reprimunt atq; propulsant. Materia vero adstringentium supra libro primo comprehensa est. Cæterum quod ad pessorum compositionem etiam attinet, non semper lana excepta medicamenta induntur, sed nonnunquam aptis liquoribus, gummiq́; ac resinis additis ad formam paulo ante dictam coguntur. Interdum etiam medicamenta ubacta, bombyce seu serico, aut linteo tenuissimo obducuntur, & vtero subiiciuntur. Danda vero opera est vt pessi filum prælongum habeant alligatum, quo facile, quando visum fuerit, possint extrahi. Reliquum est vt nunc formulas pessorum & clysterium vteri subiiciamus, quæ accipiunt

Aperientes.
Adstringentes.
Pessorum compositio.

I.

Butyri ſalis experti ʒ.iii.
Medullæ ceruinæ
Adipis anſeris } ſingulorum ʒ.1.S.
gallinæ
Maſtiches
Meliloti } ſing. ʒ.1.
Seminis lini
fœnigræci } ſing. ʒ.1.S.
Ouorum lutea tria.
Oleorum roſacei
irini } ſing. ℥.S.

Ceræ quod ſatis eſt ad craſſitudínem iuſtam inducendam. Dein lana duplicata in hoc medicamentum intincta vtero ſubiiciatur.

II.

Artemiſiæ
Abrotoni } ſingulorum. ʒ.ii.
Dictamni
Radicum acori
rubiæ tinctorum } ſing. ℥.i.S.
Nigellæ ℈.2.
Baccarum lauri ʒ.S.
Rutæ ℈.ii.
Sabinæ ℈.1.
Caſtorei ℈.S.
Myrrhæ
Stactis } ſing. ʒ.1.
Sagapeni ʒ.1.S.

Tuſis & cribratis iis quæ opus eſt, mellis quantum ſatis eſt vt in coalitum craſſiorem & vnitatem coeant, adiiciatur, & vbi opus eſt fingantur peſſi qui in vuluam indantur.

Cornu ceruii vsti ℥.ii. III.
Thuris ℥.I.S.
Gallarum ℥.ii.
Balaustiorum } singulorum ℥. I.S.
Rosarũ purpurearum }
Gummi
Acaciæ } sing. ℈.ii.
Hypocistidis
Boli armeniacæ ℥.S.
Trita in pollinem leuissimum succo plantaginis excipiantur, & linteolis deligata fingantur pessis qui in mulieris pudendum inserantur.

IIII.

Iuris decocti artemisiæ ℥ iii.
Oleorum liliacei } singulorum ℥.I.
irini
laurini
Myrrhæ } sing. ℥.I.S.
Sagapeni
Castorei ℈.I.
Commixtis omnibus fiat metrenchyta.

V.

Succi plantaginis ℥.iiii.
Oleorum myrtini } sing. ℈.ii.
mastichini
Succini } singulorum ℈.I.
Thuris
Boli armeniacæ
Pastillorum è spodio } sing. ℥.I.
è terra omnia
Tritis iis prius quæ opus est commisceantur, fiatq; metrenchyta.

Tẽpus subiiciẽdorũ p essorũ. Pessi vesperi & dum somni tempus appetit potissimũ subiiciũtur, & sex aut septem horis in vte,

ro relinquuntur, ac subinde extrahuntur. Eodem tẽpore clysteres vtero infundi debent, totidemq; horis retineri.

De errhinis. Cap. XXV.

Ἔρρινα Græcis vocantur quæ in oblongam ac pyramidis formam coacta narib. indũtur: hodie vulgus medicorum nasalia nominant. Item quæ liquida infunduntur aut illinũtur, iidẽ caput purgia voce conficta appellant: & quæ sicca naribus indita aut calamo inspirata sternutamẽta ciunt, atq; adeo pituitam ac mucum à cerebro eliciunt. Cæterum errhina quæ pyramidis formã obtinent, ac filũ sibi vt extrahi queant alligatũ, ex medicamentorũ huic instituto seruientiũ speciebus, liquore aliquo, aut adipe, & exigua cera exceptis cõponuntur. Errhinorum autem vsus est in diuturnis capitis affectibus, præsertim morbo comitiali, oculorum hebetudinibus, narium obstructionibus, odoratus difficultate, conuulsione cynica & morbo regio. Nunc formulam subnectemus, quæ accipit

ἔρρινα.

Nasalia.

Caputpurgia.

Errhinorum compositio.

Vsus.

Maioranæ, saluiæ, sing. ʒ. i.

Piperis albi
Nigellæ } singulorum ʒ. S.
Carpesiorum

Garyphyllorũ, nucis moschatę, pyrethri, sing. ℈. ii

Ellebori albi ʒ. i.

Castorii ℈. S.

Tusa & in pollinem redacta, terebinthina resina & modica cera excipiantur, finganturq; errhina pyramidis effigiem referentia.

Porrò liquida quæ naribus infunduntur aut illinuntur, è succis herbarũ, betæ scilicet, cyclamini, brassicæ, maioranæ, anagallidis cæruleum flo-

Caput purgia.

rem habentis,& foliorum inulæ, liquoribusq; iis similibus,oleis,& speciebus medicamentorũ paulo ante commemoratorum, nempe piperis, pyrethri,nitri,struthii, nigellæ marrubii,castorii, ellebori albi,& horum similium, componuntur. Admonendi sunt qui sumunt, vt os aqua compleant, ne scilicet è naribus per meatus in os perfluant succi,caputq; in posteriora reclinandum. Sufficit vna vice senunciam succorum infudisse. Nunc formulis aliquot quod diximus declarabimus, quæ recipiunt

I.

Succi betæ
cyclamini
brassicæ } singul. ℥.i.S.

Commisceantur,naribusq; infundantur.

II.

Succi foliorum cucumeris syluestris ʒ.iii.
betę ℥.i.S.
Liquoris stillatitii maioranę ℥.ii.
Carpesiorum
Nigellæ
Piperis albi } singulorum ℈.i.

Tritis iis quæ opus est,commisceantur,& naribus infundantur.

III.

Radicis cucumeris syluestris ℈.i.
Piperis albi
Myrrhæ
Nigellæ } singulorum ℈.ii.

Tritis & contusis adiiciatur olei de piperibus quod satis est,& naribus illinantur.

Sternutamenta è speciebus prædictorum medicamentorum conficiuntur,& harundine aut calamo naribus inspirantur. Admonẽdi sunt qui su-

munt, vt sursum rapiãt Sed formulas aliquot subii ciemus quæ accipiunt I.

Maioranæ
Nigellæ
Garyophyllorũ } singulorum ℈.ii.

Piperis albi
Zingiberis
Struthii } singulorum ℈.I.

Castorii ℈.S.

Diligenter tritis singulis & commixti fiat sternutamentum. II.

Nucis moschatæ
Radicis iridis
Carpesiorum } singulorum ʒ.S.

Pyrethri ℈.I.

Elleburi candidi ℈.S.

Piperis albi
Acori } sing. ʒ.I.

Tritis vtitor.

His singulis nunc commemoratis errhinis non est vtendum, nisi postquam corpus vniuersum aut venæ sectione; aut purgatorio medicamento vacuatum fuerit. Quando prædictis medicamẽtis vtendũ.

De apophlegmatismis. Cap. XXVI.

Ἀποφλεγματισμοὶ Græcis sunt medicamenta, quæ retenta in ore & commanducata, per emissaria palati pituitam, & qui in capite cõcreuerunt humores noxios eliciunt. Barbarã sectãtes medicinã masticatoria vocant. Fiunt ex sinapi, hyssopo cortice, capparis, origano, thymo, pulegio, vua passa, mastiche, radice acori, zingibere, pyrethro, pipere, vua taminea, & id genus aliis capite præcedenti commemoratis. Horum vsus varius est: aut enim medicamenta in partes minutas

ἀποφλεγματισμοί. Masticatoria. Compositionis materia. Vsus.

concisa commanducantur, dentibusq; confringūtur: aut trita & contusa succo aliquo vel liquore, vel melle excipiuntur, & in mansiles pastillos coguntur, & cum postulat vsus, vnus præbetur mandendus. Aut medicamenta contusa sacculo è subtili linteo confecto induuntur, & commanducantur. Aut ius decoctorum medicamentorum diu in ore continetur. Cęterū oportet manducantē deorsum nuere, & ex interuallis, quo congestus humor effluat, hiare. Vtēdum aūt apophlegmatismis matutino tempore, & tum potissimū quum à reliquis excrementis corpus vacuū est. Adhibentur hæc ad omnes capitis vetustos affectus, hebetudinem oculorum, auditus difficultatem, linguæ resolutiones, pustulasq; omnes quæ caput aut faciem occupauerint. Post illorum vsum aqua calida os abluēdum erit, aut melicrato, aut ptisanæ succo.

Tempus.

Nunc formulas aliquot subiiciemus, è quibus studiosi componendi rationem cognoscere nullo labore possunt.

I.

Piperis albi ʒ.1.S.
Pyrethri ℈ ii.
Hyssopi
Origani } sing. ʒ. 1.
Sinapi ʒ.ii.
Zingiberis ʒ.1.
Mastiches ʒ.1.S.
Trita excipiantur succo betæ aut melle, & formentur mansiles pastilli.

II.

Maceris ʒ.1.
Vuæ tamineæ
Cubebarum } singulorum ʒ.1.S.

Corticum radicis capparis ℈.ii.
Radicis acori
Nucis moschatæ } sing. ʒ. S.
Trita excipiantur mastiche, pastillo calido adhibito, finganturq́; pastilli mansiles.

III.

Carpesiorum ʒ. i. S.
Piperis candidi ʒ. i.
Vuarum passarum detractis vinaceis ʒ. ii.
Staphysagriæ
Pyrethri
Synapi } singul. ʒ. i.
Contusis singulis fiat sacculus manducabilis.

De odoramentis. Cap. XXVII.

ODoramentorũ nomine veniunt intelligenda omnia medicaméta tam simplicia quàm composita, quæ citra ignis accessionem suo odore cerebrum alterare, aut grauem odorem, aut pestilentem auram depellere possunt. Horum auté varius est vsus: interdum enim simplicia medicaméta naribus duntaxat admouétur: sic nigella in aceto macerata, & subinde exiccata, linteolo tenui, aut serico inserta adhiberi naribus solet. Nunc vero multa simul simplicia medicamenta miscétur. Nõ nunquam etiam ex iisdem vnguenta, aut orbiculi odorati, poma nostri vocant, componuntur, vt ex formulis patebit. Medicamenta vero quæ ad compositiones odoramentorum adhibét, sunt moschus, ambar, nigella, maiorana, garyophylli, ocymum, styrax, stacte, spica nardi, lauandula, lignum aloës, ladanum, rosæ, violæ, nymphæa, santali, caphura, & id genus alia, quæ è formulis, quas nũc subiiciemus, cognoscent studiosi. Materia odoramentorum.

Accipiunt, I.

Nigellæ tostæ ℥.i.S.
Cubebarum ℥.S.
Maceris ℈.ii.
Garyophyllorum ℈.i.
Contusa & trita diligentur serico ad odorandū.

II.

Vnguenti populeon ℥.S.
Oleorum violacei }
è papauere } singulorum.℥.i.
Mandragoræ ℈.i.S.
Commistis omnibus iis nares illinantur.

III.

Olei è spica.℥.S.
Ligni aloës }
Maceris } singulorum ℈.i.
Ambar gr.ii.
Commistis omnibus fiat linimentum.

IIII.

Styracis ℥.iii.
Garyphyllorum }
Cinnamomi } sing. ℥.ii.
Maceris
Nucis moschatę sing.℥.i.
Ligni aloës ℥.S.
Mastiches ℥.i.S.
Moschi }
Ambar } singulorum gr.iii.
Trita & cribrata, liquore stillatitio maioranæ & sta
cte quod satis est excipiantur, finganturq́; orbicu
li odorati.

V.

Florum nymphææ }
buglossi }
violarum } singulorum ℥.i.
rosarum }

Corticis mali citrii ℥.i.S.
Maceris ℥.S.
Santalorum omnium è singulis ℥.i.S.
Papaueris candidi ℈.i.
Caphuræ ℈ S.
Ladani ℥.ii. Ambar gr.iiii.
Trita excipiantur liquore stillatitio lactucæ & stacte, fiantq; orbiculi odorati.
In componendis orbiculis, postremum ambar & moschus adiici debent.

De suffimentis. Cap. XXVIII.

Suffimenta, quæ Græcis θυμιάματα, nostris vero suffumigationes dicuntur, sunt medicamenta quæ incenduntur aut ignitis carbonibus iniiciuntur. Vsus horum incensorum ad odorem gratum conciliandum: item ad destillationes ex capite in subiectas partes, grauedines, obstructiones, alios frigidos cerebri affectus, & pestilentiæ contagia arcēda: tumq; naribus admouentur. Conueniunt etiam asthmaticis, & iis quibus frigidorum ac crassorum humorum copia thorax refertus est, suppurationibus, tussi, laterumq; doloribus. Sanguinem vero expuentibus suffimenta nō sunt adhibenda quod scilicet horum vsu, vasorū ora rursus aperiantur. In prædictis autem thoracis affectibus, per os vapor est assumēdus in hunc quidē modum. Aeger vestibus circunseptus in sede collocandus est, vt diuaricatis cruribus prona facies ad vtrunq; genu decumbat, atq; tum euaporatorio intra crura cōstituto, enitendum vt per tubum fistulam ue vapor exceptus patulo ore inspiretur. Fiunt ex eadem ferè materia qua odoramēta, nempe castorio, ladano, calamintha, styrace, thure, mastiche, erysimo, tussilagine, & id genus

Suffimenta.
Vsus.

aliis, ac trita carbonibus inſperguntur, aut ſtacte, oleo, vel alio liquore excepta digeruntur in paſtillos, quibus poſtulante vſu ad ſufficiẽdum vtimur. E formulis rem ſtudioſi planè deprehendent, quæ accipiunt

I.

Paſtillorum galliæ moſchatæ ℥.i.
Saluiæ }
Maioranæ } ſingulorum ℥.i.S.
Roſmarini }
Maceris ℥.i.
Garyophyllorũ }
Cinnamomi } ſing. ℥.i.
Foliorum lauri ℥.S.
Ligni aloës ℈.i.
Moſchi gr.iii.
Terantur ſingula, & commiſtis omnibus fiat puluis, qui exigente vſu carbonibus viuis inſpergatur.

II.

Thuris }
Cinnamomi } ſingulorum ℥.i.S.
Garyophillorũ }
Corticum mali citrii ℥.i
Maceris }
Ligni aloës } ſing. ℈ ii.
Myrrhæ }
Maſtiches } ſing. ℥.i.
Paſtillorum galliæ moſchatæ ℥.ii.
Ladani ℥.ii.S.
Trita excipiantur ſtacte, & informentur paſtilli pro ſuffimento.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPONENDORUM

IVS TEMPORIS COMPONENdorum miſcendorumq; medicamentorum ratione liber tertius, LEONHARTO Fuchſio authore.

PROOEMIVM.



Præcedenti libro componendi rationem eorum medicamentorum quæ corpori ingerũtur demoſtrauimus. Nunc in tertio huius tractationis libro, eorum quæ exterius admouent cõpoſitionẽ trademus. Neq; eſt quod quiſpiam putet nos ordinis oblitos, eo quod non raro formulas vnguentorũ linimentorumq;, priori libro inſeruerimus, quas ſibi hic potius liber vendicet. Nam tametſi, re ſic exigente, interdum nunc commemoratorum medicamentorum formulas aliquot aſſuere coacti fuerimus, tamen nihilominus ordinis ratio requirit, vt hoc in libro eorundem ſpeciatim componẽdi rationem doceamus, quod ſine ea formulas præmiſſas ad vnguẽ aſſequi nulli liceat. Quare quod in. 2. lib. in iis medicamentis quæ ingerũtur factitauimus, id ipſum in hoc tertio in iis etiam quæ extrinſecus adhibẽtur ordine quodã præſtabimus. Vt enim quodq; illorum componendi hoc tempore debeat, iuxta ſeriem nominum quæ nunc ſubiiciemus, perſpicuè monſtrabimus. Nomina itaq; medicamentorum quæ exterius admouentur, hæc ſunt:

1 Olea & vnguenta	3 Emplaſtra
2 Linimenta	4 Cataplaſmata

5 Cerota
6 Dropaces
7 Sinapismi
8 Epithemata
9 Embrochæ
10 Fomenta
11 Sacculi
12 Insessus.

De oleis & vnguentis. Cap. I.

Veteribus duo fuerunt oleorũ genera.

Simplicia.
Composita.

Olea simplicia varijs paratur modis.

VEteribus, vt ex Diosc. alijsq; autorib. Græcis constat, duo fuerunt oleorum genera: quædam enim simplicia, quædam vero ex pluribus composita erant. De compositis, quorum hodie nullus est vsus, hic nihil dicemus: sed de simplicibus tantum, quę etiã Galeno lib. 2. de sim plic. med facul. cap. vltimo teste, proprie olea vocantur. Horum itaq; aliqua ex floribus oleo inditis efficiuntur, verbi gratia, rosaceum chamæmelinum, violaceum & his similia. Quædam ex fructibus & seminibus conficiuntur: quædam ex geminib. surculis ue, veluti rutæ: quæ etiam simul cum oleo coquuntur. Ea quæ è fructibus & seminibus constant, nonnulla quidem integris oleo iniectis conficiuntur veluti melinum: nonnulla vero contusis aut alteratis, oleoso quod in eis erat separato, vel expressis ipsis, vel per aquam calidam discretis, veluti oleum è nucibus, amygdalinum, mastichinum, laurinum, ricininum, & id genus alia. Cæterum cum flores coctionem nullam admittant,

Flores cur insolantur.

insolantur potius. Verum si valentiorem habeant fragrantiam & constantem pluribus diebus insolata, tenuiora magisq; vtilia redduntur, quemadmodum rosaceum & chamæmelinum. Quicunq; vero imbecilliores sunt, faciliusq; difflantur flores, insolationem minus perferunt, vt quorum vires prompte euanescat, vtpote lilium & viola. Velle̅ sane quod ad oleorum compositionem attinet, nostri temporis medici, Græcorum, Pauli po-

tissimum & Actuarii, potius q̃ Mesues aliorumq; eius farinæ autorum præscripta ac placita sectarẽtur. Sed de eo suo dicemus loco. Nunc ad vnguentorum componendi rationem veniamus. Vnguẽta, Gal. loco antea citato autore, antiquis dicebantur quæ ex odoramentis conficiebantur: nunc vero quæ ex oleis, specieb. quibuscunq; & cera componuntur, sic vocantur. Oleis interdum adiiciuntur adipes butyrum, & muciditas. Nonnunquam etiã gummi commiscentur. Species iuxta affectuũ quibus adhibentur vnguenta diuersitatem variãtur. Cera vt conuenientem nanciscatur consistentiam adiicitur. Hodie pleriq; in componendis medicamentis, obseruant, vt vnciȩ vni oleorum, drachmã specierum, & drachmas duas ceræ commisceant. Sed præstat ceræ quantitatem eius qui componit arbitrio ac iudicio relinquere, vt is scilicet addat quantũ ad iustam vnguenti consistentiam satis sit. Nunc formulas aliquot vnguentorũ subiiciemus, quæ recipiunt

Vnguentum quid.

Vnguenta hodie vt componantur.

I.

Oleorũ ex absinthio
è mentha } sing. ℥. I.

Garyophyllorum
Cinnamomi selecti
Piperis longi } singulorum ℈. ii.

Ceræ quod satis est, fiatq; vnguentum.

II.

Oleorum rosacei
coroneorũ
mastichini
myrtini } singulorum. ℥. S.

Pastillorũ è spodio
è terra lemnia
è succino } singulorũ. ℈. I.

Radicis sympphyti maioris ℈. ii.

Sanguinis draconis } singul. ℈. i.
Boli armeniacæ. }
Ceræ albæ quantum sufficit, formeturq; vnguentum

III.

Oleorum rosacei ℥ i.
myrtini ʒ. S.
Cerussæ } singulorũ. ℈. i.
Plumbi vsti }
Lythargyri }
Boli armeniniacæ } singulorum. ℈. S
Terræ lemniæ }
Balaustiorum }
Rosarum purpurearũ }
Caphuræ gr. ii.
Cæræ candidæ quod satis est, fingatur vnguẽtũ.

IIII.

Oleorum è capparibus } singulorum ʒ. i
liliaci }
irini }
Muciditatis althææ } singulum ʒ. i. S.
fœnigræci }
Seminis lini }
Pnguedinis gallinæ } sing. ʒ. i.
anseris }
taxi }
Medullæ crucis bubuli ʒ. i. S.
Corticum radicis ca ℥ parum, tamaricis, sing. ʒ. i.
Costi ʒ. S.
Centaurii minoris ʒ. ii.
Hammoniaci } sing. ℈. ii.
Bdelii }
Galbani }
Dissolutis gummi in aceto, cum cera quantum satis est formetur vnguentum.

Reliquum

Reliquum est, vt oleorum & vnguentorum hodie vsitatorum nomenclaturas ac facultates breuiter & ordine commemoremus.

De oleis.

OLEVM ROSACEVM.

Refrigerat & astringit, inflammationibus præsidio est, æstuantem ventriculum restinguit, erosiones intestinorum clysteribus inditum, & dolores dentium, si eo colluantur, sanat. Compositio est apud Paulum & Actuarium.

VIOLACEVM.

Refrigerat, incãdescentibus inflammationum feruoribus vtile est. Compositio est apud eosdem.

NYMPHÆÆ.

Nenupharis oleum vocant hodie. Idem quod violaceum potest, multo tamen ad refrigerandum efficatius est, adeo vt somnum etiam conciliet. Cõpositionem valet apud Mesuen. Oleum nenupharis.

MELINVM.

Hoc est, è cotoneis malis oleũ. Adstringit, ideo ventriculi & iecinoris imbecillitatibus, ventrisq; fluxionibus accommodatum est. Sudorem item plus iusto emanantem cohibet. Cõpositionem pete è Paulo & Actuario.

MYRTINVM.

Seu myrteum, refrigerat & adstringit, ideoq; cœliacis affectibus subuenit. Sanat igne ambusta, pustulas erumpentes illitu emendat. Attritus hyeme concitatos & intertrigines illitum corrigit: sedis rimas, condylomata, laxatos artus persanat, & sudores coërcet. Compositio est apud Actuarium.

PAPAVERINVM.

Eandem habet quam oleum nymphææ facultatẽ, paulo tamen efficatiorem. Compositionem offendes apud Mesuen.

CHAMAEMELINVM.

Illitum per se vel cum temperato calore, rarefacit, longas maxime febres discutit. Quod si ex mero calido, dolores omnium corporis membrorum illitu leuat. Compositio petenda erit à Paulo & Actuario.

ANHETHINVM.

Calefacit, ideoq; horroribus certo circuitu remeantibus medet: lassitudines discutit dolores articulares subleuat, vteri duritias emollit, subter inditum. Cõpositio est apud iam citatos autores.

LILIACEVM.

Muliebribus vitiis congruit: vlcera capitis manantia, furfures, varos, & feruidas eruptiones illitu emendat: & vitia contracta à frigore sanat: omnem discutit inflammationem, cum croco perunctum Potum deiectionem bilis molitur: stomacho inimicum, vt nauseam parit. Compositionem eius tradunt Paulus & Actuarius.

IRINVM.

Extergit, concoquit, & resoluit: humores crassos in thorace detentos extenuat doloribus iecinoris, lienis, & vteri frigidis confert. Compositionis autor est Mesue.

AMIGDALINVM.

Duplici ratione conficitur, nempe ex dulcibus & amaris amygdalis. Quod è dulcibus fit, ea quæ exasperata sunt, lenit, emollit, & humectat. Eius compositionem habet Mesue. Quod vero ex amaris ꝯficitur, aduersus vteri inflationes, peruersio-

nes, occlusiones'ue, item ad strangulatus eiusdem infusum, doloribus capitis instillatū, medetur. Aurium grauitatem, sonitus, stridores & sibilos discutit. Renum vitio, & vrinæ difficultate laborantibus, calculosis viscerum tormentis, iecinorosis, suspiriosis, lienosis, sorptum subuenit. Næuos & maculas à facie tollit, & cutem erugat, oculorum obolet hebetudinem, manantia denique capitis vlcera, furfuresq; cum vino detergit.

BALANINVM.

Nostri oleum è ben appellant. Repurgat macūculas, varos lentigines, cicatricum nigritias fucos, aluum soluit, sed vētriculo aduersatur, dolores aurium emendat. Item si sonant aures, vel strepitum, aut sibilum ædunt, cum adipe infusum auxiliatur. Compositionem docet Paulus & Actuarius. Oleum e ben.

LAVRINVM.

Excalfacit vehementer & emollit, ita vt ii qui scabie scatent, & asperis impetiginibus obsidentur, illiti in balneo persanentur. Sed eo conuenit abstinere lichenibus & psoris inflammationem minantibus, in calidis quoque temperaturis & biliosis. Siquidem frigidis corporibus, humidis & pituitosis congruit. Item iis quorum articuli algoribus, aut perfrictione affliguntur, & ischiadicis subsidio est: vermes & pediculos enecat. Furfures capitis emendat, alopecias & ophiases corrigit. Vtile præterea cunctis neruorum malis aurium, doloribus, & destillationibus. Cōpositio est apud Actuarium.

RVTACEVM.

Calefacit & reficcat: quare destillationibus auxiliantur: doloribus cum thoracis tum reliquarum partium, quæ vim caloris desiderāt, remedio

est. Humores siquidem crassos extenuat, obstructionesq́; tollit. Compositio petenda ab Actuario.

MASTICHINVM.

Leuiter calfacit, sed plus adstringit: cœliacis, stomachicis, dysentericisq́; habetur salutare. Vitia quæ sunt in facie illitum delet, & colorem cutis commendat. Compositionem docent Actuarius & Paulus.

ABSINTHINVM.

Calefacit ac roborat ea quæ sunt refrigeratas potissimum vero vetriculum. Excitat appetentiã, obstructiones aufert, lumbricosq́; enecat. Compositio est apud Mesuen.

LEVCOIINVM.

Oleum cheir. Barbari oleum è cheiri vocant. Dolores neruorum, aliarumq́; partiũ corporis mitigat, eaq́; quæ in thorace, renibus & vesica sunt discutit. Compositionem habet Mesues.

MENTHACEVM.

Ventriculum refrigeratum & imbecillum calefacit, firmat, nauseam, vomitumq́; reprimit, appetentiam excitat, coctionemq́; iuuat. Compositioné docet Mesue.

NARDINVM.

Omnibus morbis frigidis & à flatuũ copia excitatis prodest dolori item capitis, & hemicraniç. Compositio est apud Mesuen.

COSTINVM.

Calefacit ac roborat neruos, ventriculo & iecinori prodest capillos fouet, canitiemq́; remoratur, colorem deniq́; & odorem corporis bonum efficit. Compositionem tradit Mesue.

EVPHORBINVM.

Mirificè capitis & neruorum morbis frigidis

succurrit, vehementer enim calefacit & exiccat. Autor eius compositionis Mesue.

VVLPINVM.

Morbis neruorum & articulorum frigidis aduersatur, itemq; renum & dorsi doloribus. Compositionem tradit Mesue.

RAPHANINVM.

Phthiriases valetudine contractas finit, scabrities cutis in facie discutit. Compositionem habet Actuarius.

RICININVM.

Hodie oleum è cherua vocant. Prodest psoris, vlceribus capitis erumpentibus, sedis inflammationibus, vuluis quæ occlusæ conuersæq; strangulant, cicatricibus fœdis, aurium doloribus. Potu aluum ciet quæ aquis grauatur: lumbricos eiicit. Compositionem docent Paulus & Actuarius. Oleum e cherua.

OLEVM E SCORPIONIBVS.

Lapidem in renibus & vesica conterit iniectum & extrinsecus illitum. Compositio est apud Mesuen.

E VITELLIS OVORVM.

Exterit faciei cutem, impetiginem sanat: fistulis, & prauis vlceribus, doloribus dentium & aurium succurrit. Compositionem require à Mesue.

E LATEBRIBVS.

Calefacit discutit. Comitiali morbo, vertigini, obliuioni, resolutioni, dolori lienis, renum, vesicę, & vteri morbis neruorum à frigiditate excitatis, doloribus dorsi articulorumq; medetur: vrinam ciet. Compositionis autor Mesue.

De unguentis.

Vnguentũ aregon cur dictũ.

VNGVENTVM AREGON.

Non arragon, vt barbari loquũtur, sed aregon quasi iuuans, à verbo ἀρήγω, quod adiuuo significat. Prodest malis corporis frigidis, conuulsionibus, resolutionibus partium: item dolori colico, renum, articulorumq́; . Compositio est apud Nicolaum.

MARTIANVM.

Dictum esse puto, non martiatum, à Martiano eius inuentore. Aduersus frigida corporis mala, resolutionem, coxendicem, nephritin, conuulsiones, & id genus alia valet. Tumores reprimit, durities emollit, liuoremq́; cutis emendat. Compositionis autor Nicolaus.

AGRIPPÆ.

Hydropicis, omnibusq́; corporis œdematis succurrit. Neruorum mala sanat, vrinam mouet, extrinsecus illitum ventrem subducit, doloriq́; renũ vtile, Idem Nicolaus docet compositionem.

Vnguentum fuscum.

FLAVVM.

Nicolaus fuscum vocat. Sanandi vim habet & extrahendi. Actuarius compositionem tradit.

ÆGYPTIACVM.

Confert ad vulnera antiqua, fistulasq́; extergit: carnis excrescentiæ medet̃, vehemẽterq́; exiccat.

Vnguentum album.

CERVSSATVM.

Sic dictum quod è cerussa fiat. Nostri album cum cerussa nominant. Pollet aduersus vlcera, scabiem, & adustionem. Compositionem docet Actuarius.

EX ALTHAEA.

Emolliendi vim habet, calefacit & humectat.

Eius compositionem tradit Nicolaus.

POPVLEON.

Contra nimium calorem valet, & temporibus illitum somnum conciliat. Nicolaus autor est compositionis.

CITRINVM.

Faciei maculas emendat, scabiem in quacunque corporis parte exterit, cicatrices extenuat, ruborē oculorum aufert, & ea quæ aspera sunt leuigat. Compositio est apud Nicolaum.

De linimentis. Cap. II.

Linimentorū compositio.

Linimenta ex iisdem ferè rebus quibus vnguēta, cera duntaxat dempta, componuntur. Siquidem cum oleis, aliisq; liquoribus in vnguentorum consistentiam, paulò tamen molliorem ac liquidiorem, coëunt: id quod ex formulis abunde cognoscent studiosi, quæ accipiunt.

I.

Oleorum chamæmelini, anethini, liliacei — singulorum ℥.iii.
è semine lini ℥.ii.
Adipis gallinæ, anatis — sing. ℥.i.
Nigillæ, Seminum althææ — sing. ℥.S.
Commistis omnibus formetur linimentum.

II.

Oleorum costini ℥.i.
vulpini, ex euphorbio — singulorum ℥.S.
Vini stillatitii ℥.i.S.
Succi verbasculi odorati, saluiæ — sing. ℥.S.

Radicis acori ʒ.ii.
Sticadis ʒ.i.S.
Florum rosmarini ʒ.i.
Piperis }
Pyrethri } sing. ℈.ii.
Euphorbii ℈.i.
Radicis pæoniæ }
Hermodactylorum } sing ℈.S.
Tusis & cribratis speciebus fiat linimentum.

III.

Linimentum compositio.

Oleorũ vulpini ℥.i.
costini }
amygdal. amararũ } sing. ℥.S.
Pinguetudinis anatis }
anseris }
taxi } singul. ʒ.i.S.
Butyri recentis ℥.S.
Stactæ ʒ.ii.
Commistis singulis, fingãtur linimentum.

De emplastris. Cap. III.

Emplastra vt cõponuntur.

MEdicamenta quæ hodie emplastra dicuntur, ex herbis, floribus, radicibus, speciebus, oleis aut liquoribus commixtis vnaq; cõctis cõponuntur. Species non in tenuissimum pollinem, vt in vnguentis rediguntur, sed leuiter cõtunduntur, atq; adeo in paulò crassiorem puluerem teruntur. Obseruant magna ex parte in cõponendis emplastris medici, vt iam cõmemoratorũ rerum manus plenæ fasciculo ℥.i. aut ℥.i.S. oleorum, pinguedinum, liquorumq; adiiciant. Sunt qui hoc tempore cum vnguentis & cerotis emplastra confundant: ideo rectè facerent medici, si in his omnibus cõponendis Græcorum præcepta sequerẽtur. Ex quibus vero medicamẽtis illi emplastra

confecerint, copiose tradit Paulus lib. 7. cap. 18 vbi etiam varium eorundem vsum docet. Ex hoc igitur, qui volent, rectam componendi emplastrorum rationem discant: nos vsitatam tantum hodie formam monstrabimus, aliquot formulis productis, quæ accipiunt I.

Maluæ }
Althææ } sing. M. i. S.
Florum chamæmeli }
meliloti } sing. M. i.
Radicis althææ ℥. S.
Contusa bulliant in aqua fontana donec in crassitudinem iustam coëant, dein adiectis
Oleorum chamæmelini ℥. i. S.
liliacei ℥. ii
Bulliant denuo & informetur emplastrum.

II.

Florum verbasci }
anethi } sing. M. i. S.
chamæmeli }
Seminum lini }
fœnigræci } singulorum ʒ. ii.
meliloti }
Contusa ebulliant in aqua dum in mellis crassitudinem coëant postea additis
Oleorum anethini }
chamæmelini } singulorum quod satis est.
Ebulliant iterum, fingaturq; emplastrum.

Plures alias emplastrorum formulas studiosi è medendi ratione nostra petent.

Cæterum cõposito emplastro proximũ erit, vt linteolo illitũ affectæ parti adhuc calidũ admoueat. Reliquũ est vt emplastrorũ quæ in officinis cõposita habentur nomina & facultates explicemus.

EMPLASTRVM DIACHYLON.

Diaquilon barbari vocant.

Hoc est, è succis Pollet aduersus duritiem, iecinoris potissimum & lienis: item tumores duros reliquarum partium corporis, & strumas discutit. Compositio est apud Paulum.

E MELILOTO.

Emollit omnem duritiem quæ in iecinore, liene, & ventriculo existit. Dolorem item vehementer sedat, hypochondriaq; tensa sanat. Compositionem docet Mesue.

OXYCROCEVM.

Prodest ossibus fractis, item partibus quæ dolore aliquo affliguntur: duritiem deniq; omnem emollit & discutit. Compositio traditur à Nicolao.

APOSTOLICVM.

Vox hæc, vt opinor, deprauata est, pro eaq; legendum vel ἀρχικόν, hoc est, principale emplastrum: vel, quod magis arridet, πόνον λυτικόν, id est, dolores leuans: vel simpliciter ἄκοπον, hoc est, lassitudinem discutiens. Valet ad dolores ceruicis potissimum ac renum, sagittas ac surculos corpori infixos extrahit, vnde etiam ἐπισπαστικόν dici potuit. Autor compositionis Nicolaus.

De cataplasmatis. Cap. IIII.

Cataplasma quid.

Cataplasma pleriq; hodie cum emplastro cōfundunt: proprie tamen ea voce vtentes medici vocant cataplasma quod è plantis viridibus contusis, vel iisdem ad mollitudinem vsq; in aqua decoctis componitur. Eaq; ratione ab emplastro, cui post ebullitionem herbarum factam oleum adiicitur, differt. Formulis res ipsa certius deprehendetur, quę recipiunt

I.

Plantaginis vtriusq;
Polygoni
Bursæ pastoriæ
Numulariæ
Saniculæ
Consolidæ mediæ } sing. viridium M. 1. S.

Contusis omnibus fingatur cataplasma.

II.

Radicis althææ ℥. 1.
Maluæ
Chamæmeli sing. M. 1.
Foliorum althææ
violæ purpureæ } sin. g M. 1.
Seminis fœnigręci
lini } sing. ℥. ii.

Bulliant in aqua donec mollescant, dein contundantur & informetur cataplasma.

Cæterum cum varie vti liceat cataplasmatis calefacientia tamen & discutientia hypochondriis, nisi antea vacuato toto corpore, adhiberi minime debent. Attrahunt enim hæc ipsa instar cucurbitulæ totius corporis excrementa.

De ceratis. Cap. V.

Ceratum quid.

CEratum, quod à cera apud veteres nomen habuit, hodie medicamentū est quod ex speciebus paulo crassioribus & oleis cōponitur, & cū cera aut resina terebinthina, aut vtrisq; simul, in solidiorē cōsistentiā coit. In eius cōpositione idē quod in vnguētis pondus nōnulli obseruāt medici, vt scilicet vnciæ vni oleorum drachma vna, aut ℥. 1. S. speciesq; rñdeant. Effingunt quoq; sic cerata, vt eorundem figura parti cui admouent similis sit. Quod enim vētriculo adhibetur, scuti formam

Ceratorū compositio.

Forma ceratorum.

obtinere debet: quod iecinori apponitur, iecinoris, quod lieni, lienis. Acu etiam transuersum transmisso, quod barbari hodie medici vocant interpassare, consuuntur. Nunc formulis quę diximus planiora reddemus, quæ accipiunt

Interpassare.

I.

Cinnamomi selecti, Garyophyllorum } sing. ʒ. i.
Galangæ, Maceris } sing. ʒ. S.
Nucis moschatæ ℈. ii.
Calami odorati ʒ. i.
Xyloaloes ℈. i.
Galliæ moschatæ, Balaustiorum } singulorũ ʒ. S.
Rosarum purpurearum ʒ. ii.
Mastiches, Ladani } sing. ʒ. i.
Oleorum mastichini, è mentha } singulorum ℥. i. S.
rosacei ℥. S.

Cum cera & resina terebinthina quod satis est iformetur ceratum ventriculo adhibendum, & serico obducatur.

II.

Oleorum irini ℥. i. S.
liliacei, nardini } sing. ℥. i.
Nucis moscatæ, Radicis calami odorati, Cinamomi } singulorum ʒ. i.
Artemisiæ, Abrotoni, Saluiæ } sing. ʒ. i. S.

Opopanacis } sing. ʒ. ii.
Serapini

Dissolutis gummi in vino cum cera quod satis est fingatur ceratum vtero admouendum.

De dropace. Cap. VI.

ETsi dropacis hoc tempore nullus sit vsus, tamen cum veteres tum medici tum etiam poetæ huius crebro mentionem faciunt, huius compositionem breuiter docebimus. Eisdem autem duplex fuit. Simplicissimus ex sicca pice paucissimo oleo liquata constabat, quam calidam adhuc toti corpori, aut certis aliquando partibus prius tamen derasis illinebant ac ita agglutinari sinebant. Hunc alio nomine πίττωσιν græcè, picationem vero latinè appellauerunt. Vsus huius in totius corporis, aut eiusdem partium extenuatione erat. Humectat enim, calefacit, ac sanguinis copiam allicit, atq; adeo amissam carnem reparat, extenuatosq; reficit. Adhibebant etiam iis qui crebro vomebant, & qui cruditatem patiebantur, atq; affectus cœliacos. Cæterum dropacem hunc antequam exactè frigescebat, auellebant, ac subinde igne rursus calefactum admouebant. & similiter vt antea priusquam frigesceret auellebant, atq; id subinde repetebant. Dropax autem compositus medicamenti forma fuit, quæ interdum ad emplastri, interdum ad malagmatis similitudinem præparabatur, calidaq; illinebatur. Materia vero ex qua componebatur, emplastris, vt diximus, & acopis confinis erat. Cataplasmatis vero vice in diuturnis malis adhibebant, & ante sinapismum, de quo paulo post dicemus, vt corpus ad sinapi præpararetur: & post sinapismum, vt affectus reliquias discuteret. Quod si plura de dropacis ratione scire

Dropax veteribus duplex.

Simplicissimus

πίττωσις.

Picatio.

Vsus picationis.

Compositus dropax.

Materia.

Vsus.

desideras, lege quæ scribuntur à Paul. lib. 7. ca. 17. & Aëtio lib. 3. ca. 190. vbi etiam formulas quasdã dropacis reperies.

De sinapismo. Cap. VII.

Sinapismus quid.
Componendi eius ratio.

Sinapismum veteres, Aëtio lib. 3. cap. 191. teste, vocarunt cataplasma ex sinapi. Eius conficiendi is modus fuit. Caricas pridie in aqua tepida macerabant, die proxima strenue exprimẽtes valenter leuigabant, deinde acre sinapi priuatim conterebant, atq; inter terendum dilutum caricarum affundentes, massamq́; facientes miscebant. Et si quidem vehementem sinapismum inducere volebant, partes duas sinapis cum vna caricarum temperabant: sin imbecillem, contrario: si mediocrem, æquales vtriusq; portiones accipiebant. Imponitur autem sinapismus vbi ex alto ad superficiem extrahere volumus: ideoq́; alicui parti admotus, non amouetur dum cutem exulcerat, aut cruento colore suffundat. Hinc est quod hodie eiusmodi emplastra à nostris rubificantia vocentur. Vsus sinapismi & rubificantium in diuturnis potissimum passionibus, vbi reliqua præsidia non suffecerint, efficacissimus est. Maxime vero prodest capitis dolori, hemicraniæ, morbo comitiali, vertiginibus, insaniæ, capiti admotus. Thoraci autem in asthmate, orthopnœa, tussi diuturna. Porrò in destillatione, & caput & thorax sinapismo illinendus. Stomachus etiam & ventriculus in longis ipsorum passionibus sinapismo obducuntur. Conueniens quoq; præsidium ischiadicis, podagricis, & omni parti resolutæ, aut alio quodam modo sic refrigeratæ vt difficulter calefieri queat. Præterea in acutis passionibus, vtpote lethargo, cataphora, & catocho, sinapismus inducitur, initio

Sinapismi vsus

Rubificantia emplastra.

equidem cruribus, vbi vero materia radices egerit ac firmabitur, capiti. Cæterum modus actionis me dicamenti aliquis esto: quare tunc profecisse satis id putato, vbi dolor subsecutus fuerit vehemens, & caro liuidior altiorq; euaserit, & postquã ablutum fuerit, pustulę mitius eruperint. Quod si etiã sensus perierit, animum adhibere oportet, partę quã obliueris sæpius detecta: quia si vel immodice adurantur ita affecti, tamen non sentiũt. Porro si dolor vehemẽs ruborq; accesserit & pustulæ, linteolũ succo maluæ, aut fœnigræci cũ rosacco madefactũ imponemus. Dein rosaceo cerato cũ ceruſſa vtemur. In his autẽ qui cõtinua febre laborãt, vlcusq; habent, tum in cartilaginosis, tum locis ex carnibus, vitari debet sinapismus. Vlcera enim efferuntur, nimiaq; acrimonia exacerbantur: partes vero carnib. vacuæ si obducantur sinapismo, vruntur, interdum etiam nigrescunt. Nũc formulã emplastri rubificantis subiiciemus, quæ accipit

Modus actionis sinapismi.

Olei costini ℥. i.
è castorio } singulorum ℥. ii. S.
euphorbio
Sinapis ℥. ii.
Castorei ʒ. i.
Sagapeni ʒ. i. S.
Euphorbii ℈. i.
Aceti ℥. i. S.

Cum cera quod satis est, ad emplastri consistentiam coëant.

De epithematis. Cap. VIII.

Epithemata veteribus, Paulo libro. 7. ca. 18. teste, pprie vocabãtur malagmata quæ medijs corporis partibus, ventriculo verbi gratia,

Epithemata proprie.

Epithemata generatim. iecinori, lieni, & eiusmodi admouebantur. Generatim tamen quæ aliis etiam imponebantur partibus epithemata nuncupabantur. Hodie epithemata, diuersa quàm olim ratione, è stillatitiis liquoribus, adiectis speciebus aliquot, componuntur. Sic autem ea magna ex parte miscent, vt libræ vni liquorum, ʒ.i.S. aut duæ specierum respondeant. Raro aliis, præter iecur & cor, partibus adhibent hodie epithemata. His quæ cordi admouentur, aliquid vini optimi & croci miscent: iis vero quę iecinori, aceti parum, vt nimirum ad iecur ac corporis interiora vim medicamentorum deducant. Modum vero in illis miscendis eum seruant, vt libræ liquorum vnciam vnam vini, & aceti semunciam adiiciant. E croco sat erit aliquot grana permiscere. Cęterum qui recte vti epithematib. iis quæ vẽtriculo & iecinori admouentur voluerit, is nunq̃ non adstringentia illis misceat medicamenta, quę robur aliquod partibus istis addant. Sine enim iis vitæ aliquot discrimen intulerit, cum illa communia sint alimenti instrumenta. Quamobrem eiusmodi medicamenta ex aromatis potissimum conficiuntur. Nunc epithematum aliquot formulas subiiciemus, quæ accipiunt

Epithematum componẽdi ratio vsitata.

Epithemata cordis. Iecinoris.

Modus miscẽdorum epithematum.

1.

Liquoris stillatitii buglossi, rosarum, melissophylli } sing. ℥.iii.S.
oxalidis ʒ.i.S.
Specierum antidoti è gemmis ʒ.i.
Ligni aloës, Ramentorum eboris, Corticum mali citri, Ossis cordis ceruini } singulorum ℈.S.

Vini

Vini optimi ℥.I.
Croci gr.vi.
Commistis omnibus fiat epithema.

II.

Liquoris stillatitii intybi vtriusq; } sing.℥.ii.
cichorii
lactucæ
absinthii
Liquoris stillatitii oxalidis ℥.iii.
solani ℥.I.
Aceti ℥.S.
Specierum antidoti diarhodon Abbatis ʒ.I.
diatrionsantalon ℈.I.
Santalorum rub.ʒ.S.
Mistis omnibus formetur epithema.

Vsus epithematum is est. Calefacta primũ vbi fuerint, in iis panni lanei intinguntur, ac madefacti, subinde leniter expressi, loco toties admouentur, quoties necessitas ipsa requiret. Vsus epithematum.

De embrochis. Cap. IX.

EMβροχὴ vox Latinis irrigationẽ sonat: estq; proprie vbi ex alto pluuiæ instar in partem aliquam fit destillatio: à verbo βρέχω, quod pluo ac irrigo significat. Vtimur iis in capitis malis, aliarumq; partium fracturis & contusionibus. Cõponit embrocha ex herbis, radicibus, seminibus, floribus, & id genus aliis decoctis in aqua aut vino. Adiiciunt autem magna ex parte ad M.ii. plãtarum, liquorum libram vnam, atq; quoad medietas absumatur decoquunt. Vsus decocti esse debet dum adhuc calet. Formulis aliquot propositis res tota planior fiet. ἐμβροχὴ. βρέχω.

eſt. Humores ſiquidem craſſos extenuat, obſtru/ ctionesq; tollit. Compoſitio petenda ab Actuario.

MASTICHINVM.

Leuiter calfacit, ſed plus adſtringit: cœliacis, ſtomachicis, dyſentericisq; habetur ſalutare. Vitia quæ ſunt in facie illitum delet, & colorem cutis commendat. Compoſitionem docent Actuarius & Paulus.

ABSINTHINVM.

Calefacit ac roborat ea quæ ſunt refrigerata, potiſſimum vero vetriculum. Excitat appetentiã, obſtructiones aufert, lumbricosq; enecat. Compoſitio eſt apud Meſuen.

LEVCOIINVM.

Oleum cheir. Barbari oleum è cheiri vocant. Dolores neruorum, aliarumq; partiũ corporis mitigat, eaq; quæ in thorace, renibus & veſica ſunt diſcutit. Compoſitionem habet Meſues.

MENTHACEVM.

Ventriculum refrigeratum & imbecillum calefacit, firmat, nauſeam, vomitumq; reprimit, appetentiam excitat, coctionemq; iuuat. Compoſitionẽ docet Meſue.

NARDINVM.

Omnibus morbis frigidis & à flatuũ copia excitatis prodeſt dolori item capitis, & hemicraniç. Compoſitio eſt apud Meſuen.

COSTINVM.

Calefacit ac roborat neruos, ventriculo & iecinori prodeſt capillos fouet, canitiemq; remoratur. colorem deniq; & odorem corporis bonum efficit. Compoſitionem tradit Meſue.

EVPHORBINVM.

Mirificè capitis & neruorum morbis frigidis

succurrit, vehementer enim calefacit & exiccat. Autor eius compositionis Mesue.

VVLPINVM.

Morbis neruorum & articulorum frigidis aduersatur, itemq́, renum & dorsi doloribus. Compositionem tradit Mesue.

RAPHANINVM.

Phthiriases valetudine contractas finit, scabrities cutis in facie discutit. Compositionem habet Actuarius.

RICININVM.

Hodie oleum è cherua vocant. Prodest psoris, vlceribus capitis erumpentibus, sedis inflammationibus, vuluis quæ occlusæ conuersæq; strangulant, cicatricibus fœdis, aurium doloribus. Potu aluum ciet quæ aquis grauatur: lumbricos eiicit. Compositionem docent Paulus & Actuarius. Oleum è cherua.

OLEVM E SCORPIONIBVS.

Lapidem in renibus & vesica conterit iniectum & extrinsecus illitum. Compositio est apud Mesuen.

E VITELLIS OVORVM.

Exterit faciei cutem, impetiginem sanat: fistulis, & prauis vlceribus, doloribus dentium & aurium succurrit. Compositionem require à Mesue.

E LATEBRIBVS.

Calefacit discutit. Comitiali morbo, vertigini, obliuioni, resolutioni, dolori lienis, renum, vesicę, & vteri morbis neruorum à frigiditate excitatis, doloribus dorsi articulorumq; medetur: vrinam ciet. Compositionis autor Mesue.

De unguentis.

Vnguentũ aregon cur dictũ.

VNGVENTVM AREGON.

Non arragon, vt barbari loquũtur, sed aregon quasi iuuans, à verbo ἀρήγω, quod adiuuo significat. Prodest malis corporis frigidis, conuulsionibus, resolutionibus partium: item dolori colico, renum, articulorumq́;. Compositio est apud Nicolaum.

MARTIANVM.

Dictum esse puto, non martiatum, à Martiano eius inuentore. Aduersus frigida corporis mala, resolutionem, coxendicem, nephritin, conuulsiones, & id genus alia valet. Tumores reprimit, durities emollit, liuoremq́; cutis emendat. Compositionis autor Nicolaus.

AGRIPPÆ.

Hydropicis, omnibusq́; corporis oedematis succurrit. Neruorum mala sanat, vrinam mouet, extrinsecus illitum ventrem subducit, doloriq́; renũ vtile. Idem Nicolaus docet compositionem.

FLAVVM.

Vnguentum fuscum.

Nicolaus fuscum vocat. Sanandi vim habet & extrahendi. Actuarius compositionem tradit.

ÆGYPTIACVM.

Confert ad vulnera antiqua, fistulasq́; extergit: carnis excrescentiæ medet, vehemẽterq́; exiccat.

CERVSSATVM.

Vnguentum album.

Sic dictum quod è cerussa fiat. Nostri album cum cerussa nominant. Pollet aduersus vlcera, scabiem, & adustionem. Compositionem docet Actuarius.

EX ALTHAEA.

Emolliendi vim habet, calefacit & humectat.

Eius compositionem tradit Nicolaus.

POPVLEON.

Contra nimium calorem valet, & temporibus illitum somnum conciliat. Nicolaus autor est compositionis.

CITRINVM.

Faciei maculas emendat, scabiem in quacunque corporis parte exterit, cicatrices extenuat, ruborē oculorum aufert, & ea quæ aspera sunt leuigat. Compositio est apud Nicolaum.

De linimentis. Cap. II.

Linimentorū compositio.

Linimenta ex iisdem ferè rebus quibus vnguenta, cera duntaxat dempta, componuntur. Siquidem cum oleis, aliisq; liquoribus in vnguentorum consistentiam, paulo tamen molliorem ac liquidiorem, coëunt: id quod ex formulis abunde cognoscent studiosi, quæ accipiunt.

I.

Oleorum chamæmelini, anethini, liliacei } singulorum ℥.iii.
è semine lini ℥.ii.
Adipis gallinæ, anatis } sing. ℥.i.
Nigillæ, Seminum althææ } sing. ℥.S.
Commistis omnibus formetur linimentum.

II.

Oleorum costini ℥.i.
vulpini, ex euphorbio } singulorum ℥.S.
Vini stillatitii ℥.i.S.
Succi verbasculi odorati, saluiæ } sing. ℥.S.

Radicis acori ʒ.ii.
Sticadis ʒ.i.S.
Florum rosmarini ʒ.i.
Piperis
Pyrethri } sing. ℈.ii.
Euphorbii ℈.i.
Radicis pæoniæ
Hermodactylorum } sing ℈.S.
Tusis & cribratis speciebus fiat linimentum.

III.

Oleorū vulpini ℥.i.
costini
amygdal. amararū } sing. ℥.S.
Pinguetudinis anatis
anseris
taxi } singul. ʒ.i.S.
Butyri recentis ℥.S.
Stactæ ʒ.ii.
Commistis singulis, fingātur linimentum.

De emplastris. Cap. III.

Emplastra vt cōponuntur.

Medicamenta quæ hodie emplastra dicuntur, ex herbis, floribus, radicibus, speciebus, oleis aut liquoribus commixtis vnaque coctis cōponuntur. Species non in tenuissimum pollinem, vt in vnguentis rediguntur, sed leuiter cōtunduntur, atque adeo in paulo crassiorem puluerem teruntur. Obseruant magna ex parte in cōponendis emplastris medici, vt iam cōmemoratorū rerum manus plenæ fasciculo ʒ.i. aut ʒ.i.S. oleorum, pinguedinum, liquorumque adiiciant. Sunt qui hoc tempore cum vnguentis & cerotis emplastra confundant: ideo recte facerent medici, si in his omnibus cōponendis Græcorum præcepta sequerētur. Ex quibus vero medicamētis illi emplastra

confecerint, copiose tradit Paulus lib. 7. cap. 18 vbi etiam varium eorundem vsum docet. Ex hoc igitur, qui volent, rectam componendi emplastrorum rationem discant: nos vsitatam tantum hodie formam monstrabimus, aliquot formulis productis, quæ accipiunt I.

Maluæ
Althææ } sing. M. i. S.
Florum chamæmeli
meliloti } sing. M. i.
Radicis althææ ℥. S.
Contusa bulliant in aqua fontana donec in crassitudinem iustam coëant, dein adiectis
Oleorum chamæmelini ℥. i. S.
liliacei ℥. ii
Bulliant denuo & informetur emplastrum.

II.

Florum verbasci
anethi
chamæmeli } sing. M. i. S.
Seminum lini
fœnigræci
meliloti } singulorum ʒ. ii.
Contusa ebulliant in aqua dum in mellis crassitudinem coëant postea additis
Oleorum anethini
chamæmelini } singulorum quod satis est.
Ebulliant iterum, fingaturq; emplastrum.

Plures alias emplastrorum formulas studiosi è medendi ratione nostra petent.

Cæterum cõposito emplastro proximũ erit, vt linteolo illitũ affectæ parti adhuc calidũ admoueat. Reliquũ est vt emplastrorũ quæ in officinis cõposita habentur nomina & facultates explicemus.

EMPLASTRVM DIACHYLON.

Diaquilon barbari vocant.

Hoc est, è succis. Pollet aduersus duritiem, iecinoris potissimum & lienis: item tumores duros reliquarum partium corporis, & strumas discutit. Compositio est apud Paulum.

E MELILOTO.

Emollit omnem duritiem quæ in iecinore, liene, & ventriculo existit. Dolorem item vehementer sedat, hypochondriaq; tensa sanat. Compositionem docet Mesue.

OXYCROCEVM.

Prodest ossibus fractis, item partibus quæ dolore aliquo affliguntur: duritiem deniq; omnem emollit & discutit. Compositio traditur à Nicolao.

APOSTOLICVM.

Vox hæc, vt opinor, deprauata est, pro eaq; legendum vel ἀρχικόν, hoc est, principale emplastrum: vel, quod magis arridet, πόνον λυτικόν, id est, dolores leuans: vel simpliciter ἄκοπον, hoc est, lassitudinem discutiens. Valet ad dolores ceruicis potissimum ac renum, sagittas ac surculos corpori infixos extrahit, vnde etiam ἐπισπαστικόν dici potuit. Autor compositionis Nicolaus.

De cataplasmatis. Cap. IIII.

Cataplasma quid.

Cataplasma pleriq; hodie cum emplastro cōfundunt: proprie tamen ea voce vtentes medici vocant cataplasma quod è plantis viridibus contusis, vel iisdem ad mollitudinem vsq; in aqua decoctis componitur. Eaq; ratione ab emplastro, cui post ebullitionem herbarum factam oleum adiicitur, differt. Formulis res ipsa certius deprehendetur, quę recipiunt

I.

Plantaginis vtriusq;
Polygoni
Bursæ pastoriæ
Numulariæ
Saniculæ
Consolidæ mediæ
} sing. viridium M. I. S.

Contusis omnibus fingatur cataplasma.

II.

Radicis althææ ℥. I.
Maluæ
Chamæmeli } sing. M. I.
Foliorum althææ
violæ purpureæ } sin. g M. I.
Seminis fœnigræci
lini } sing. ℥. ii.

Bulliant in aqua donec mollescant, dein contundantur & informetur cataplasma.

Cæterum cum varie vti liceat cataplasmatis calefacientia tamen & discutientia hypochondriis, nisi antea vacuato toto corpore, adhiberi minime debent. Attrahunt enim hæc ipsa instar cucurbitulæ totius corporis excrementa.

De ceratis. Cap. V.

CEratum, quod à cera apud veteres nomen habuit, hodie medicamentū est quod ex speciebus paulo crassioribus & oleis cōponitur, & cū cera aut resina terebinthina, aut vtrisq; simul, in solidiorē consistentiā coit. In eius cōpositione idē quod in vnguētis pondus nōnulli obseruāt medici, vt scilicet vnciæ vni oleorum drachma vna, aut ℥. I. S. species rñdeant. Effingunt quoq; sic cerata, vt eorundem figura parti cui admouent similis sit. Quod enim vētriculo adhibetur, scuti formam

Ceratum quid.

Ceratorū cōmpositio.

Forma ceratorum.

obtinere debet: quod iecinori apponitur, iecino-ris, quod lieni, lienis. Acu etiam transuersum transmisso, quod barbari hodie medici vocant interpassare, consuuntur. Nunc formulis quę diximus planiora reddemus, quæ accipiunt

Interpassare.

I.

Cinnamomi selecti } sing. ʒ. i.
Garyophyllorum
Galangæ } sing. ʒ. S.
Maceris
Nucis moschatæ ℈. ii.
Calami odorati ʒ. i.
Xyloaloes ℈. i.
Galliæ moschatæ } singulorũ ʒ. S.
Balaustiorum
Rosarum purpurearum ʒ. ii.
Mastiches } sing. ʒ. i.
Ladani
Oleorum mastichini } singulorum ℥. i. S.
è mentha
rosacei ℥. S.

Cum cera & resina terebinthina quod satis est ut formetur ceratum ventriculo adhibendum, & serico obducatur.

II.

Oleorum irini ℥. i. S.
liliacei } sing. ℥. i.
nardini
Nucis moscatæ } singulorum ʒ. i.
Radicis calami odorati
Cinamomi
Artemisiæ } sing ʒ. i. S.
Abrotoni
Saluiæ

Opopanacis }
Serapini } sing.ʒ.ii.

Dissolutis gummi in vino, cum cera quod satis est fingatur ceratum vtero admouendum.

De dropace. Cap. VI.

Etsi dropacis hoc tempore nullus sit vsus, tamen cum veteres tum medici tum etiam poetæ huius crebro mentionem faciunt, huius compositionem breuiter docebimus. Eisdem autem duplex fuit. Simplicissimus ex sicca pice paucissimo oleo liquata constabat, quam calidam adhuc toti corpori, aut certis aliquando partibus, prius tamen derasis illinebant ac ita agglutinari sinebant. Hunc alio nomine πίττωσιν græcè, picationem vero latinè appellauerunt. Vsus huius in totius corporis, aut eiusdem partium extenuatione erat. Humectat enim, calefacit, ac sanguinis copiam allicit, atq; adeo amissam carnem reparat, extenuatosq; reficit. Adhibebant etiam iis qui crebro vomebant, & qui cruditatem patiebantur, atq; affectus cœliacos. Cæterum dropacem hunc antequam exacte frigescebat, auellebant, ac subinde igne rursus calefactum admouebant, & similiter vt antea priusquam frigesceret auellebant, atq; id subinde repetebant. Dropax autem compositus medicamenti forma fuit, quæ interdum ad emplastri, interdum ad malagmatis similitudinem præparabatur, calidaq; illinebatur. Materia vero ex qua componebatur, emplastris, vt diximus, & acopis confinis erat. Cataplasmatis vero vice in diuturnis malis adhibebant, & ante sinapismum, de quo paulo post dicemus, vt corpus ad sinapi præpararetur: & post sinapismum, vt affectus reliquias discuteret. Quod si plura de dropacis ratione scire

Dropax veteribus duplex.
Simplicissimus
πίττωσις.
Picatio.
Vsus picationis.
Compositus dropax.
Materia.
Vsus.

desideras,lege quæ scribuntur à Paul.lib.7.ca.17. & Aetio lib.3.ca.190.vbi etiam formulas quasdã dropacis reperies.

De sinapismo. Cap. VII.

Sinapismus quid.

Componendi eius ratio.

Sinapismum veteres, Aetio lib.3.cap.191.teste,vocarunt cataplasma ex sinapi. Eius conficiendi is modus fuit. Caricas pridie in aqua tepida macerabant, die proxima strenue exprimẽtes valenter leuigabant, deinde acre sinapi priuatim conterebant,atq; inter terendum dilutum caricarum affundentes, massamq; facientes miscebant. Et si quidem vehementem sinapismum inducere volebant,partes duas sinapis cum vna caricarum temperabant: sin imbecillem,contrario: si mediocrem,æquales vtriusq; portiones accipiebant. Imponitur autem sinapismus vbi ex alto ad superficiem extrahere volumus: ideoq; alicui parti admotus, non amouetur dum cutem exulcerat, aut cruento colore suffundat. Hinc est quod hodie eiusmodi emplastra à nostris rubificantia vocentur. Vsus sinapismi & rubificantium in diuturnis potissimum passionibus,vbi reliqua præsidia non suffecerint,efficacissimus est. Maxime vero prodest capitis dolori,hemicraniæ,morbo comitiali,vertiginibus,insaniæ, capiti admotus. Thoraci autem in asthmate, orthopnœa,tussi diuturna. Porro in destillatione,& caput & thorax sinapismo illinendus. Stomachus etiam & ventriculus in longis ipsorum passionibus sinapismo obducuntur. Conueniens quoq; præsidium ischiadicis, podagricis, & omni parti resolutæ,aut alio quodam modo sic refrigeratæ vt difficulter calefieri queat. Præterea in acutis passionibus, vtpote lethargo, cataphora, & catocho,sinapismus inducitur initio

Sinapismi vsus

Rubificantia emplastra.

equidem cruribus, vbi vero materia radices egerit ac firmabitur, capiti. Cæterum modus actionis medicamenti aliquis esto: quare tunc profecisse satis id putato, vbi dolor subsecutus fuerit vehemens, & caro liuidior altiorq; euaserit, & postquã ablutum fuerit pustulę mitius eruperint. Quod si etiã sensus perierit, animum adhibere oportet, partę quã oblivieris sæpius detecta: quia si vel immodice adurantur ita affecti, tamen non sentiũt. Porro si dolor vehemẽs ruborq; accesserit & pustulæ, linteolũ succo maluæ, aut fœnigræci cũ rosacco madefactũ imponemus. Dein rosaceo cerato cũ cerussa vtemur. In his autẽ qui cõtinua febre laborãt, vlcusq; habent, tum in cartilaginosis, tum locis ex carnibus, vitari debet sinapismus. Vlcera enim efferuntur, nimiaq; acrimonia exacerbantur: partes vero carnib. vacuæ si obducantur sinapismo, vruntur, interdum etiam nigrescunt. Nũc formulã emplastri rubificantis subiiciemus, quæ accipit

Modus actionis sinapismi.

Olei costini ℥.i.
è castorio } singulorum ℥.ii. S.
euphorbio }
Sinapis ℥.ii.
Castorei ℥.i.
Sagapeni ℥.i. S.
Euphorbii ℈.i.
Aceti ℥.i. S.

Cum cera quod satis est, ad emplastri consistentiam coeant.

De epithematis. Cap. VIII.

Epithemata veteribus, Paulo libro. 7. ca. 18. teste, ꝓprie vocabãtur malagmata quæ medijs corporis partibus, ventriculo verbi gratia,

Epithemata proprie.

Epithemata generatim.

iecinori, lieni, & eiusmodi admouebantur. Generatim tamen quæ aliis etiam imponebātur partibus epithemata nuncupabantur. Hodie epithemata, diuersa quàm olim ratione, è stillatitiis liquoribus, adiectis speciebus aliquot, componuntur. Sic autem ea magna ex parte miscent, vt libræ vni liquorum, ℥.i.S. aut duæ specierum respondeant. Raro aliis, præter iecur & cor, partibus adhibent hodie epithemata. His quæ cordi admouentur, aliquid vini optimi & croci miscent: iis vero quę iecinori, aceti parum, vt nimirum ad iecur ac corporis interiora vim medicamentorum deducant. Modum vero in illis miscendis eum seruant, vt libræ liquorum vnciam vnam vini, & aceti semunciam adiiciant. E croco sat erit aliquot grana permiscere. Cęterum qui recte vti epithematib. iis quæ vẽtriculo & iecinori admouentur voluerit, is nunq̃ non adstringentia illis misceat medicamenta, quę robur aliquod partibus istis addant. Sine enim iis vitæ aliquot discrimen intulerit, cum illa communia sint alimenti instrumenta. Quamobrem eiusmodi medicamenta ex aromatis potissimum conficiuntur. Nunc epithematum aliquot formulas subiiciemus, quæ accipiunt

Epithematum componēdi ratio vsitata.

Epithemata cordis.
Iecinoris.

Modus miscēdorum epithematum.

1.

Liquoris stillatitii buglossi
rosarum
melissophylli } sing. ℥.iii.S.
oxalidis ℥.i.S.
Specierum antidoti è gemmis ℥.i.
Ligni aloës
Ramentorum eboris
Corticum mali citri
Ossis cordis ceruini } singulorum ℈.S.

Vini

Vini optimi ℥.I.
Croci gr.vi.
Conmistis omnibus fiat epithema.

II.

Liquoris stillatitii intybi vtriusq; / cichorii / lactucæ / absinthii — sing. ℥.ii.
Liquoris stillatitii oxalidis ℥.iii.
solani ℥.I.
Aceti ℥.S.
Specierum antidoti diarhodon Abbatis ʒ.I.
diatrionsantalon ℈.I.
Santalorum rub. ʒ.S.
Mistis omnibus formetur epithema.

Vsus epithematum. Vsus epithematum is est. Calefacta primū vbi fuerint, in iis panni lanei intinguntur, ac madefacti, subinde leniter expressi, loco toties admouentur, quoties necessitas ipsa requiret.

De embrochis. Cap. IX.

ἐμβροχή. Εμβροχὴ vox Latinis irrigationē sonat: estq; proprie vbi ex alto pluuiæ instar in partem aliquam fit destillatio: à verbo βρέχω, quod pluo ac irrigo significat. βρέχω. Vtimur iis in capitis malis, aliarumq; partium fracturis & contusionibus. Cōponitē embrocha ex herbis, radicibus, seminibus, floribus, & id genus aliis decoctis in aqua aut vino. Adiiciunt autem magna ex parte ad M.ii. plātarum, liquorum libram vnam, atq; quoad medietas absumatur decoquunt. Vsus decocti esse debet dum adhuc calet. Formulis aliquot propositis res tota planior fiet.

I.

Betonicæ
Chamæmeli } singulorum M.S.
Maioranæ
Serpylli
Lauandulæ
Origani } sing.M S.
Calaminthę
Hyſſopi

Coquantur in libris duabus aquę fontanæ donec dimidium abſumatur,fiatq́; embrocha.

II.

Foliorum ſalicis M.I.
Florum nymphææ
uiolarum } ſingulorum M.S.
roſarum
Seminum lactucæ
portulacæ } ſinguloum ℥.I.
cucurbitæ
Corticum papaueris ℥.S.
Bulliant in lib. I.S.aquæ fontanæ ad tertias,fiatq́; embrocha.

De fomentis. Cap. X.

Fomenta.

Fomēta à fouēdo dicta ſunt,quod ſcilicet ſuo calore partes corporis quibus applicātur fo ueant. Græci πυρίας uocant. Sunt autem du plicia,humida nimirum & arida, Hippocrate li. 2. de uictu acut.morb teſte. Cæterum arida nihil ferè à ſacculis,de quib.capite ſequenti dicemus diſtant. Humida uero,de quibus hoc capite agim⁹ in utre,ueſica,uel uaſculo æro,aut teſtaceo , item etiam ſpongia admouentur. Cutim autem rarefa cere & tranſpirabilem reddere fomenta ſolent; ſanguinemq́; qui eſt in inflammationibus attenua

πυρίαι

Arida.
Humida.

re,& per halitum digerere. Ante tamen corporis uacuationem non sunt temerè adhibenda, tunc enim plus humorum ad calefactam partem trahetur, quàm id sit quod discutitur. Humidorum nūc fomentorum formulas unam atq; alteram subijciemus, quæ recipiunt.

I.

Maluæ M.I.
Florum anethi
chamæmeli } sing. M.S.
meliloti
Semnium lini
fœnigræci } sing. ʒ.iij.

Coquantur in lib. ij. aquæ fontanæ dum medietas relinquatur, & dein aliquo prædictorum modorum adhibeatur.

II.

Centaurij minoris
Hemionitidis } sing. M.I.
Rutæ M.S. Corticum radicis capparis ʒ.iij.
Seminis lini. ℥ S. Radicis althææ ℥.I.

Decoquantur in aqua & aceto iustæ quantitatis, et ubi ad tertias decocta fuerint, spongia in iure de cocti madefacta applicentur.

De sacculis, Cap. XI.

Quæ ueteribus Sarida dicibantur fomenta, hæc hodie medicamenta sacculi nominantur: nihil enim aut parum differre uidentur. Componuntur è radicibus, herbis, floribus, seminibus, & id genus alijs medicamentis. Radices & herbæ conciduntur aut leuiter contunduntur, perinde atq; semina. Adhibentur ma[illegible] ex Sacculi Cōponēdi sacculorū ratio. Sacculi quib. partibus adhibentur.

parte capiti, cordi, uentriculo, iecinori, lieni, & utero. Ideoq; & compositio & forma eorundem iuxta partis laborantis morbum, suum & figuram uariantur. Capiti enim, quod ad figuram attinet, qui admouentur, oblongi esse aut tiaræ formam obtinere debent: qui uentriculo, scuti ferè effigiem referant: qui uero cordi, iecori, lieni, & uero applicantur, hi partium quoq; iam dictarum formam imitentur. Qui capiti & cordi imponuntur, serico: reliqui uero linteolo obducuntur. Nunc formulas aliquot recitabimus, quæ accipiunt.

I.

Florum rosmarini, lauandulę } singul. M. I. S.
chamæmeli, betonicæ, rosarũ purpurearũ } sing. M. I. S.
Saluiæ, Maioranæ, Serpylli syluestris, Meliloti } singulorum M. S.
Foliculorum senæ ℨ. ij.
Stichadis ℨ. iij.
Garyophyllorũ, Nucis moschatę, Maceris } singulorum ℈. ij.
Contusa in sericum dimittantur, formeturq; sacculus tiaræ formam exprimens.

II.

Florum buglosi, cirsij, rosarum, melissophylli } sing. M. I.

Cinnamomi electi }
Garyophyllorum } sing. ℈ S
Maceris }
Ligni aloës ℈.I.
Corticum mali citrij }
Specierum diambar } sing. ℥.I.
Ossis cordis ceruini ℈.S.
Croci ℈.I.
Contritis omnibus fiat è serico sacculus cordi ad mouendus.

III.

Florum chamæmeli }
meliloti } sing. M.S.
anethi }
Seminum lini }
fœnigræci } singulorum ℥.ij.
alteæ }
Origani }
Abrotoni }
Mentæ siccæ } singulorum M.I.
Calaminthæ }
Rutę hortēsis }
Contusa in linteolum demittantur, fiatq; sacculus. Vsus saccu- lorum.

Cæterum sacculi semper acu transuersim missa consuuntur, ne scilicet ea ex quibus constant in unam omnia partem labātur ac declinent. Vt plurimum etiam antequam adhibētur, lapidi ab igne excalfacto imponuntur, ac uino aut aceto irrigantur, ac subinde contracto calore partibus laborantibus admouentur.

De insessionibus. Cap. XII.

QVod Latini insessum aut insesionem, hoc Græci ἐγκάθισμα nominant: neq; enim aliud est quàm decoctum ex herbis, radicibus, alijsq; eius generis Insessio. ἐγκάθισμα

Insessionũ usus. medicamentis constans, cui ęger insidet. Insessionum usus ob balneorum defectum aut ægri imbecillitatem existit. His autem potissimum utimur in renum, uesicæ, coli, ani & uteri malis. Variantur medicamenta pro morbi diuersitate, ut è formulis patebit. Dum insessionis usus est, caput operiri debet, ne repleatur. Iam formulas aliquot subijciemus, quæ accipiunt.

I.

Saxifragæ
Oneanthes
Helxines
Maluæ
Althææ } singulorum M. I.
Cicerum rub. ℥. ij.
Seminum petroselini
lini
fœniculi } singulorum ℥. I S.

Coquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias pro insessione.

I I.

Artemisiæ
Saluiæ
Betonicæ
Calaminthe
Origani
Pulegij
Chamemeli
Melitoti
Hyperici
Abrotoni } Singulorum. M. S.

Radicum ridis
petroselini } singulorum ℥. I

Coquantur pro insessu.


III.

Plantaginis
Polygoni } singulorum M.I.S.
Rubi
Corticum mali granati ʒ.iij.
Bursæ pastoriæ
Equiseti } singulorum M.I.
Radicis symphyti maioris ℥.S.
Balaustiorum ʒ.I.

Coquantur omnia in tribus aquę pluuialis partibus & quarta uini nigri adstringentis pro insessu.

Hactenus quam breuissimè potuimus usitatam huius temporis componēdorū medicamentorū rationem tribus libris perstrinximus hoc potissimū nomine ut studiosis medicine prodessemus, & ut ansam quibusdā latinius tractādi hanc rem pręberemus,& ut ad ueterē aliquando miscendorū medicamētorū retionē,quæ in plerisq; ab ea qua hodie utimur diuersa est,nostri tēporis medici hinc ferè sumpta occasione respicerent. Precamur itaq; Deū,ut is noster labor quāplurimis usui esse possit qui unicus nobis in omnibus nostris uigiliis scopus esse solet.

REGISTRO



a b c d e A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z AA BB CC
Omnes Quaterniones præter e & C C
qui sunt duerniones.

Venetijs per Io. Ant. & Petrum fratres de Nicolinis de Sabio. M D. X L I I I. Mense Martij.

Neap. 13 Nov. 70. [illegible]

Siliqua est mensura ponderis duar[illegible] ut exponit plus[illegible] [illegible] Hermolao [illegible] [illegible] ipso in [illegible] de suo libro p° de [illegible] ponderis [illegible] capite [illegible].

obolus est mensura ponderis gran[illegible] x [illegible] [illegible] capitis plus[illegible] [illegible] [illegible]

sextula est mensura ponderis [illegible] [illegible] [illegible] ut exponit plus[illegible] [illegible] libro [illegible] [illegible]

[illegible] 10, [illegible]

